DE CATHOLICO INTELLECTU DOGMATIS

TRANSSUBSTANTIATIONIS

A. M. D. G.

DISQUISITIO

DOGMATICA - CRITICA - SCHOLASTICA - POLEMICA

DE CATHOLICO INTELLECTU DOGMATIS

TRANSSUBSTANTIATIONIS

AUCTORE

P. JOSEPHO M. PICCIRELLI S. J.

ALMA COLLEGE
23633
LIBRARY
P582
Alma, California

NEAPOLI
APUD " UFFICIO SUCCURSALE DELLA CIVILTÀ CATTOLICA ,,
Piazza Trinità Maggiore, 2
MCMXII

FRIBURGI BRISGOVIAE
APUD B. HERDER, TYPOGRAPHUM
Editorem Pontificium

LUTETIAE PARISIORUM
APUD V. LECOFFRE-GABALDA, BIBLIOP.
Rue Bonaparte, 90

BARCINONE
APUD EUGENIUM SUBIRANA
Puertaferrisa, 14

4545

Imprimi potest.

ANTONIUS M. DE FRANCESCO S. J.
Praep. Prov. Neap.

CURIA ARCHIEP. NEAPOL.

Die 27 Aprilis, 1912.

Imprimatur
JOANNES *Can.* MENICHINI
Deputatus

Typis M. d' Auria Tipographi Pontificii - Neapoli

LECTORI BENEVOLO

1. Ea, temporibus nostris, Criticorum quorundam animo videtur insedisse sententia, nulli ut edantur rerum theologicarum Tractatus, qui non recentissimas insectentur haereses vel modo natos errores; quique non ipsam tractationis normam ex confutandis erroribus derivent quodammodo. Audivimus saepe, quin experti sumus facto alios esse qui, de ostensione veritatis unice solliciti, clarissima ipsa eaque pervetusta veritatis luce errores potius esse discutiendos autument, ad unamque veritatis naturam indolemve tractationem ipsam esse exigendam[1].

2. Illi, si Polemici aut *Controversistae*, ut aiunt, solummodo sint, tolerari utcumque facile possunt; modo ne aut errores omnes in quocumque theologico Tractatu velint disiectos, aut errores quoslibet, etiamsi non omnes, in singulis Tractatibus; sed illos plane, qui tractationis obiectum cominus eminusve reapse impetunt. At si non Polemici, sed Scholastici sint aut verius Theologi, tolerari certe haudquaquam possunt. Scientiae obiectum non errores sunt, sed incommutabiles rerum rationes, quas primo funditusque opus est rimari, ut quae ab illis dissideant et plenius intelligantur, et validius impugnentur, et dilucidius dissipentur. Quin ab iis etiam qui polemice agunt, ipsa theologicae veritatis evidentia, utut limitibus constricta, aut profligandis erroribus praeponatur oportet aut, iis disiectis evulsisque, est tandem constabilienda ne, semotis erroribus, nudus vacuusque post labores exantlantos animus inveniatur. In quo nobile exemplum nobis reliquerunt, qui in cer-

---

[1] Cfr. *Études, 5. Octobre, 1904. Quelques réflexions sur la méthode en Théologie à propos d' ouvrages récents.* — Paul Bernard.

taminibus cum Novatoribus saeculi XVI. tulerunt palmas, Bellarminus, Gregorius de Valentia, Becanus aliique.

3. Qui in catholico dogmatum intellectu declarando viribus omnibus insudant, ac *Scholastici* pressius vocantur, dicendi omnino Theologi, si dogma ipsum ex fontibus revelationis, quantum pro re nata satis est, apte constituant, in eo, quod agunt, utilem certe navant operam. Hi plane haud consertis manibus cum adversariis praeliantur. Verum enimvero cum, monente Vaticano: « Inanis contradictionis species (*quam catholica dogmata aliquando praeseferre videntur*) inde potissimum oriatur, quod vel fidei dogmata ad mentem Ecclesiae intellecta et exposita non fuerint, vel opinionum commenta pro rationis effatis habeantur »[1], qui verum propriumque catholici dogmatis intellectum exponunt tuenturque, non solum scientiae proprie dictae iura servant, sed plerisque saltem erroribus omnem adimunt speciem veritatis, in nihilumque eos iubent abire. Heic etiam aliquando excessibus esse locus potest, si quis non *nove* dicat vetera, quod tamen sapienter Lirinensis exquirit[2]; vel si sic vetera consectetur, ut quae cecidere nullique iam sive scientiae sive controversiae sunt usui, fere eodem cum utilibus apud ipsum iure perfruantur; vel si novis ipsius scientiae aut temporum necessitatibus non subveniat.

4. Sed enim haec de tota ipsa scientia theologica, de integrove aliquo tractatu sunt intelligenda. A veritate alienus modis omnibus esset, qui ne specialem aliquam quaestionem tractationemve haberi posse arbitraretur, ni errores sint disiiciendi, hostiumque telis ex adverso tela opponenda. Res non omnino liquidae, si magnae praesertim sint, disquisitionem velut iure sibi vindicant suo. In rebus non omnino liquidis, quandoquidem ex recepto philosophemate: *Intellectus probabilis se habet ad contradictoria*, discordia quaedam, non plane voluntatis sed mentis, persaepe ingeneratur vel inter amicissimos arctissimisque vinculis cetera coniunctos. Qui, hac facta hypothesi, et in perspicuis res ponere et, ubi spes

---

[1] Vaticanum, *Const. Dogm. I, c. 4. De fide et ratione.*

[2] S. Vincentius Lirinensis, *Commonitorium primum, n. 22.* Ed. Migne.

affulget, mentis etiam concordiam instaurare conaretur, hic abs dubio et scientiae ipsi et scientium temporibus laborem suum non incassum transmitteret.

5. Haec apud me reputabam animo, cum de edendo hoc Opusculo, quod tibi, benigne Lector, nunc profero, cogitarem. Ab antiquis diebus, ab anno circiter LXXIII elapsi saeculi, ardentissimo tenebar studio ex iis, quae pro discipulis meis in adversaria quotidie conferebam, aliqua in convenientem formam redacta publici iuris facere, a Tractatuque: *De Eucharistia* initium sumere. Ast res rationesque aliae alia me publicare coegerunt. Non me tamen pristinus amor votumque deseruit et, si subsequutis annis id licuisset, dubio procul perfecissem. Non licuit, nec licet adhuc. Quid faciam? Urget me igniculus ille primo conceptus, nec sinit quiescere. SS. Iesu Cordi in Venerabili Eucharistiae Sacramento hymnus theologicus canendus est: et quamvis non omnia, quae vellem, ad quaeque essent parata subsidia, vitae meae rationes nunc sinant in eam formam reducere, ut publici iuris fieri possint; aliquid tamen ex iis decerpendum est, Iesuque Cordi dedicandum.

6. Quid demum? Re diu multumque versata, in id consilii ventum, ut de Transsubstantiatione panis et vini in Christi Domini corpus et sanguinem unice peragerem. Sed enim dogma in quolibet ad scholásticum curriculum Tractatu concinnato, quantum ad iuvenum institutionem satis est, constitutum invenitur; apud amplissimos vero illos Tractatores, qui cum Novatoribus saeculi XVI. manus conseruerunt, usque adeo constabilitum est, ut fere sequentibus spes fuerit omnis erepta uberius aliquid meliusque proferendi. Dogmatis autem intellectus, quamvis et ipse fuerit undequaque versatus, eam tamen nondum nactus est in omnibus consensionem, ut novo non possit utiliter examini subiici. Atque hinc est, ut qui in celebrioribus catholicis Academiis Scholasticam Theologiam legunt, specialiori quadam ratione in hoc incumbant, ut intellectum illum pro sua sapientia tandem definiant. Contendimus id ipsum nos equis remisque longo triginta sex fere annorum spatio, quoties de Eucharistia in scholis fuit agendum,

ac non mediocres forsan divitias ex indeficienti Verbi Dei thesauro conati sumus effodere. Illas voluntas est SS.^mo^ Iesu Cordi dicare.

7. Accedit nonnulla dissensio, quae inter catholici dogmatis propugnatores hac super re, diebus hisce nostris, exorta est. Haec comiter inter amicos discussa non iniucundo certamini ansam praebebit, Criticisque illis, qui certamina fere unice habent in deliciis, faciet satis quadantenus. Non conflictabimur sane cum hostibus; conflictabimur tamen. Idque si vel exercitationis, vel animi retinendi gratia licet, licebit magis ubi certamini mentium concordia in propugnatoribus fidei praemii instar proponitur, speique via patet optatam illam mentium concordiam assequendi. Hac enim parta, confertis cuneis in hostes irruemus, errantiumque mentes triumphatori Christo belli feliciter gesti adferemus exuvias.

8. Habes, benigne Lector, quid nobis in hoc qualicumque Opusculo in lucem edendo propositum sit; quid nos ad ipsum typis publicandum impulerit. Superest ut eodem animo legas, quo fuit conscriptum et, si quid boni est, eo ad maiorem Dei gloriam utare. Annuat coeptis SS.^mum^ Iesu Cor: et quod suum est, et de ore eius egressum est verbum, quum non vacuum revertetur[1], in aeternam accipiat deditionem.

Neapoli, die Immaculato Virginis
Conceptui sacro, VI. Id. Dec. MCMXI.

Iosephus M. Piccirelli S. I.

---

[1] *Isa. 55, 11.*

DE CATHOLICO INTELLECTU DOGMATIS TRANSSUBSTANTIATIONIS

PRIMA PARS — DOGMATICA

SECTIO I.

NOTIONES PRAEVIAE

Dogmatis intellectus.

1. Quaerere dogmatis fidei intellectum apud Patres et Theologos est rectam fidei intelligentiam rationemque vestigare. Concinne id significavit Anselmus, inquiens: « Nullus Christianus debet disputare quomodo quod catholica Ecclesia corde credit, et ore confitetur, non sit; sed semper eandem fidem indubitanter tenendo, amando, et secundum illam vivendo, humiliter, quantum potest, *quaerere rationem quomodo sit* »[1]. Nimirum dum fides, seu humana ratio fidei lumine illustrata dogmatis quaerit intellectum, in id incumbit maxime, ut definiat primo quidem: *quomodo sit*, vel quomodo sit intelligendum quod in dogmate est; secundo vero: *quare ita sit*, aut ita sit intelligendum. Notum autem est fidei intellectum illum catholicum haberi, aut catholico intellectui magis cohaerentem, qui ex definitionibus fidei et authentico Ecclesiae magisterio, ex consensu Traditionis, ex Scripturis ipsis, ubi id licet, ratione subserviente, seu divinas res humanis conceptibus et verbis propositas, aut ex dictis fontibus, aut ex veris principiis aliis analogice declarante, eruitur, vel ad huiusmodi normas magis pleniusve accedit. Eucharisticae igitur Transsubstantiationis catholicum quaerentes intellectum, quid de eo Ecclesia doceat, in antecessum oportet vestigare[2]. Ad quod, praemissis *Sectione* hac communibus notionibus, *Sectione* sequenti commodius gradiemur.

S. Anselmus.

Catholicus dogmatis intellectus.

Transsubstantiationis nomen quando, et a quo primitus usurpatum.

2. Dicebatur valde communiter videri *Transsubstantiationis* nomen ab Hildeberto prius Cenomanensi Episcopo, subinde Archiepiscopo Turonensi, primitus saeculo XII. fuisse usurpatum[3]. Nunc

[1] S. Anselmus, *De fide Trinitatis*, *c. 2. n. 1.* — Migne.
[2] Franzelin, *Proleg. de Theologiae obiecto*, *Sect. 2.*
[3] Hildebertus Turonensis, *Sermo 93. n. 3.* — Migne.

autem temporis paulo aliter sentiendum est. Sermo enim ille, in quo TRANSSUBSTANTIATIONIS nomen invenichatur, a novis Criticis abiudicatur, et iure quidem ut videtur, Hildeberto, adiudicatur Petro Comestori (LE MANGEUR) non ante annum 1175. Hoc solo uterque a primatu exturbatur, alter defectu iuris, alter defectu temporis. Ante hoc tempus plures Transsubstantiationis verbum adhibuerant. De primatu res nondum est ad purum liquida. Dubii adhuc aliquantillum superest: sitne primatus in usu vocis Stephano Augustodunensi [1] tribuendus, an Orlando Bandinelli [2], qui postea fuit Alexander III. Certum autem est, post hos, fuisse usurpatum eodem saeculo a S. Hildegarde [3], a Petro S. R. E. Cardinali [4], ab aliis, imprimisque ab Alano de Insulis [5], qui obiit anno MCCIII., donec a Lateranensi IV. anno XV. saeculi XIII., dixerim, canonizatum in universam Ecclesiam dimanavit. Facillime haec dabimus, si de scripto Transsubstantiationis verbo moveatur quaestio: non item, si de orali. Etiamsi enim anteriora scripta, quae ad nos pervenerunt, verbum illud non exhibeant; ex modo tamen quo, si unum Alanum praescindas, scriptores alii verbo illo utuntur, non levis eruitur coniectura Transsubstantiationis nomen temporibus suis iam in usu fuisse. En, exempli causa, quomodo scribit Stephanus, loco laudato: « *Oremus* ut..... oblatio panis et vini transsubstantietur in corpus et sanguinem Iesu Christi ». In sermone Hildeberto prius tributo legitur: « Cum profero verba Canonis et verbum transsubstantiationis, et os meum plenum est contradictione, et amaritudine, et dolo, quamvis eum (*Filium Virginis*) honorem labiis, tamen spuo in faciem Salvatoris ». Atque eodem fere pacto adhibent alii, sine subiecta nota, sine declaratione fere ulla, obvio prorsus modo ac pene usitato: quod in novo nomine non fit [6].

Petrus Comestor.

Stephanus Augustodun. Orlandus Bandinelli. S. Hildegardis. Petrus S. R. E. Cardinalis. Alanus. Lateranense IV.

Auctoris coniectura.

3. Universim vero transsubstantiationis nomine *mutationem*, uti loquitur Alanus, aut *conversionem*, uti subinde communius dictum est, panis et vini in corpus et sanguinem Christi intelligebant. Conversio igitur plenius declaranda est, ut primum aliquem transsubstantiationis conceptum informemus. Meminerimus autem *conversionem*, ex vi vocis, versionem cum *alio*, vel cum *aliquo* praeseferre. Iam vero cum *versionis* nomen primo derivatum videatur ex mutationibus localibus quibus, dum aliquis aut aliquid supra se vertitur, alia et alia aut prospicit aut despicit, *conversionis* nomen, ex vi primae impositionis coniugatas consociatasque huiusmodi locales mutationes videtur significasse, quatenus dum unum erga aliud localiter mutatur, hoc alterum erga illud una intelli-

Transsubstantiatio conversionem meminit.

Unde, et quid iuxta nomen conversio.

---

[1] Stephanus Augustodunensis, *Tractatus De Sacramento altaris, c. 13. n. 2.* — Migne.

[2] Orlandus Bandinelli, *Sententiae*, Edit. Gietl, *pag. 231.*

[3] S. Hildegardis, *Epistola 47. n. 6.* — Migne.

[4] Petrus S. R. E. Cardinalis, *Epistola 3. Ad universos fideles, n. 3.* — Migne.

[5] Alanus de Insulis, *Contra Haereticos, lib. 1. c. 57. seqq.* — Migne.

[6] Cfr. *Dictionnaire de Théologie Catholique*, A. Vacant — E. Mangenot — Paris, Letouzey et Ané, *Eucharistie, col. 1287. seqq.* — *Recherches de Science Religieuse*, Nov.—Décembre, 1911. *A propos du premier emploi du mot: Transsubstantiation.*— Ioseph de Ghellinck.

gitur mutari. Factum hinc videtur, ut *conversionis* nomen ad mutationes unius rei in aliam significandas fuerit derivatum, adhibitumque ad ea omnia naturae et morum phaenomena designanda, in quibus illiusmodi mutationes cernebantur. Eiusdem derivatio.

4. In rem nostram Valentia: « Eo nomine (*conversionis nimirum*) omnes intelligunt conversionem unius rei in aliam tum fieri, quando in aliquo genere, quod sit utrique rei commune, *idem* (non quidem secundum *rem*, sed secundum *rationem communem* et convenientiam generis), quod ante erat una res, postea peculiari ratione est alia, transitque et quasi transfunditur peculiari ratione in illam..... Atque eam quidem esse notionem nominis *conversionis*, ut ad mutationem unius rei in alteram accommodatur, inde patet, quod hoc nomen ex mutationibus localibus quoad situm circa *eundem locum* videtur esse translatum ubi videmus corpus *idem*, quod ante uno modo se habebat, habere se postea alio modo, propter quod dicitur *converti* seu verti. Itaque cum *conversionis* nomen ad mutationem unius rei in alteram accommodatur, similis aliqua ratio nominis retinetur, ut scilicet ibi etiam significemus *idem* aliquo modo, quod ante erat una res, esse postea alteram, atque ita conversionem rerum fieri »[1]. Valentia.

5. Ex recepto hoc nominis etymo desumpta est a Theologis conversionis nominalis definitio, qua dicitur: *Transitus aut desitio unius rei in aliam.* Neque enim, proprie loquendo, conversio, ut sic, propriam mutationem exigit; cum vera detur aliqua conversio quae, quod subiectum excludit utrique termino commune, propriae mutationis rationem nullo modo retinet. Quapropter de ratione conversionis, ut sic, aliquid propria mutatione simplicius sit necesse est. Hoc autem ab aliquibus dicitur *versio*, ab aliis *transitus*, ab aliis *quasi mutatio* aut *impropria mutatio*, vel quid simile, uti apud Theologos varios videre est[2]. Conversionis nominalis definitio.

6. Illa autem nominali notione posita, sponte fluit ad conversionem, ut sic, requiri: — α) Binos terminos positivos, alterum *a quo* incipit, alterum *ad quem* terminatur conversio: — β) Desitionem aliquo pacto termini *a quo*, et positionem termini *ad quem*. Neque enim converti seu transire unum in aliud potest, si id, quod convertitur aut transit, aliquo modo esse non desinat; illud vero, in quod convertitur aut transit, aliquo modo non incipiat esse. Ubi enim unum in aliud convertitur aut transit, fit aut dicitur fieri hoc aliud, in quod transit aut convertitur. Nequit autem unum fieri aliud, si illud quidem remanet *realiter idem, quod erat;* hoc autem nullo pacto effectionem terminat, seu non *est quotlammodo ex vi effectionis:* — γ) Successionem et ordinem quendam prioris et posterioris inter terminos conversionis, atque plane secundum praecisam illam rationem, secundum quam unum in aliud dicitur converti, uti clare sequitur ex dictis. Quare D. Thomas scri- Requisita ad conversionem, ut sic. Bini termini positivi. Desitio termini *a quo*, et *positio* termini *ad quem*. Successio et ordo prioris et posterioris. D. Thomas.

---

[1] Valentia, *In 3.am p.em D. Thomae, Disp. 6. q. 3. puncto 3.*

[2] Cfr. Scotum, *Reportationes in IV. Dist. 11. q. 1.* Resolutio: *Dicunt sub quo genere etc.*

bit: « Haec conversio panis in corpus Christi quantum ad aliquid convenit cum creatione et cum transmutatione naturali, et quantum ad aliquid differt ab utraque. Est enim commune his tribus ordo terminorum, scilicet ut post hoc sit hoc (in creatione enim est esse post non esse; in hoc Sacramento corpus Christi post substantiam panis; in transmutatione naturali album post nigrum, vel ignis post aerem), et quod praedicti termini non sint simul... Convenit vero haec conversio cum transmutatione naturali in duobus, licet non similiter. Primo quidem, quia in utraque unum extremorum *transit* in aliud, sicut panis in corpus Christi, et aer in ignem..... »[1]. Quo in loco S. Doctor generalem doctrinam de conversione, ut sic, huc usque traditam evidenter supponit, et secundum eam loquitur. Brevius alibi idem innuit: « Accidit, *inquit*, in hac conversione *(eucharistica)* contrarium ei, quod in naturalibus mutationibus accidere solet, in quibus substantia manet ut mutationis subiectum, accidentia vero variantur; hic autem e converso accidens manet, et substantia *transit*. Huiusmodi enim conversio non potest *proprie dici motus*, sicut a naturali consideratur, *ut subiectum requirit;* sed est quaedam *substantialis successio*, sicut in creatione est successio esse et non esse, ut dictum est.[2] »[3].

Sufficiens connexio inter terminos conversionis.

7. Ex quibus ulterius sequitur: — δ) Inter terminos illos ex ordine succedentes sufficientem connexionem intercedere debere, ut unus desinat, quia alter ponitur, et alter ponatur, quia alter in ipsum desinit. Ratio est obvia. Si enim terminus *a quo* debet transire aut desinere in terminum *ad quem*, ut habeatur conversio, huiusmodi transitus aut desitio debet esse aliquid per se, et non mere per accidens aut concomitanter se habere; tum quia heic sermo est de conversionis definitione aut quidditate; tum quia secus quidquid in aliquo instanti desinit esse, converteretur in id omne, quod in illo eodem instanti esse inciperet: quod et oppido falsum est, et prorsus inauditum. Iam si transitus aut desitio unius termini in alium debet esse per se, inter desitionem termini unius et positionem alterius sufficiens omnino (quaecumque tandem ea sit) connexio detur necesse est. Haec autem connexio nequit esse compositionis aut sequelae, sed oppositionis et repugnantiae; debet enim unus terminus non esse dum alius est, et ideo non esse, quia alius est. Quare D. Thomas modo dixit requiri ad conversionem: *Quod praedicti termini non sint simul.* Connexio demum oppositionis et repugnantiae inter terminos conversionis, ut sic, non per accidens, sed per se, cum ad praedicata quodammodo conversionem, ut sic, specificantia pertineat, necessario a conversionis forma derivabitur, quae in quolibet sive composito, sive toto ratio est, quare specifica aut quidditativa perfectio ipsi competat.

Ratio obvia.

Connexio oppositionis et repugnantiae.

Undenam derivanda?

Actio sufficiens.

8. Tum: — ε) Agnoscendam esse sufficientem actionem aliquam,

---

[1] D. Thomas, *Summ. Theol. 3. p. q. 75. a. 8. corp.* — Cfr. *eiusdem. q. a. 4. ad 1.um, et a. 7. ad 1.um fin.*

[2] Idem, *Contra Gentes lib. 4. c. 19.*

[3] Idem, *Ibidem, lib. 4. c. 63.*

vi cuius terminus *a quo* in terminum *ad quem* ex vi connexionis repugnantiae inter utrumque intercedentis transeat aut desinat. Ratio est, quod illa desitio et positio repugnanter connexae, utcumque demum debeant intelligi, novum quendam effectum innuunt in rerum natura: omnis autem novus effectus uti propriam causam, sic propriam aliquam causalitatem requirit: causalitas demum causae efficientis in actione sita est, uti hic ex metaphysicis licet supponere. Age iam huiusmodi actio (quaecumque rursus ea sit, quod subinde erit disquirendum) rectissime dicitur *actio conversiva*, cum vi ipsius habeatur: *Transitus aut desitio unius rei in aliam*, atque adeo habeatur: *Conversio*. Conversiva.

9. Tandem: ζ) Admittendum esse proportionatum agens conversivam eliciens actionem, atque conversionem perficiens. Actio enim ad proportionatum agens habitudinem praesefert prorsus essentialem, ut sine ipso, debita cum proportione inspecto, prout aut mechanica est, aut generice productiva, aut etiam vitalis, nullo queat concipi pacto. Hinc D. Thomas, in praesenti materia, ex diversitate agentium actiones varias conversivas apte distinguit, ac porro conversiones ipsas: « Manifestum est, *inquit*, quod omne agens agit in quantum est actu. Quodlibet autem agens creatum est determinatum in suo actu, cum sit determinati generis et speciei; et ideo cuiuslibet agentis creati actio fertur super aliquem determinatum actum. Determinatio autem cuiuslibet rei in esse actuali est per eius formam. Unde nullum agens naturale seu creatum potest agere nisi ad immutationem formae; et propter hoc omnis conversio, quae fit secundum leges naturae, est formalis. Sed Deus est actus infinitus, ut in prima parte habitum est: unde eius actio se extendit ad totam naturam entis. Non igitur solum potest perficere conversionem formalem, ut scilicet diversae formae sibi in eodem subiecto succedant; sed conversionem totius entis, ut scilicet tota substantia huius rei convertatur in totam substantiam illius »[1]. Proportionatum agens. D. Thomas.

10. Quae huc usque diximus de notis conversionis, ut sic, apertissima sunt D. Thomae doctrina, et theologis ceteris, ad rem ipsam quod spectat, revera communia. Utrum vero ad rationem conversionis, ut sic, plus aliquid requiratur, et quo pacto id in tradita superius notione contineatur, disputant Theologi. Aliqui enim ex veteribus, v. g. Durandus[2], praeter illa, ad conversionem, ut sic, quin etiam ad conversionem ipsam eucharisticam, requirebant proprium commune subiectum. Alii communissime requirunt *tertium* aut *medium aliquod commune*, quod transire dicatur de uno ad alium terminum, vel saltem in ordine ad quod termini *a quo* et *ad quem* inter sese pugnent. Alii ne *tertium* quidem aut *medium commune* necessarium putant ex eo maxime, quod formalem repugnantiam inter conversionis terminos ex actione ipsa conversiva putant se posse corrivare. Nos, omissa aut dilata in op- An ad conversionem, ut sic, aliud requiratur. Durandus. Doctores alii. Auctoris monitum.

[1] D. Thomas, *Summ. Theol. 3. p. q. 75. a. 4. corp.*
[2] Durandus, *In IV. Dist. 11. qq. 2. et 3.*

portuniorem locum huiusmodi controversia, unice animadvertimus in conversionibus naturalibus, ob rationem a D. Thoma modo auditam, necessarium esse commune subiectum. Quod plenius adhuc intelligetur, si prae oculis habeatur in naturalibus conversionibus proprie dictam mutationem locum habere, quae sine subiecto utrique termino communi ne cogitari quidem potest.

Illationes ex dictis.

11. Inferimus ex dictis conversionem, ut sic, spectari posse *principiative*, seu ex parte principii, et *terminative*, seu ex parte termini. Priori modo, conversio memorat causam capacem efficiendi conversionem, seu potius ipsius conversionis de facto effectricem; modo autem altero, praesefert terminum, uti positum a causa conversionis effectrice. Terminus vero spectari potest *materialiter* aut *passive*, et *formaliter* aut *active*. Secundo hoc pacto conversio signat actionem ipsam conversivam quae, quatenus est causalitas principii in termino recepta, et ipsa termini positio, dicitur *conversio activa;* quatenus autem id est, quod et agens denominat convertens, et terminos unum in alterum conversos (ab actione enim ista denominantur, cum ex eo, quod ipsa sic aut aliter est, agens hoc aut illo modo proprie aut formaliter agat, et hic aut ille ponatur terminus) stricte dicitur *conversio formalis*. Priori vero, id est, materialiter aut passive terminus inspectus adhuc considerari potest vel secundum suam realem entitatem, vel secundum ordinem, quem ad aliud potest innuere. Sub priori illo respectu conversio demonstrat ipsos terminos *a quo* et *ad quem*, quatenus secundum eorum positivam entitatem conversionem activam aliquo modo recipiunt, atque porro patiuntur. Sub altero autem significat ordinem aut relationem, sive praedicamentalem ad agens, sive transcendentalem successionis declaratae inter terminos ipsos conversionis. Tandem conversio inspici potest *adaequate*, et tunc haec simul omnia per ipsam significantur; aut *inadaequate*, et tunc horum unum aut aliud signatur. Horum omnium ratio breviter est, quod in omni alia mutatione, aut effectione, aut productione, cum quibus conversio, ut sic, saltem genere aliquo analogico convenit, haec omnia inveniuntur, atque a philosophis et theologis considerantur, v. g. ubi agunt de creatione, de conservatione, de concursu Dei cum causis secundis etc.[1].

Conversio principiative, et terminative.

Materialiter aut passive, et formaliter aut active.

Adaequate et inadaequate.

Conversionis partitio.

Conversio naturalis et supernaturalis.

12. Inferimus praeterea conversionem esse posse *naturalem* et *supernaturalem*. Erit naturalis si, spectatis substantia et modo quo ponitur, terminus *ad quem*, ac proinde actio conversiva et agens, quatenus agit, naturalia sint; secus erit supernaturalis. Quod si supernaturalis sit tantum modus, quo ponitur terminus *ad quem*, atque hinc modus actionis et agentis, conversio erit *supernaturalis quoad modum;* si vero supernaturalis sit ipsa substantia termini *ad quem*, et praesuppositive reliqua, quae ab ipso, uti hic supponimus, specificantur, conversio erit *supernaturalis quoad substantiam*. Si demum positio termini *ad quem* secundum suam

Quoad modum.

Quoad substantiam.

[1] Cf. Piccirelli, *Disputationes Metaphysicae* De Deo, ubi suis in locis, haec ipsa plenius discutiuntur.

substantiam sit supra vires totius naturae tum creatae, tum creabilis, pertineatque ad ordinem divinum entitative inspectum, seu respicientem Deum, prout est in se, conversio erit *stricte supernaturalis;* erit autem *late supernaturalis*, si substantia termini *ad quem* superet vires solius naturae creatae, nec sit ordinata aut ordinet ad Deum, prout est in se, sed prout est in suis effectibus. Haec nihil sunt aliud, quam specialis quaedam inflexio conceptus et entis naturalis et supernaturalis, de quibus alibi agitur, nec opus est, ut hic a nobis plenius declarentur. Stricte supernaturalis et late supernaturalis.

13. Ex diversa ratione terminorum aliter atque aliter rursus denominatur aut distinguitur conversio. Nam termini conversionis communiter dici solent *totales* et *formales*. Terminus totalis appellatur illud compositum aut totum, quod conversione vel desinit esse, vel ponitur; terminus vero formalis nuncupatur illa entitas compositi aut totius, propter cuius adaequatam desitionem positionemve totalis terminus esse desinit aut ponitur. Quandoquidem autem eiusmodi entitas in conversionibus naturalibus est *forma*, factum inde est, ut ipse terminus diceretur *formalis*, et a termino *totali* distingueretur. Quapropter eodem iure ille terminus dici posset *materialis*, si nimirum entitas, propter cuius adaequatam desitionem positionemque totum converteretur, non esset forma, sed esset *materia*. Pro diversa hac ratione terminorum, qui sive de facto in conversionibus nobis notis obtinent, sive, absolute loquendo, possent obtinere, aut saltem conditionate ceu termini conversionis possunt enunciari, conversio ipsa dividi potest aut denominari. Conversio nimirum dici potest *totalis* ratione terminorum totalium, *formalis* ratione terminorum formalium, dicenda *materialis* in compositis conversis, uti monent Valentia [1], de Lugo [2], Coninck [3] aliique, si videlicet id, propter cuius adaequatam desitionem et positionem compositum converteretur, esset materia. Conversio totalis et formalis. An admittenda materialis conversio.

14. De conversione totali et materiali nihil aliud opus est addere in praesenti. Conversio formalis, quae fere sola in usu est, ubi de ordine naturali agitur, ut Doctores aliqui conversiones naturales omnes *formales* dicant, quamvis totum dicant conversum, conversionis denominationem a solo formali termino derivantes: conversio itaque formalis *substantialis* esse potest aut *accidentalis*, prout forma, a qua sumitur formalis terminus, substantialis est aut accidentalis. Huiusmodi autem formalis conversio, si forma *substantialis* sit, dici solet *Transformatio;* si vero *accidentalis*, nominibus variis appellatur *Transfiguratio*, *Translocatio*, *Transpositio* etc. Quod si terminus formalis, aut forma, aut pressius entitas, vi conversionis activae desinens ac posita, sit tota aliqua substantia, conversio istaec rectissime dicetur *Transsubstantiatio*, uti ex dictis intelligitur. Ad Transsubstantiationem ergo hoc saltem requiritur ut tota aliqua substantia sit conversionis terminus for- Conversio substantialis et accidentalis. Transformatio. Transfiguratio, translocatio etc. Transsubstantiatio.

---

[1] Valentia, *In 3.am p.em D. Thomae, Disp. 6. q. 3. puncto 3.*
[2] Lugo, *De Sacramento Eucharistiae, Disp. 7. Sect. 1.*
[3] Coninck, *De Venerabili Eucharistiae Sacramento, q. 75 art. 4. Dub, 4.*

malis *a quo*, et tota alia substantia sit terminus formalis *ad quem*. Utrum vero, praeter hoc, requiratur, ut iidem sint termini totales et formales, infra commodius declarabitur.

In formali conversione forma non denominat formam, sed compositum.

15. De formali conversione praecipiendum est ipsam, quamvis a formali termino nomen mutuetur, proprie non denominare formam ipsam, sed totum aut compositum. Itaque, proprie quidem sed generatim loquendo, forma non dicitur conversa in formam, seu non est id, *quod* in aliud convertitur; sed est id, *quo* vel *secundum quod* totum in aliud convertitur. Quapropter suppositum, compositum, totum est id, *quod* convertitur, et *in quod* terminatur conversio; forma vero est id, *quo* suppositum, compositum aut totum in aliud convertitur suppositum, compositum, totum. Hac ratione intelliges in praesentiarum, et explicabis D. Thomam hinc quidem saepe de formali conversione loquentem, inde vero negantem formam in formam converti. Sic legimus apud S. Doctorem: « Nullum agens naturale seu creatum potest agere, nisi ad immutationem formae: et propter hoc omnis conversio, quae est secundum leges naturae, est formalis »[1]. Ac rursum: « Dicendum quod obiectio illa procedit de mutatione formali »[2]. Praeterea: « Dicendum quod illa obiectio procedit de conversione formali seu mutatione; quia oportet (sicut dictum est in corpore et articulo praecedenti) formam esse in materia vel subiecto; non autem habet locum in conversione totius substantiae, cuius non est accipere aliquod subiectum »[3] D. Thomas ergo omnino agnoscit conversionem formalem: et tamen idem ipse negat, in conversionibus saltem naturalibus, formam converti in formam. Ait enim: « Dicendum quod forma, quae est terminus *a quo*, non convertitur in aliam formam; sed una forma succedit alteri in subiecto »[4]. Haec videlicet nihil aliud sonant, quam conversionem formalem non denominare conversam ipsam formam, sed subiectum, suppositum, totum, in quo forma invenitur: ac proinde suppositum est id, *quod formaliter convertitur*; forma autem est id, *quo supposito formalis conversio* locum habet.

Explicatur D. Thomas.

Dictorum summa.

16. Ut autem in summam, quae huc usque dicta sunt, conferamus, ad conversionem, ut sic, quae a nobis ad normam relationis concipitur, atque exinde a P. Vasquez formaliter dicitur relatio rationis, uti suo loco videbimus: ad conversionem ergo, ut sic, terminative quidem sed secundum totam rationem suam inspectam, requiruntur: — α) Termini bini iidemque positivi, alter *a quo* incipit, alter *ad quem* terminatur conversio: — β) Isti termini non simul, sed successive se habent, ita plane ut inter ipsos ordo sit prioris et posterioris, non quidem tempore sed natura: — γ) Ordo autem iste prioris et posterioris non est ordo compositionis aut sequelae, sed oppositionis aut repugnantiae: — δ) Repugnantia vero istaec in eo est, ut unus, terminus nimirum *a quo*, desinat esse

---

[1] D. Thomas, *Summ. Theol. 3. p. q. 75. a. 4. corp.*
[2] *Idem, Ibidem, ad 1.um*
[3] *Ibidem, Ibidem, ad 2.um* Cfr. *ibidem ad 3.um, et a. 5. ad 2.um* etc.
[4] *Idem, Ibidem, a. 3. ad 2.um*

ad positionem et quodammodo ex vi positionis alterius, seu termini *ad quem*, et vicissim: — ε) Id autem locum habere nequit, quin binos illos inter terminos, quatenus ad conversionem concurrunt ipsamque passive denominant, vera et sufficiens, et quidem non per accidens, sed per se detur connexio: — ζ) Hoc demum totum, quod dictum est, cum passive, seu uti effectus, conversionem signet, actionem quandam proportionatam exigit, quae passionem quodammodo inferat, causet formaliter effectum; quae actio erit conversio activa et, sensu superius declarato, formalis etiam dici potest et solet conversio. Principiative vero, ut dictum est, conversio innuit agens proportionatum conversionem efficiens.

17. Si ad conversionem substantialem, ac porro ad transsubstantiationem, de qua in posterum unice disquiremus, restringatur sermo; in notis modo numeratis ad notionem conversionis nominalem aliquo pacto declarandam, praescindendo a minus pressa loquendi ratione, quae apud auctores varios non semel invenitur, ubi de re agitur definienda, controversiae obnoxia sunt: — α) Desitio termini *a quo;* quaeritur enim quo sensu illa desitio intelligenda sit: — β) Positio termini *ad quem*, de quo disceptatur qua ratione poni debeat: — γ) Nexus inter positionem unius et desitionem alterius, nimirum quinam ille sit verus et sufficiens nexus ad realem conversionem, praesertim transsubstantiativam, requisitus: — δ) Actio demum conversiva aut transsubstantiativa, quae horum omnium formalis ratio est; de qua proinde quaeritur, quaenam illa sit. Antequam vero puncta istaec pro rei exigentia definiamus, doctrina fidei et Ecclesiae est nobis consulenda.

Qua de re agendum.

Indicantur puncta controversa.

SECTIO II.

REGULA FIDEI PROPONITUR ET ILLUSTRATUR

1. In proponenda fidei regula, subiectiva nimirum, ut aiunt, aut proxima, quae aut solemnibus Ecclesiae iudiciis et definitionibus, aut authentico universalique magisterio, aut documentis aliis ad doctrinam catholicam spectantibus continetur, ut dogmatis Transsubstantiationis catholicum intellectum assequamur; tria nobis mens est inquirere et, quoad eius fieri poterit, definire. Horum primum est: Quid ipsa certo praescribat. Alterum est: Quid praescripto certo repugnet. Tertium demum: Quid ex ipsa detur intelligi. Claritatis autem gratia Ecclesiae scita, ordine quodam chronologico, distinctis paragraphis exhibebimus.

Fidei regula subiectiva.

Quid certo proponat. Quid certo propulset. Quid ex ipsa detur intelligi.

§ I.

Ecclesiae scita in causa Berengariana.

2. Ceu notum omnino historice supponimus ante saeculum XI. et exortam haeresim Berengarianam Ecclesiae documenta non esse quaerenda. Superioribus enim temporibus vel nulli prorsus, sal-

Non quaerenda ante haeresim Berengarianam,

tem directe, contra Eucharistiam grassabantur errores, vel nonnisi semina fuerunt quasi terrae commissa, quae demum suos in Berengario fructus summisere. Quin, uti constat ex historia illius haereseos, primum Ecclesiae Catholicae scitum in rem nostram, sepositis certo consilio particularibus synodis, ad an. Dom. 1079. referendum est, quo demum, uti videtur, venenum omne Haeresiarcha ex animo evomuit.

Synopsis haereseos Berengarianae.

3. Enimvero ab initio reprobatum a Concilio Oecumenico VII., Nicaeno II., in Iconoclastis errorem de Eucharistia, mera corporis Christi imagine, crudiori quadam ratione instaurans, in Sacramento altaris nonnisi signum aut figuram corporis Christi haberi Berengarius blaterabat. Damnatus hic error fuit a S. Leone IX. in Conciliis Romano et Vercellensi an. 1050; in Florentino a Victore II. an. 1055; in Romano rursum a Nicolao II. an. 1059., in quo demum Berengarius fidei formulae ab Humberto Cardinali conceptae et a Concilio adprobatae subscribere coactus est. Porro formula, cui in II. Romana Synodo subscripsit, sequens est.

Iusiurandum Berengarii in II. Synodo Romana.

« Ego Berengarius, indignus diaconus Ecclesiae Sancti Mauritii Andegavensis, cognoscens veram, catholicam et apostolicam fidem, anathematizo omnem haeresim, praecipue eam de qua hactenus infamatus sum, quae astruere conatur panem et vinum, quae in altari ponuntur, post consecrationem solummodo sacramentum, et non verum corpus et sanguinem Domini nostri Iesu Christi esse, nec posse sensualiter in solo sacramento manibus sacerdotum tractari, vel frangi, aut fidelium dentibus atteri. Consentio autem sanctae Romanae et apostolicae Sedi, et ore et corde profiteor de sacramentis Dominicae mensae eam fidem tenere, quam Dominus et venerabilis Papa Nicolaus, et haec sancta Synodus auctoritate evangelica et apostolica tenendam tradidt, mihique firmavit: scilicet panem et vinum, quae in altari ponuntur, post consecrationem non solum sacramentum, sed etiam verum corpus et sanguinem Domini Nostri Iesu Christi esse, et sensualiter non solum sacramento, sed in veritate manibus sacerdotum tractari, frangi et fidelium dentibus atteri, iurans per sanctam et homousion Trinitatem, et per haec sacrosancta Christi Evangelia. Eos vero, qui contra hanc fidem venerint, cum dogmatibus et sectatoribus suis aeterno anathemate dignos esse pronuntio. Quod si ego ipse aliquando aliquid contra haec sentire aut praedicare praesumpsero, subiaceam canonum severitati. Lecto et perlecto, sponte subscripsi »[1].

4. Subinde ad vomitum reversus in hanc eandem formulam vehementius coepit invehere, promeritamque in Lanfranci opere: *De corpore et sanguine Domini*, refutationem nactus est. Ad meliorem redactus frugem, in Synodo Romana III. in hac causa an. 1078., sub S. Gregorio VII. novam verbotenus, re tamen cum praecedenti eandem fidei formulam suscepit, quam primum publici iuris fecit Mabillonius, sequentibus verbis conceptam: « Confiteor panem

[1] Extat haec formula apud Lanfrancum, *De corpore et sanguine Domini c. 2.*, tum in Actis Conc. Rom. an. 1059. apud Coletum et alios Collectores.

altaris post consecrationem esse verum corpus Christi, quod natum est de Virgine, quod passum est in cruce, quod sedet ad dexteram Patris: et vinum altaris, postquam consecratum est, esse verum sanguinem, qui manavit de latere Christi. Et sicut ore pronuntio, ita me in corde habere confirmo. Sic me adiuvet Deus, et haec sacra »[1].

Alterum Berengarii iusiurandum in III. Synodo Romana.

5. Huc usque nonnisi de reali Christi praesentia in eucharistia quaestio fuerat vel agitata, vel explicite saltem ab Ecclesia definita. Tum cuius iam semina in praecedenti errore fuerant sparsa, novus error, retenta, ut videtur, de reali Christi praesentia catholica veritate, ab Haeresiarcha propagari coeptus: in Eucharistia una cum Christi corpore ipsam panis substantiam remanere; quo, uti claret, Transsubstantiatio impetebatur. Collecta igitur quarto Romae Synodus fuit a S. Gregorio VII. an. 1079. in qua, uti ferunt, ex animo resipiscens Berengarius ultimum, nec amplius infractum emisit iusiurandum in haec verba: « Ego Berengarius corde credo et ore confiteor panem et vinum, quae ponuntur iu altario (al. in altari) per mysterium sacrae orationis et verba nostri Redemptoris substantialiter converti in veram, et propriam, ac vivificatricem carnem et sanguinem Domini Nostri Iesu Christi (*al. Iesu Christi Domini Nostri*), et post consecrationem esse verum Christi corpus, quod natum est de Virgine, et quod pro salute mundi oblatum in cruce pependit, et quod sedet ad dexteram Patris, et verum sanguinem Christi, qui de latere eius effusus est, non tantum per signum et virtutem sacramenti, sed in proprietate naturae et veritate substantiae, sicut in hoc brevi continetur, et ego legi, et vos intelligitis. Sic credo, nec contra hanc fidem ulterius docebo. Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia »[2].

Novus Berengarii error.

Eiusdem retractatio in Synodo Romana an. 1079.

6. Si iurisiurandi Berengariani formulam consideremus, in ea bina formaliter doceri erit in confesso. Horum primum est: *Panem et vinum, quae ponuntur in altari, per mysterium sacrae orationis et verba nostri Redemptoris* SUBSTANTIALITER CONVERTI *in veram, et propriam, ac vivificatricem carnem et sanguinem Iesu Christi Domini nostri.* Alterum est: *Post consecrationem esse verum Christi corpus, quod natum est de Virgine..... et verum Christi sanguinem, qui de latere eius effusus est*, NON TANTUM PER SIGNUM ET VIRTUTEM SACRAMENTI, SED IN PROPRIETATE NATURAE, ET VERITATE SUBSTANTIAE. Nimirum formaliter asseritur conversio *panis secundum substantiam* in verum Christi corpus de Virgine natum, et realis ac substantialis praesentia ipsius Christi post conversionem. De panis desitione nihil dicitur explicite. Sed enim constat historice ex Lanfranco, Guitmundo, Algero, ac quotquot vel contra Berengarium, vel de haeresi Berengariana scripserunt, eo tempore et

Bina docentur in iureiurando Berengarii.

Substantialis conversio panis et vini.

Realis Christi praesentia post consecrationem.

De desitione panis nihil dicitur explicite.

---

[1] Mabillonius, *Analect. tom. 2. in observat. de multiplici Berengarii damnatione.*

[2] Cfr. Acta Synodi Rom. IV. apud Coletum. Pro historia vero haereseos Berengarianae, praeter laudatum Lanfrancum, adeas Durandum Troarnensem, *De Corpore et sanguine Christi, Pars Nona* — Guitmundum Aversanum, *De corpore et sanguine Domini, lib. 1. ab initio* etc. — Denzinger-Bannwart, *Enchiridion Symb.* etc.

ipsum Berengarium et Berengarianos varios sensisse una cum Christi corpore substantiam panis in eucharistia manere. Quin in ipsis Romanae illius quartae Synodi Actis sequentia leguntur: « Quidam, caecitate nimia et longa perculsi, figuram tantum substantiale illud corpus in dextera Patris sedens esse, seque et alios decipientes quibusdam cavillationibus conabantur adstruere »[1]. Hi ergo panis substantiam in eucharistia esse blasphemabant. Quare ergo nihil de ipsa, saltem explicite, dictum est? Plane tunc temporis conversionem substantiae panis asserere erat desitionem illius substantiae implicite aut ex consequenti edicere. Quopropter omnes fere illorum temporum Doctores, uti subinde videbimus, desitionem panis ex eius substantiali conversione inferebant. Persuasum enim erat omnibus idque, quemadmodum demonstrabimus, ex Patribus acceperant, ad veram conversionem desitionem termini *a quo* absolute requiri.

Quare.

Praeter binos articulos formaliter explicite definitos, desitio substantiae panis traditur formaliter implicite.

7. In hoc igitur fidei documento definiuntur *formaliter explicite* bini fidei articuli: — α) Conversio substantiae panis in Corpus Christi ex vi consecrationis: — β) Realis ac substantialis Christi praesentia in eucharistia, consecratione peracta. Absentia vero panis, conversione iam facta, continetur in ipsis *formaliter implicite*. *Formaliter* quidem, quia desitio termini *a quo*, atque adeo in re nostra, *substantiae panis*, est unum ex constitutivis ipsius conversionis; *implicite* vero, quia non directe et per se enuntiatur, sed in conversione directe et per se enuntiata continetur. Hic idem articulus desitionis substantiae panis infertur facili consequutione ex alio *realis praesentiae*, in concreto saltem seu secundum praesentem institutionem et connaturalem exigentiam considerato. Neque enim Christus potest *nunc* aliter fieri praesens in eucharistia, quam per conversionem panis et vini in ipsum, et consequenter quin ex ipso inferatur panis desitio. Ex his vero articulis, prout in iureiurando Berengariano proponuntur, intelligimus terminum *ad quem* conversionis eucharisticae esse ipsum individuum Christi corpus, quod est in coelo: terminum vero *a quo* dici *panem et vinum* (non substantiam panis et vini), quae *substantialiter*, nimirum vel *secundum substantiam*, vel *substantiali conversione convertuntur*, atque sic implicite secundum substantiam vel substantiali conversione dicuntur desinere: tandem conversionem ipsam perfici *per mysterium sacrae orationis et verba Redemptoris nostri;* quae proinde verba aliquo pacto, uti principium, ad conversionem concurrunt.

Quid dicendum de termino *ad quem*, et de termino *a quo*?

Quid de conversione?

Quid de verbis consecrationis?

§ II.

Ecclesiae scita in causa Almarici et Michaëlis Palaeologi.

8. Almaricus, natione Gallus, patria Carnutensis, testibus Genebrardo, Sandero, Prateolo aliisque, dictitare non verebatur: *Corpus Christi non aliter esse in pane altaris, quam in alio pane,*

[1] Cfr. Acta huius Synodi apud Coletum, an. 1079.

et in qualibet alia re, Transsubstantiationem, *inquit,* denegans »[1]. Huiusmodi error, inter alios, in Lateranensi IV., an. 1215. celebrato, fuit confixus, et fidei doctrina proposita in haec verba: « « In qua (*Ecclesia*) idem ipse Sacerdos est Sacrificium Iesus Christus, cuius corpus et sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis et vini veraciter continentur, Transsubstantiatis pane in corpus, et vino in sanguinem potestate divina, ut..... accipiamus ipsi de suo, quod accepit ipse de nostro »[2]. Definitio Later. IV. contra Almaricum.

9. Huic affinis est fidei professio, quam Clemens IV. an. 1267. Michaëli Palaeologo proposuit, quamque subinde per legatum suum, Georgium Acropolitam, in Concilio Lugdunensi II. an. 1274. Gregorio X. Imperator exhibuit, toto Concilio plaudente et acceptante. Huiusmodi autem professio in rem nostram sic habet: « Sacramentum Eucharistiae ex azymo conficit eadem Romana Ecclesia, tenens ac docens, quod in ipso Sacramento (ἐν αὐτῇ ἱεροτελεσίᾳ — in ipsa Sacramenti confectione) panis vere transsubstantiatur in corpus, et vinum in sanguinem Domini Nostri Iesu Christi »[3]. Professio fidei a Clemente IV. Michaeli Palaeologo proposita.

10. In quo utroque Ecclesiae documento primum omnium monendum est fidem catholicam definiri. Sin minus enim peculiare solemne iudicium, praefert utrumque universale et authenticum Ecclesiae magisterium in re fidei, quam fideles omnes amplecti et profiteri tenentur. Huiusmodi autem universale et authenticum magisterium unus ex modis est quo, testante Vaticano[4], fides catholica ab Ecclesia proponitur. Tum in priori definitione duplex articulus realis Christi praesentiae in eucharistia, et conversionis panis et vini in ipsum explicite proponitur: in altera, sola conversio panis et vini in Christi corpus et sanguinem: in utraque conversio Transsubstantiationis vocabulo designatur, idem omnino significante, quod *substantialiter converti* in iureiurando Berengariano. In utraque etiam definitione, tum quia id exigit Transsubstantiatio, uti supra dictum est; tum quia, in priori, erroris Almarici etiam intendebatur damnatio, implicite substantiae panis et vini continetur desitio. In Lateranensi tandem definitione innuitur *in obliquo* permanentia *specierum*, demonstraturque totius mysterii tum efficiens causa princeps in *potestate divina*, tum instrumentalis causa universalis *ipse sacerdos est sacrificium Iesus Christus*, qui, qua homo, ut instrumentum Verbo coniunctum omnes gratiae effectus operatur, quemadmodum docetur in Tractatu *De Incarnatione.* In Lateranensi definitione articuli bini explicite; alter solum in professione Palaeologo proposita.

Quid implicite, aut ratione priorum.

---

[1] Cfr. *Notas Severini Binii in Lateranense IV. apud Coletum.*

[2] *Lateranense IV. cap.* FIRMITER, *De Summa Trinitate.* Apud Denzinger-Banwart.

[3] Denzinger, *Enchiridion etc. Confessio fidei Michaelis Palaeologi:* Τὸ ἱερουργημα τῆς εὐχαριστίας ἐξ ἀζύμου ἐκτελεῖ ἡ τοιαύτη τῆς Ρώμης ἐκκλησία, κρατοῦσα καὶ διδάσκουσα ὅτι ἐν αὐτῇ ἱεροτελεσίᾳ ὁ ἄρτος ἀληθῶς μετουσιοῦται εἰς σῶμα, καὶ ὁ οἶνος εἰς αἷμα τοῦ κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ, κ. τ. λ. Cfr. litteras Michaelis Palaeologi in Actis Conc. Lugd. II. apud Coletum.

[4] Vaticanum, *Constit. Dogm. I. c. 3. De fide.* « Porro fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia *sive solemni iudicio, sive ordinario et universali magisterio,* tanquam divinitus revelata credenda proponuntur».

Collectio doctrinalis.

11. Haec obvia sunt legentibus. Interim animadvertamus oportet conversionem seu transsubstantiationem in utraque definitione ita adumbrari, ut terminus *a quo* dicatur *panis* et *vinum*, terminus *ad quem corpus* et *sanguis* Iesu Christi. Quandoquidem autem species panis et vini dicuntur permanere, panis et vinum in Christi corpus et sanguinem secundum substantiam dicuntur converti ac porro transsubstantiari. His ulterius subindicari videtur panis vinumque ceu *terminus totalis*, panis autem vinique substantia ceu *terminus formalis a quo;* Christi vero corpus et sanguis ceu *terminus formalis*, et sacramentum corporis et sanguinis Christi ceu *terminus totalis ad quem.* Hos demum terminos ita respicit transsubstantiatio, ut formaliter significet unum mutari transireve in alium secundum suam substantiam, quamvis non secundum species aut accidentia, substantiam nimirum panis in substantiam corporis Christi; et consequenter non amplius esse panem secundum substantiam, sed poni sub speciebus ac incipere esse corpus Christi.

§ III.

Ecclesiae scita in causa Wikleffi.

12. Iis, quae praecedunt, addendi sunt Ioannis Wikleffi articuli priores terni, a Concilio primum Constantiensi sess. VIII. damnati, subinde vero a Martino V. in Bullis: INTER CUNCTAS, et: IN EMINENTI, VIII. Kal. Mart. an. 1418. Hi autem articuli sunt:

Wikleffi articuli damnati tres.

I. *Substantia panis materialis, et similiter substantia vini materialis remanent in sacramento altaris;* II. *Accidentia panis non manent sine subiecto in eodem Sacramento;* III. *Christus non est in eodem Sacramento identice et realiter in propria praesentia corporali*[1]. Si horum articulorum contradicentes propositiones accipiantur, palam erit proponi hic ab Ecclesia formaliter explicite: — α) Absentiam seu non permanentiam materialis substantiae panis et vini in Sacramento altaris: — β) Permanentiam accidentium, aut saltem alicuius accidentis panis sine subiecto: — γ) Identicam, realem et corporalem praesentiam Christi. Tria vero haec in damnatione aut negatione erroris oppositi primo proposita, postmodum modo positivo sed quadantenus complexo exhibentur in articulis, de quibus suspecti: *Num essent Wikleffitae?* ex mandato eiusdem Martini erant interrogandi. Legimus enim in articulo XVI.: *Item, utrum credat quod, post consecrationem sacerdotis, in Sacramento altaris:* I. SUB VELAMENTO PANIS ET VINI — II. NON SIT PANIS MATERIALIS ET VINUM MATERIALE; — III. SED IDEM PER OMNIA CHRISTUS, QUI FUIT IN CRUCE PASSUS, ET SEDET AD DEXTERAM PATRIS[2].

Quaenam in hac damnatione contradictorie ab Ecclesia doceamur.

Articulus XVI. ex iis, de quibus suspecti Wikleffitae erant interrogandi.

13. Vel leviter exscriptos articulos perlustranti claret in ipsis

---

[1] Cfr. *Acta Conc. Constantiensis apud Coletum.*

[2] Cfr. *Bullam:* INTER CUNCTAS *loc. laud.* — Denzinger-Bannwart, *Errores Ioannis Wikleff — Interrogationes Wikleffitis... proponendae.*

de conversione aut transsubstantiatione nihil edici *formaliter explicite*. Fatendum tamen est transsubstantiationem asseri *formaliter aut virtualiter implicite* cum, ex praesenti institutione, substantia panis non desinat sub speciebus, nec sub ipsis extet realiter et substantialiter corpus Christi, nisi ratione conversionis aut transsubstantiationis panis in ipsum. Ceterum, uti videri potest in Theologorum Constantiensium sive *Brevi censura*, sive *Diffusa condemnatione* illorum Wikleffi articulorum, maxime ex dogmate transsubstantiantiationis in Scripturis fundato, ab Ecclesia vero in Lateranensi IV. proposito, atque a duobus saeculis sic intellecto, articuli illi, *primus* quidem ac *tertius* uti *haeretici;* secundus autem, uti *sapiens haeresim*, universaliter intellectus, ibidem damnantur.

In doctrina Constantiensi nihil *explicite* de transsubstantiatione, sed non item *implicite*.

14. Quandoquidem non parum lucis in rem nostram ex ea potest dimanare, iuverit *Brevem censuram* hoc loco afferre. In Sessione V. Concilii Constantiensis instituta fuit specialis theologorum Commissio, cui praeerant Eminentissimi Cardinales Cameracensis et S. Marci, necnon Episcopus Dolensis et Cisterciensis Abbas, atque in ipsam id muneris conlatum est, ut de Wikleffi articulis doctrinalem ferret sententiam. Hinc prodiit *Brevior censura*, quae sic habet[1].

Brevis censura articulorum Wikleffi a Theologis Constantiensibus lata.

15. *Substantia panis materialis, et similiter substantia vini materialis remanent in Sacramento altaris.* — Suprascripta conclusio est falsa, erronea et haeretica. Patet 1.° per illud Matth. 26. *Accepit Iesus panem etc. et ait: Hoc est corpus meum etc. Et accipiens calicem dixit: Hic est sanguis meus.* Ubi B. Ambrosius in libro *De Sacramentis:* « Iste panis, ante verba consecrationis, panis est usitatus. Ubi autem accesserit consecratio, de pane fit corpus Christi »[2]. Patet 2.° per determinationem sacri Concilii Lateranensis (Decret. lib. 1. t. 1.) *De Summa Trinitate cap.* FIRMITER, ubi sic ait: « Una vera est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur, in qua idem ipse Sacerdos et[3] sacrificium Iesus Christus, cuius corpus et sanguis in Sacramento altaris sub speciebus panis et vini veraciter continetur, transsubstantiatis pane in corpus, et vino in sanguinem potestate divina ».

Censura primi articuli.

16. *Accidentia panis non manent sine subiecto in Sacramento altaris.* — Hoc est falsum, et erroneum, et sapiens haeresim universaliter intellectum. Quia si talis quantitas, quae fuit quantitas panis, non manet sine subiecto in sacramento altaris, erit tunc vel in corpore Christi, vel in pane, vel in utroque, vel in aere circumstante. Non *primum*, quia corpus Christi non est quantum tali quantitate; esset enim monstrosum: tum quia talem formam habet, qualis in iudicio apparebit, secundum Magistrum[4]. Non *secundum*, quia tunc panis iste non esset conversus in corpus Chri-

Censura articuli secundi.

---

[1] Cfr. *Acta Conc. Const. Sess. V* apud Coletum. *Tenor avisamentorum in materia fidei.*

[2] Auctor lib. *De Sacramentis, lib. 4. c. 4. n. 14.* — De auctore huius Operis Cfr. *praefationem in libros De Sacramentis,* inter Op. Ambrosii apud Migne.

[3] *Et,* sic antiquitus legebatur. Bannwart in Enchiridio habet: *est.*

[4] Magister, *IV. Dist. 12. cap. Si autem convertitur.*

sti, nec transsubstantiatus, contra Decretalem *De Summa Trinitate et fide catholica.* Essent etiam falsae istae propositiones demonstrativae: *Hoc est corpus meum*, et: *Hic est sanguis meus*[1]: quod est haereticum. Nec *tertium.* Nulla enim substantia remanet in sacramento altaris, nisi corpus Christi, *De Consecrat. Dist. 2. cap.* OMNIA, ubi sic, et sunt verba Ambrosii, et recitantur a Magistro *in IV. Dist. XI. cap.* QUIDAM VERO: « Panem illum, quem sumimus in mysterio, illum utique intelligo, qui manu Spiritus Sancti formatus est in utero Virginis, et igne passionis decoctus in ara crucis..... Unde *Ioan. VI.: Ego sum panis vivus. Et panis, quem ego dabo etc.* ». Ex his duabus sententiis aperte potest intelligi, quod panis iste et iste non sunt duo, sed unus. Non *quartum*, quia aer circumstans est locus illius quanti, vel ultima superficies eius. — Patet etiam haeresis istius conclusionis, quia qui aliter sentit de Sacramento Ecclesiae, quam Romana Ecclesia, haereticus est. Romana autem Ecclesia sentit accidentia esse sine subiecto in sacramento altaris, *De celebr. Miss. Decret. lib. 3. c. 6. Cum Martha — De Haereticis, Decret. lib. 5. c. 9. Ad abolendam;* ideo etc. ».

Censura articuli tertii.

17. *Christus non est in eodem sacramento identice et realiter in propria praesentia corporali.* — Ista conclusio est falsa, erronea, et haeretica. Tum 1.° probatur *De Consecrat. Dist. 2. c. 35.* — QUIA CORPUS, ubi sic habetur « Nam invisibilis Sacerdos viles creaturas in substantiam corporis et sanguinis sui verbo suo secreta potestate convertit, dicens: *Accipite, Hoc est corpus meum.* Et S. Augustinus *in lib. sententiarum Prosperi:* « Fateamur ante consecrationem panem esse et vinum, quod natura formavit; post consecrationem vero corpus Christi esse (al. carnem et sanguinem), quod benedictio consecravit »[2]. Tum 2.°, quia qui de Sacramento corporis et sanguinis Domini Nostri Iesu Christi aliter sentire vel docere non metuunt, quam S. Romana Ecclesia praedicat et observat, haeretici sunt censendi, *De Haereticis, cap.* AD ABOLENDAM. Sed Ecclesia Romana observat et docet Corpus Christi idem esse in sacramento, *De Consecrat. Dist. 2. c. 38.* IN QUIBUS, ubi dicitur, quod Sancta Synodus in Urbe congregata sub Leone fatetur quod in sacramento sicut corpus Domini vere est cibus, ita sanguis vere est potus, et est illud idem corpus, de quo dictum est: *Caro mea vere est esca, et sanguis meus vere est potus*, circa quod corpus aquilae sunt, quae alis circumvolant spiritalibus (*Glossa I.* virtutibus). Unde et idem corpus Christi edimus, ut vitae aeternae possimus esse participes. Et secundum Magistrum, *Dist. X. cap.* SUNT ET ALII: Iste est error insaniam transcendens. Et secundum Richardum, *Dist. eadem*, summe debent omnes catholici detestari et persequi errorem istum pessimum impiorum, qui dicunt corpus Christi non contineri realiter in Sacramento altaris,

---

[1] *Matth.* 26, 26-28.

[2] Sententia istaec in *lib. Sententiarum Prosperi* nec verbis, nec sensu invenitur: sensus vero Augustini est, quamvis verba fuerint aliquantillum immutata. Cfr. Serm. 227, n. 1. — 234, n. 2. — 272, n. 1. etc. Migne.

sed tantum ibi esse sicut in signo. Quem errorem retractavit Berengarius Romae coram centum et tredecim Episcopis, ut patet *De Consecrat. Dist. 2. cap.* NOS AUTEM[1] ».

18. In damnatione igitur Wikleffi transsubstantiationis doctrina certissime continetur. Ea vero ex parte terminorum *a quo* et *ad quem* significatur, quatenus de pane docetur in sacramento non manere seu quoad substantiam totam desinere, manentibus accidentibus sine subiecto; de corpore autem Christi asseritur ipsum sub accidentibus panis esse *identice et realiter in propria substantia.* In his autem illud unum monendum est, Concilium sic excludere a Sacramento altaris panis vinique substantiam ut, quidquid panis vinique corporalis pro statu reali substantiam constituit, a Sacramento altaris intellexerit exclusum; uti quidquid identice, realiter, in propria substantia ad corpus Christi pertinet, in eodem Sacramento docet contineri. Collectio.

§ IV.

Ecclesiae scita ex Concilio Florentino.

19. In re, quam prae manibus habemus, nobile documentum est Confessio Graecorum a Nicaeno Episcopo Bessarione, postmodum S. R. Ecclesiae Cardinali, exhibita in Concilio Florentino, die 5. Iulii an. 1438, praesidente ipso Eugenio Papa IV., adstantibus vero S. R. Ecclesiae Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Doctoribus et Magistris tam Latinis, quam Graecis et, uno excepto contradicente Marco Ephesino, eandem adprobantibus. Porro Confessio illa sic est. Confessio Graecorum in Concilio Florentino.

« Beatissime Pater, Vosque Reverendissimi Patres et Domini hic praesentes ». Confessionis tenor.

« Quoniam in praecedentibus congregationibus nostris, inter alias differentias nostras, ortum est dubium de consecratione Sanctissimi Sacramenti Eucharistiae; et aliqui suspicati sunt nos et Ecclesiam nostram non credere illud pretiosissimum Sacramentum per verba Salvatoris Domini N. Iesu Christi confici; propter hanc causam adsumus coram Vestra Beatitudine, omnibusque aliis hic adstantibus, qui pro parte S. Romanae Ecclesiae sunt, ad certificandum Vestram Beatitudinem, et alios Patres et Dominos hic praesentes de hac dubitatione, et dicimus breviter: Nos usos fuisse Scripturis et sententiis Sanctorum Patrum: cognoscentes et animadvertentes fragilitatem humani sensus volumus adhaerere sententiis Sanctorum Patrum et rationibus, spretis humanis inventis. Qua quidem de re, Pater Beatissime, cum, in omnibus aliis, auctoritatibus Patrum Sanctorum usi sumus, etiam his in praesenti dubitatione utimur. Et quoniam ab omnibus Sanctis Doctoribus Ecclesiae, praesertim ab illo beatissimo Ioanne Chrysostomo, qui

[1] Cfr. Coletum in appendice ad Constantiense, ubi habetur etiam *Diffusa Condemnatio.*

nobis notissimus est, audimus verba Dominica esse illa, *quae mutant et transsubstantiant panem et vinum in verum corpus Christi et sanguinem, et quod illa verba divina Salvatoris omnem virtutem Transsubstantiationis habent;* nos ipsum sanctissimum Doctorem et illius sententiam sequimur de necessitate. De hac quaestione breviter diximus et sufficienter, et vestram Beatitudinem de nostra intentione certam reddimus[1] ».

Ad huius Confessionis intelligentiam animadversio praevia.

20. Qua in confessione primum omnium animadvertamus oportet Latinos Patres, uti constat ex historia et ex ipsius Bessarionis verbis, non dubitasse ullo modo de fide Graecorum in consecrationem Transsubstantiationemque panis et vini in Christi corpus et sanguinem; sed dubitasse solum quibus verbis consecrationem illam Transsubstantiationemque fieri tuerentur. Huic dubitationi causam dederat Marcus Ephesinus, contendens non fieri consecrationem Domini verbis: *Hoc est corpus meum*, sed precibus illis quae, post Domini verba, a Graecis funduntur. Huiusmodi ergo dubitationem disiicere, communemque Ecclesiae Graecae fidem de forma Sacramenti Eucharistiae statuere volens Bessarion, superiorem, uno obnitente Marco Ephesino, probantibus vero Graecis omnibus reliquis, Confessionem edidit. Ceterum, ut diximus, Marcus ipse Ephesinus consecrationem Transsubstantiationemque non negabat, sed negabat solum fieri verbis Domini, seu contendebat fieri precibus apud Graecos illa verba subsequutis, quasque ipsi vocant uno nomine ἐπίκλησιν[2].

Illustratur Confessio.

21. His adnotatis, ad rem nostram quod attinet, heic in obliquo quidem, sed tamen luculenter Ecclesiae Graecae cum Latina consentientis in Transsubstantiationem panis et vini in corpus et sanguinem Christi Domini fides apparet. Habemus enim in Confessione ipsum Transsubstantiationis dogma, tum apertam professionem, eam fieri Domini verbis quae transsubstantiandi pollent virtute. Nihil quidem directe et formaliter edicitur neque de transsubstantiationis propria ratione, neque de eius terminis; indirecte tamen et quadantenus exercite tum transubstantiatio ipsa per *mutationem panis* declaratur virtutique deputatur efficienti, tum eiusdem termini attinguntur, quatenus ad activam illam mutationem unus, panis videlicet, requiritur tanquam id, quod passive mutatur ac porro desinit, alter, nempe Christi corpus, tanquam id in quod fit mutatio, et consequenter loco panis incipit esse, aut ponitur. Quae mutatio ipso Transsubstantiationis nomine ad substantiam usque pertingere innuitur.

Instructio Eugenii IV. pro Armenis.

22. Hanc Graecorum Confessionem pone sequitur et in re identica ipsi est Eugenii IV. Instructio pro Armenis, in Bulla: *Exultate Deo*, clauso nondum Concilio Florentino edita. Habet autem: « Sacerdos in persona Christi loquens hoc conficit Sacramentum.

---

[1] Cfr. *Acta Conc. Florentini apud Coletum*, ex quo disces quare non passim huius Confessionis Graecus textus prostet omnibus, cum tamen de documenti authentia nullus dubitationi esse locus possit.

[2] De *Epiclesi* Cfr. *Dictionnaire de Théologie Catholique*, Vacant-Mangenot, *Epiclèse Eucharistique*. — S. Salaville, p. 134, seqq.

Nam ipsorum verborum virtute substantia panis in corpus Christi, et substantia vini in sanguinem convertuntur »[1]. Hic etiam directe sermo est de forma Sacramenti Eucharistiae, cui conversio ipsa, uti saepe alias, tribuitur: quod qua ratione intelligendum sit, suo loco declarabitur. Interim ipsa conversio terminative exhibetur, quin speciale quid de ipsis terminis enuntietur. Pontificis verba declarantur.

§ V.

Ecclesiae scita ex Concilio Tridentino.

23. Accedimus iam ad Concilium Tridentinum in quo, cum fere quaecumque ad admirabile Eucharistiae pertinent mysterium fuissent a Novatoribus saeculi XVI. impugnata, catholica etiam veritas fuit plenius discussa, atque luculentius fidei nostrae proposita. Pro praesenti autem nostro instituto sequentia tantum excerpere sit satis. « Si quis negaverit in sanctissimo Eucharistiae Sacramento contineri vere, realiter et substantialiter Corpus et Sanguinem una cum anima et divinitate Domini Nostri Iesu Christi, ac proinde totum Christum; sed dixerit tantummodo esse in eo, ut in signo, vel figura, aut virtute, A. S. » — « Si quis dixerit in sacrosancto Eucharistiae Sacramento remanere substantiam panis et vini una cum Corpore et Sanguine Domini Nostri Iesu Christi; negaveritque mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiae panis in Corpus, et totius substantiae vini in Sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis et vini; quam quidem conversionem catholica Ecclesia aptissime Transsubstantiationem appellat, A. S. ». Age vero quamvis bini hi canones, qui primus et secundus sunt, canonibus aliis reliquis compleantur quodammodo illustrenturve; speciale tamen complementum plenioremque lucem in canonibus quarto et octavo nanciscuntur. Quartus habet: « Si quis dixerit, peracta consecratione, in admirabili Eucharistiae Sacramento non esse Corpus et Sanguinem Domini Nostri Iesu Christi, sed tantum in usu dum sumitur, non autem ante, vel post; et in hostiis, seu particulis consecratis, quae post communionem reservantur vel supersunt, non remanere verum Corpus Domini, A. S. ». Octavus vero: « Si quis dixerit Christum in Eucharistia exhibitum spiritualiter tantum manducari, et non etiam sacramentaliter, ac realiter, A. S. »[2]. Tridentinum. Tridentini canones. Primus. Secundus. Quartus. Octavus.

24. In capitibus vero dogmaticis, in quibus doctrinam canonibus definiendam *fere semper* Tridentinum praeformat, ac plenius evolvit, sequentia in rem nostram graviter enuntiantur: « Principio docet sancta Synodus, et aperte ac simpliciter profitetur, in almo sancto Eucharistiae Sacramento, post panis et vini consecrationem, Dominum nostrum Iesum Christum, verum Deum atque Canonum in capitibus praeformatio. De praesentia Christi in Eucharistia.

---

[1] Habetur *Instructio* in Actis Concilii Florentini apud Coletum, et apud Denzinger-Bannwart in *Enchiridio Symbolorum* etc.

[2] *Tridentinum, sess. 13. can. 1. 2. 4. 8.*

hominem, vere, realiter ac substantialiter sub specie illarum rerum sensibilium contineri..... Ita enim maiores nostri omnes, quotquot in vera Christi Ecclesia fuerunt, qui de sanctissimo hoc sacramento disseruerunt, apertissime professi sunt hoc tam admirabile Sacramentum in ultima coena Redemptorem nostrum instituisse cum, post panis vinique benedictionem, se suum ipsius corpus illis praebere ac suum sanguinem disertis ac perspicuis verbis testatus est[1] ». Tum vero: « Commune hoc quidem est sanctissimae Eucharistiae cum ceteris sacramentis, symbolum esse rei sacrae, et invisibilis gratiae formam visibilem: verum illud in ea *excellens et singulare* reperitur, quod reliqua Sacramenta tunc primum sanctificandi vim habent, cum quis illis utitur: at in Eucharistia ipse sanctitatis auctor ante usum est. Nondum enim Eucharistiam de manu Domini Apostoli susceperant, cum vere tamen ipse affirmaret corpus suum esse, quod praebebat: et semper haec fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem, verum Domini nostri corpus, verumque eius sanguinem sub panis et vini specie una cum ipsius anima et divinitate exsistere[2] ». Tandem de Transsubstantiatione directe loquutum haec subdit: « Quoniam Christus Redemptor noster corpus suum id, quod sub specie panis offerebat, vere esse dixit; ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idque nunc denuo sancta haec synodus declarat, per consecrationem panis et vini conversionem fieri totius substantiae panis in substantiam corporis Christi Domini nostri, et totius substantiae vini in substantiam sanguinis eius: quae conversio convenienter et proprie a sancta catholica Ecclesia Transsubstantiatio est appellata[3] ».

Non solum in usu, sed etiam ante usum.

De Transsubstantiatione panis et vini in corpus et sanguinem Christi.

Quot, et quaenam in canonibus certo credenda proponuntur.

25. Praecipua haec sunt, quae ex Tridentino pro disquisitione nostra possunt afferri. Interim, si quis obiter animadvertat, intelliget plane, quod omnes Theologi fatentur, in canonibus tria *formaliter explicite*, et quidem certo, credenda proponi. Sunt autem: — α) Vera, realis et substantialis praesentia Christi in Eucharistia, quae definitur contra Sacramentarios blaterantes Christum ibi non esse, nisi: *ut in signo, vel figura, aut virtute.* Quod dogma completur canone quarto definiente, contra Lutheranos, Christum esse in Eucharistia non solum *in usu*, sed etiam, facta consecratione, *ante et post usum;* et canone octavo definiente, contra Calvinistas, Christum in Eucharistia manducari non solum *spiritualiter* per solam fidem, ut haeretici effutiebant, aut per fidem et caritatem, quae etiam fidei doctrina est; sed etiam *sacramentaliter et realiter*, quatenus et sacramentum corporis Christi, et reale ipsum Christi corpus in sacramento manducatur: quod ipsum in formula fidei in Synodo Romana II. a Berengario subscripta aliis verbis enuntiabatur: — β) Contra Impanatores et Companatores, aut Consubstantiatores definitur: « In sacrosancto Eucharistiae Sacramento non

[1] *Tridentinum, Sess. 13. cap. 1.*
[1] *Tridentinum, Sess. 13. cap. 3.*
[2] *Tridentinum, Sess. 13. cap. 4.*

remanere substantiam panis et vini una cum corpore et sanguine Domini nostri Iesu Christi »: — γ) Contra utrosque et Novatores reliquos asseritur: « Mirabilis et singularis conversio totius substantiae panis in corpus et totius substantiae vini in sanguinem » Christi Domini.

An permanentia specierum sit formaliter a Tridentino definita.

26. Legitur in canone secundo: *Manentibus duntaxat speciebus.* Haec verba, ex modo enunciationis, Doctoribus aliquibus videntur tantum incidenter dicta, et non continere specialem propriamque definitionem de permanentia realium specierum panis et vini, quaecumque demum earum natura sit, in Eucharistiae Sacramento transsubstantiatione peracta. Repugnant alii et, ut videtur, merito. Verba enim illa duplex superius eiusdem canonis membrum fidei nostrae propositum revera complent, unumque cum iisdem fidei obiectum adaequate enuntiant. Complent plane prius membrum quasi *per oppositionem*, ut sensus sit: *Non remanet panis vinique substantia, sed remanent utriusque species.* Complent secundum quasi *perfective*, quatenus ad praesentem conversionem, ex constituto ordine sacramentali, permanentia accidentium aut specierum panis et vini ad hanc conversionem necessaria est, ut adeo sensus canonis sit: *Non neganda, sed agnoscenda in eucharistia talis conversio est ut, dum tota panis vinique convertitur substantia, atque porro non remanet, remaneant accidentia*, quasi commune quiddam utrique conversionis termino non solum *in fieri*, sed etiam *in facto esse*, uti suo loco veteres Theologos, ac ipsum D. Thomam, fere loquutos audiemus. Tum eiusmodi conversio dicitur *singularis*, quatenus per hoc, quod est totius substantiae in totam substantiam, remanentibus speciebus, ab omni alia tam naturali, quam supernaturali differt conversione, privumque illud habet et aliis non commune; dicitur vero *mirabilis* ad eum modum, quo in cap. 3. *admirabilis* dicitur unio hypostatica, nimirum strictissime et propriissime supernaturalis; et in cap. 2. ipsum sacramentum dicitur *memoria mirabilium Domini*, utpote quod et miracula plura continet, et mira alia plura, quae Christus pro nobis fecit, commemorat. Tandem in iisdem canonibus, aut in canone 2. nomen *Transsubstantiationis*, ceu aptissimum ad dogma conversionis huius significandum, ab Ecclesia adhiberi declaratur[1].

Doctrina formaliter explicite in capitibus declarata.

27. Si iam ad doctrinam in capitibus enucleatam convertamur, in ea bina tantum *formaliter explicite* in rem nostram proponuntur. Primum est realis Christi praesentia sub speciebus panis et vini ex vi institutionis et ex significatione verborum Christi Domini. Alterum est ipsa conversio totius substantiae panis et vini in substantiam corporis et sanguinis Christi: quam conversionem ex veritate verborum Christi Redemptoris Ecclesia semper intellexit, et convenienter et proprie Transsubstantiationem appellat. Praeterea saepius diserte inculcatur specierum panis et vini per-

---

[1] Cfr. Franzelin, *De SS. Eucharistiae Sacram. et Sacrificio, Thes. 16. II.*, et Doctores ab eo laudatos, praesertim Soto. *In IV. Dist. 11. q. 2. a. 1*, et Suarez, *In 3.am p.em D. Thomae, tom. 3., Disp. 56. sect. 1.*

manentia. Legimus: *Christum verum Deum atque hominem vere, realiter ac substantialiter sub specie illarum rerum sensibilium contineri — sub panis et vini specie una cum ipsius anima et divinitate exsistere; sed corpus quidem sub specie panis, et sanguinem sub specie vini, ex vi verborum..... Redemptor noster corpus suum id, quod sub specie panis offerebat, vere esse dixit.*

Quaestio. 28. Si quis quaerat: Quare, cum tria saltem *formaliter explicite* Tridentina Synodus in canonibus definiat, ad duorum tantum definitionem, in capitibus, viam sternat? Responsio. Responderi forsan non incongrue potest capita, potius quam rebus definitis, respondere canonibus definitionem exprimentibus. Cum autem dogma de non remanente panis vinique substantia eodem canone cum dogmate conversionis proponatur, uno eodemque capite IV. utrumque dogma reapse praeparari quis autumabit, quamvis formalius ipsam conversionem. Hac enim posita, ex omnium saeculorum catholico intellectu quin, datis terminis, solo rationis lumine ceu consequentia aut descensus illativus a toto ad partem, non subiectivam sed constituentem, substantiae panis non permanentia facillime infertur. Ceterum tria haec, realis substantialisque Christi praesentia in Eucharistia, absentia substantiae panis, conversio unius in alium, quin ipsa specierum panis permanentia, cum locum non habeant nisi ex vi institutionis Christi, ubi de facto loquimur, aut ex ordine sacramentali, aut de potentia ordinata, non autem de iure, aut de alio ordine qui *forsan* potuisset institui, aut de potentia absoluta, sic realiter sunt inter sese connexa, ut unum negari nequeat, quin de facto et reipsa negentur omnia; et omnia et singula saltem implicite affirmentur, ubi eorum aliquod fuerit affirmatum. Neque enim in praesenti ordine dari potest Christus praesens in Eucharistia, quin absit substantia panis, adsint vero species, et hoc totum ratione conversionis unius in alium; neque rursum substantia panis abest aut potest abesse, quin adsit Christus ex vi conversionis substantiae panis in ipsum, manentibus solummodo panis speciebus; neque demum dari potest conversio eucharistica, quin sit conversio totius substantiae panis desinentis in Christi corpus sub remanentibus speciebus.

Articuli a Tridentino definiti, ex vi praesentis institutionis, inter se connexi.

Quid si praecisis conceptibus loquamur? 29. Fatendum tamen est, si non re et identice sed praecisis loquamur conceptibus, terminos conversionis eucharisticae in seipsis inspectos, et non formaliter uti conversionis terminos, sic se habere, ut sine conversione possint intelligi et cogitari; conversionem vero sine ipsis nequaquam. Absolute enim cogitari potest Christus praesens in Eucharistia, quin cogitetur de praesentia vel absentia panis, aut de conversione panis in ipsum; imo, iuxta plures saltem Doctores, absolute Christus posset esse praesens in Eucharistia, pane non absente, nec in ipsum converso. Eodem pacto cogitari potest absolute, imo absens esse absolute potest panis substantia, quin Christus praesens cogitetur vel sit, et quin substantia panis sit aut intelligatur conversa. Connexio nimirum inter istos terminos in Eucharistia realis est, non autem intentionalis; seu non est ordinis logici, atque adeo unius noster conce-

ptus praecisivus haberi potest sine praecisivo conceptu alterius. Imo, iuxta aliquos saltem, eadem connexio non est ordinis metaphysici seu adaequatarum rationum formalium, ita ut repugnet absolute unum adaequate cognosci aut esse sine alio; sed est ordinis solummodo realis libera Christi voluntate instituti, ac porro esse nunc unus nequit in rerum natura, nec cogitari nunc in rerum natura exsistens sine altero. At vero cogitari nequit neque absolute haberi conversio quaelibet, neque haec conversio, quin formaliter saltem inadaequate, implicite aut explicite, vel termini universim, vel hi termini, quorum unus desinat ex vi conversionis et alter ponatur, cogitentur, aut unus ex vi conversionis ponatur et alter desinat. Ratio est, quod conversio in sua ratione non solum reali, sed etiam metaphysica et logica, prout nimirum adaequato inadaequatove mentis conceptui subest, terminos, quorum unus desinat alter ponatur, aut universim, aut determinatos includit.

Em. Card. Franzelin declaratur.

30. Ex his facile datur intelligi quo sensu vera sint, quae subtiliter, more suo, hac super re disputat Cardinalis Franzelin. Considerat Em. auctor tres hos fidei articulos partim spectato modo, quo a Tridentino proponuntur; partim vero secundum conceptus formales praecisivos singulorum articulorum, non habito *ubique* respectu neque ad res, prout de facto fiunt, neque prout fieri debent ex vi ordinis aucharistici, pro praesenti oeconomia a Christo Domino instituti. Sub illa ergo duplici consideratione, missis ceteris, optime asserit: — α) Si quis affirmaret praesentiam Christi, non hoc solo affirmaret absentiam panis et conversionem unius in alium; negaret autem utrumque, si primum negaret. Ista enim vera sunt, quatenus in canonibus Tridentinis praesentia Christi asseritur, quin asserantur alia; et illa praesentia praecise spectetur, seu spectetur non prout subest ordini eucharistico: dum contra absentia panis et conversio sic definiuntur, ut prior Christi praesentiam, altera utrumque complectatur: in sensu autem praeciso negatio praesentiae Christi esset quidem negatio conversionis, sed non esset negatio absentiae panis. Eodem pacto optime asserit: — β) Affirmationem absentiae panis esse affirmationem praesentiae Christi; negationem vero absentiae panis non esse negationem praesentiae Christi. Primum enim locum habet ratione complexionis catholicae; alterum secundum conceptus praecisivos. Atque idem vel simile quid dicendum de reliquis, quae ibidem persequitur. Nam, pro suo scopo, conversionem eiusque terminos non secundum omnem versat rationem, sed secundum illam, quae derivatur ex conceptibus praecisis, et ex catholica complexione aut propositione harum fidei veritatum. Consule ipsum Eminent. Auctorem, qui te optima plura, uti semper, hac etiam in re docebit [1].

Collectio ex definitionibus Tridentinis.

31. Ex considerata tota Tridentini doctrina novum revera fere nihil, sed plenius aliquid habemus ad rectam dogmatis Transsubstantiationis intelligentiam capiendam. Uti enim ex superius dictis intelligitur, Tridentinum, una cum nomine *Transsubstantiatio-*

[1] Em. Card. Franzelin, Op. laud. Thes. 12. I.

nis, ipsius praebet clarissime realem notionem, ut sit: *Conversio totius substantiae panis in corpus, et totius substantiae vini in sanguinem* (CHRISTI), *manentibus duntaxat speciebus panis et vini.* In qua quidem definitione praedicatum differentiale est perspicuis verbis declaratum, et ratione ipsius haec conversio dicitur *mirabilis et singularis.* At vero praedicatum genericum, *conversio* videlicet ipsa, fere non plus, quam in superioribus documentis illustratur. Illud plane intelligitur, in hac conversione quidquid est non metaphysicae, sed realis et physicae substantiae panis prorsus desinere. Dicitur enim *tota* realis panis substantia *non remanere, manentibus duntaxat speciebus.* Si autem reale quid, quodcumque demum illud esset, de substantia panis remaneret, neque *tota non remaneret*, neque *manerent solummodo species.* De altero vero conversionis termino asseritur *totum Christum* sub speciebus esse aut poni, proxime quidem ex vi consecrationis aut verborum Domini, remote autem ex vi institutionis ipsius Christi. Hoc autem minus determinatum est quam id, quod legimus in iureiurando Berengariano et in aliis documentis superius laudatis, in quibus ipse Christus, qui *ex Virgine* natus est, qui *in cruce pependit*, qui *est ad dexteram Patris* in Sacramento poni aut esse dicitur ex *vi verborum Domini*, ac *potestate divina.* In Tridentino igitur, uti in superioribus Ecclesiae scitis, aperte habetur totum panem aut totam physicam panis substantiam (utroque enim modo loquitur) ex vi conversionis desinere, manentibus duntaxat panis vinique speciebus, totum autem Christum poni et esse, illum plane eundem, qui nunc est quique, prout in diversa aetate et statu individua humana sibi identica sunt, sibi identicus est prorsus, quamvis hoc, ut diximus, a Tridentino expresse non significetur.

§ VI.

Ecclesiae scita ex damnatione Pistoriensium.

Damnatio Pistoriensium.

32. Superest ut postremum, hac in re, Ecclesiae authentice docentis solemniterque definientis iudicium afferamus, damnationem videlicet Synodi Pistoriensis a Pio VI. in Constitutione: AUCTOREM FIDEI, V. Kal. Sept. an. 1794. fulminatam. Est autem:

Textus censurae.

« Doctrina Synodi, qua parte tradere instituens fidei doctrinam de ritu consecrationis, remotis quaestionibus scholasticis circa modum, *quo Christus est in Eucharistia*, a quibus Parochos docendi munere fungentes abstinere hortatur, duobus his tantum propositis: 1.° Christum, post consecrationem, vere, realiter, substantialiter esse sub speciebus: 2.° tunc omnem panis et vini substantiam cessare, solis remanentibus speciebus, prorsus omittit ullam mentionem facere transsubstantiationis, seu conversionis totius substantiae panis in corpus, et totius substantiae vini in sanguinem, quam velut articulum fidei Tridentinum Concilium definivit, et

quae in solemni fidei professione continetur[1]; quatenus per inconsultam istiusmodi suspiciosamque omissionem notitia subtrahitur tum articuli ad fidem pertinentis, tum etiam vocis ab Ecclesia consecratae ad illius tuendam professionem adversus haereses, tenditque adeo ad eius oblivionem inducendam, quasi ageretur de quaestione mere scholastica: *perniciosa, derogans expositioni veritatis catholicae circa dogma Transsubstantiationis, favens haereticis* »[2].

Expositio textus ex parte rei damnatae.

33. Ex hac damnatione sponte fluit sua: — α) Pistorienses a S. Pontifice non damnari ex eo et in eo, quod in re praesenti docent, sed ex eo et in eo, quod deberent docere et non docent, seu in eo, quod omittunt: *Doctrina Synodi*, ait Pontifex,..... *prorsus omittit ullam mentionem facere.....* Tum: — β) Quamvis damnari potuissent ex eo et in eo, quod plura omittunt circa modum, QUO CHRISTUS EST in Eucharistia; omnia enim, quae huc faciunt, indistincta quadam ratione inter quaestiones scholasticas amandare videntur Pistorienses, uti colligitur ex illis verbis: *Doctrina Synodi, qua parte instituens tradere fidei doctrinam de ritu consecrationis*, REMOTIS QUAESTIONIBUS SCHOLASTICIS CIRCA MODUM, QUO CHRISTUS EST IN EUCHARISTIA, *a quibus Parochos docendi munere fungentes* ABSTINERE HORTATUR: quamvis ergo potuissent exinde damnari; tamen certum est eos non damnari de facto, nisi ex eo et in eo, quod omittunt fidei articulum circa modum, quo *Christus* EST PRIMO *praesens* in Eucharistia. Damnatur enim illa doctrina, quatenus: *Prorsus omittit ullam mentionem facere transsubstantiationis, seu conversionis.....*, quae subinde dicitur fidei articulus consecrata ab Ecclesia voce designatus. Praeterea: — γ) Si damnantur Pistorienses, quod omittunt doctrinam tradere articuli transsubstantiationis; non damnantur quod utcumque omittunt doctrinam illam tradere sive explicite, sive implicite; sed damnantur, quod explicite tradere omittunt: *Prorsus omittit* ULLAM MENTIONEM FACERE *transsubstantiationis..... quatenus per inconsultam istiusmodi suspiciosamque omissionem* NOTITIA SUBTRAHITUR *tum articuli ad fidem pertinentis, tum* VOCIS AB ECCLESIA CONSECRATAE. Iam vero *mentio, notitia articuli*, ac praesertim *vocis transsubstantiationis* evidenter explicitam doctrinae traditionem signant, quidquid demum sit: utrum res, de qua sermo est, in re ipsa implicite contineatur necne.

Expositio textus ex parte censurae latae.

34. Quapropter Pistorienses damnantur quod, una cum duobus aliis articulis ab ipsis explicite propositis, de reali praesentia Christi in Eucharistia et de absentia substantiae panis manentibus speciebus, non explicite proposuerunt tertium articulum de Transsubstantiatione a Tridentino definitum, ac consecrata ab Ecclesia voce commendatum, et qui in solemni fidei professione continetur. Ob hanc omissionem eorum doctrina damnatur uti: *Perniciosa, derogans expositioni veritatis catholicae circa dogma Trans-*

---

[1] Denzinger-Bannwartt, *Enchiridion* etc. *Professio fidei Tridentinae a Pio IV. praescripta.*

[2] *Idem, Ibidem, Propos. 85. Synodi Pistoriensis a Pio VI damnatae, propos. 29.*

substantiationis, *favens haereticis*. Rationes, quae afferuntur ad hanc sententiam roborandam, sunt: Quod *per huiusmodi omissionem*, quae dicitur *inconsulta*, seu sine sufficienti ratione et consilio; et, spectatis auctoribus ac tota connexione doctrinae, asseritur *suspiciosa*: — α) *Notitia subtrahitur tum articuli ad fidem pertinentis, tum etiam vocis ab Ecclesia consecratae ad illius tuendam professionem adversus haereses* — β) Quod ea omissio: *Tendit adeo ad eius* (articuli) *oblivionem inducendam, quasi ageretur de quaestione mere scholastica.*

Censura illustratur.

35. Porro duplex haec ratio sufficiens est ad illam damnationem uti primo irrogandam, sic subinde defendendam. Enimvero subtractio notitiae articuli fidei, qui in solemni Ecclesiae professione continetur, atque vocis consecratae ad illam veritatem adversus haereses tuendam, spectari potest sive relate ad fidem ipsam, praesertim in fidelibus, sive relate ad fidei propositionem. Priori sub adspectu, illa subtractio est *perniciosa*, utpote damnum inferens et quasi mortem fidei, praesertim in fidelibus: sub altero autem, est *derogans expositioni veritatis catholicae circa dogma Transsubstantiationis*. Qui enim omittit articulum exponendum, hunc eundem articulum subtrahit expositioni veritatis catholicae: subtrahere autem aliquid expositioni veritatis catholicae est, dubio procul, eidem derogare. — Praeterea omissio sine ratione, imo suspiciosa articuli fidei exponendi, et vocis consecratae ad ipsum adversus haereses defendendum, praesertim si affectatione quadam insinuetur illum pertinere ad quaestiones mere scholasticas, vel negationi implicitae aequivalet eiusdem articuli, vel saltem subindicat articulum illum definitum fidei catholicae consecratamque vocem ad illum significandum non eo in pretio haberi, ut opus sit ea, modo ab Ecclesia determinato, fidelibus tradere ad eos contra haereses obarmandos. Doctrina autem huiusmodi est *favens haereticis*, sive quia eis veritatem fidei malitiose prodit, sive quia ex sese tendit ad eis fideles ipsos tradendum subvertendos[1].

Quot et quae ex damnatione Pistoriensium in rem nostram deriventur.

36. Post haec de sensu et ratione damnationis Pianae, ex ea in rem nostram fere eadem derivantur, quae ex Tridentino licuit deducere. Edocemur etiam hinc binos illos terminos, *cessantem* panis substantiam, remanentibus speciebus, et Christi corpus praesens sub iisdem ea ratione inter se connecti, ut utrumque non obtineat, nisi ex vi conversionis totius substantiae panis in substantiam corporis Christi, seu ex vi Transsubstantiationis. Ceterum in quo consistat huiusmodi conversio, aut qua ratione locum habeat, heic neque definitur, neque declaratur, sed tantum innuitur id fieri ex vi consecrationis. Quid vero exinde possit ratiocinando inferri ad conversionem illustrandam, suo loco videbitur.

---

[1] Cfr. Franzelin, Op. laud. Thes. 12. I.

§ VII.

Ecclesiae scita ex Cong. Gen. S. R. et Univ. Inquisitionis.

37. Subiicimus documentis fidei duplex adhuc documentum, quod in rem nostram ex Generali Congregatione S. R. et Univ. Inquisitionis emanavit, alterum die 7. Iulii, an. 1875., alterum die 14. Decembris, an. 1887. Notum omnibus est huiusmodi documenta, etiam a S. Pontifice probata, non exhibere Ecclesiae iudicium prorsus infallibile et irreformabile; sed esse exercitium auctoritatis quodammodo oeconomicae in ordine ad fidem, ad ipsam iuxta communem Ecclesiae intelligentiam sartam tectamque contra errores irruentes servandam, summaque gaudere doctrinali auctoritate[1]. Prius autem sic habet. Documentum duplex S. R. U. Inquisitionis.

38. « Humillime rogat Praepositus Generalis Societatis Iesu S. Supremam Congregationem S. Officii, ut declarare dignetur, utrum tolerari possit explicatio transsubstantiationis in SS. Eucharistiae Sacramento, quae sequentibus propositionibus comprehenditur. Proponitur S. R. U. Inquisitioni quaestio.

I. Sicut formalis ratio *hypostaseos* est *per se esse* seu per se subsistere, ita formalis ratio *substantiae* est *in se esse* et actualiter non sustentari in alio tanquam primo subiecto; probe enim ista duo discernenda sunt *esse per se* (quae est formalis ratio hypostaseos) et *esse in se* (quae est formalis ratio substantiae).

II. Quare sicut natura humana in Christo non est hypostasis, quia non *per se* subsistit, sed est assumpta ab hypostasi superiori divina; ita *substantia* finita, ex. gr. substantia panis, desinit esse *substantia* eo solum et absque alia sui mutatione, quod in alio supernaturaliter sustentatur, ita ut iam non *in se* sit, sed in alio ut in primo subiecto.

III. Hinc transsubstantiatio, seu conversio totius *substantiae* panis in substantiam corporis Christi Domini nostri, explicari potest hac ratione, quod corpus Christi dum fit substantialiter praesens in Eucharistia, sustentat *naturam panis*, quae hoc ipso et absque alia sui mutatione desinit esse *substantia*, quia iam non est *in se*, sed in alio sustentante: adeoque manet quidem *natura panis*, sed in ea cessat formalis ratio *substantiae;* et ideo non duae sunt substantiae, sed una sola, nempe corporis Christi.

IV. Igitur in Eucharistia manent materia et forma elementorum panis; verum iam in alio supernaturaliter exsistentes rationem substantiae non habent, sed habent rationem *supernaturalis accidentis*, non quod ad modum naturalium accidentium afficerent cor-

---

[1] Cfr. *Rosminianarum propositionum..... Trutina Theologica, Praefatio*, INSTANTAMEN. Opus est Em. Card. Mazzella, quod, nomine reticito, publici iuris fecit, an. 1892.

pus Christi, sed eo duntaxat, quod a corpore Christi modo, quo dictum est, substentantur [1].

Romae 20. Maii, 1875

Feria IV., die 7. Iulii, 1875.

S. R. U. Congregationis responsio.

In Congregatione Gen.li S. R. Univ. Inquisitionis habita coram E.mis ac R.mis DD. S. R. Ecclesiae Cardinalibus contra haereticam pravitatem Inquisitoribus generalibus, lectis ac ponderatis suprascriptis propositionibus, iidem E.mi. D.ni dixerunt: *Doctrinam transsubstantiationis, prout hic exponitur, tolerari non posse.*

Pro D.no I. Pelami *S. R. et Univ. Inquisit. Not.*
Jacobus Vagaggini *Substitutus*

39. Secundum documentum Rosminii propositionibus aliquot ex quadraginta ab eadem S. Congregatione reprobatis continetur. Propositiones autem illae sunt.

Propositiones Rosminianae.

XXIX. A catholica doctrina, quae sola est veritas, minime alienam putamus hanc coniecturam: In Eucharistico Sacramento substantia panis et vini fit vera caro et verus sanguis Christi, quando Christus eam facit terminum sui principii sentientis, ipsamque sua vita vivificat: eo ferme modo, quo panis et vinum vere transsubstantiantur in nostram carnem et sanguinem, quia fiunt terminus nostri principii sentientis [2]».

XXX. « Peracta transsubstantiatione, intelligi potest corpori Christi glorioso partem aliquam adiungi in ipso incorporatam, indivisam, pariterque gloriosam [3] ».

XXXI. « In Sacramento Eucharistiae, *vi verborum*, corpus et sanguis Christi est tantum ea mensura, quae respondet quantitati (*a quel tanto*) substantiae panis et vini, quae transsubstantiatur: reliquum corpus Christi ibi est *per concomitantiam* [4] ».

---

[1] Excerptae fuerunt eiusmodi propositiones ex Americanis Ephemeridibus Neoeboracensibus *The World* an. 1874. a Professoribus Woodstockiensibus S. I., Romamque missae, ut a Congr. S. O. diiudicarentur. Americanus Auctor laudabiliter se subiecit.

[2] Rosmini, *Introduzione del Vangelo secondo Giovanni*, Lez. 82. pp. 285-286. Non crediamo aliena dalla dottrina cattolica, che solo è verità, la seguente conghiettura: *cioè che nell' Eucaristico Sacramento* la sostanza del pane e del vino ha cessato intieramente d' essere sostanza del pane e del vino, ed è divenuta vera carne e vero sangue di Cristo, quando Cristo la rese termine del suo principio senziente, e così l' avvivò della sua vita; a quel modo come accade nella nutrizione, che il pane che si mangia e il vino che si beve, quando è, nella sua parte nutritiva, assimilato alla nostra carne e al nostro sangue, egli è veramente transustanziato, e non è più, come prima, pane o vino, ma è veramente nostra carne e nostro sangue, perchè è divenuto termine del nostro principio sensitivo.

[3] *Idem*, *Ibidem*. Avvenuta la transustanziazione si può intendere che al corpo glorioso *(di Gesù Cristo)* si sia aggiunta qualche parte in esso incorporata, ed indivisa, e del pari gloriosa.

[4] *Idem*, *Ibidem*. Appunto perchè il corpo di Cristo è unico ed indiviso, egli è necessario che, dove si trova una parte, si trovi tutto.....; ma non tutto quel corpo diviene termine del suo principio senziente, ma unicamente quella

40. De huiusmodi autem Rosminianis propositionibus, una cum aliis quae numerum explent quadragenarium, S. Congregatio sequens tulit iudicium.

Decretum « Post obitum »

Feria IV. die 14. Decembris 1887.

Decretum S. R.U. Inquisitionis.

Post obitum Antonii Rosminii Serbati quaedam eius nomine in lucem prodierunt scripta, quibus plura doctrinae capita, quorum germina in prioribus huius Auctoris libris continebantur, clarius evolvuntur atque explicantur. Quae res accuratiora studia non hominum tantum in theologicis ac philosophicis disciplinis praestantium, sed etiam Sacrorum in Ecclesia Antistitum excitarunt. Hi non paucas propositiones, quae catholicae veritati haud consonae videbantur, ex posthumis praesertim illius libris exscripserunt, et supremo S. Sedis iudicio subiecerunt.

Porro SS.mus D. N. Leo divina providentia Papa XIII., cui maxime curae est, ut depositum catholicae doctrinae ab erroribus immune purumque servetur, delatas propositiones Sacro Consilio E.morum Patrum Cardinalium in universa christiana republica Inquisitorum Generalium examinandas commisit.

Quare, uti mos est Supremae Congregationis, instituto diligentissimo examine, factaque earum propositionum collatione cum reliquis Auctoris doctrinis, prout potissimum ex posthumis libris elucescunt, propositiones quae sequuntur, in proprio Auctoris sensu, reprobandas, damnandas ac proscribendas esse iudicavit, prout hoc generali decreto reprobat, damnat, proscribit; quin exinde cuiquam deducere liceat ceteras eiusdem Auctoris doctrinas, quae per hoc decretum non damnantur, ullo modo adprobari.

Facta autem de his omnibus SS.mo D. N. Leoni XIII. accurata relatione, Sanctitas Sua decretum E.morum Patrum adprobavit, confirmavit, atque ab omnibus servari mandavit[1].

Utriusque sententiae fundamenta innuuntur.

41. Plura sunt, uti videbimus, in Americana Transsubstantiationis explicatione, et in propositionibus Rosminianis, propter quae aut non tolerari posse, aut etiam reprobandas esse a S. Congregatione ferretur iudicium, quemadmodum pro explicatione Americana videri potest apud De Augustinis[2] et Laousse[3]; pro propositionibus Rosminianis apud Em. Auctorem *Trutinae Theologicae* iam laudatae, et apud Em. P. Billot[4]. Quamvis autem id ita sit; S. tamen Congregatio utriusque iudicii sui nullum expresse pro-

---

parte, che risponde a quel tanto, che v' aveva di sostanza di pane e di sostanza di vino nella transustanziazione. Ancora ne verrebbe che, in virtù delle parole divine, questa sostanza del pane e del vino si transustanziasse in carne e sangue del Salvatore; ma il rimanente del corpo e del sangue vi rimanesse unito per concomitanza; il che non par contrario alla dottrina cattolica.

[1] Cfr. *Trutinam Theologicam Prop. Rosminianarum, Appendix I.*

[2] De Augustinis, *De Eucharistia, pars I. art. 5. Schol. I.*

[3] Lahousse, *De Eucharistia, c. 3. art. 1. § 2. n. 94. Schol. 1.um, Sententia Bayma.*

[4] Billot, *De Ecclesiae Sacramentis, q. 75. § 1.* Sententiae erroneae.

tulit fundamentum, innuitque solum theorias illas cum certa fidei doctrina non posse componi. Ex quo ulterius intelligimus theorias illas, cum explicite affirment realem Christi praesentiam in Eucharistia, ex eo praecipue non tolerari aut etiam positive reprobari, quod asserunt aut permanentiam panis substantialiter immutati, uti est reapse apud Rosmini, aut permanentiam physicae substantiae panis quamvis, si id fieri potest, absit substantiae panis metaphysica ratio, quae non in eo ponitur ut panis *exigat esse in se et non in alio*, sed in eo, ut panis *sit in se, et non in alio*, uti est apud Americanum Scriptorem Bayma; et consequenter quod negant veram conversionem substantiae panis in corpus Christi. Quod si ita est, ex utraque damnatione pro praesenti re nostra licet colligere explicationem declarationemve omnem Transsubstantiationis, secundum quam non desinit tota ipsa physica panis vinique substantia, quamvis, si id fieri possit, desinere dicantur una vel plures rationes metaphysicae substantiae panis et vini, cum duplici dogmate ab Ecclesia definito de non permanentia substantiae panis et vini, manentibus solum speciebus aut accidentibus sine subiecto, et de conversione totius substantiae panis et vini in corpus et sanguinem Christi, qui natus est de Virgine, qui pependit in cruce, qui sedet ad dexteram Patris, nec cohaerere, nec posse cohaerere, atque adeo explicationem declarationemve illam non posse tolerari et esse reprobandam.

Quid pro praesenti re nostra ex iudiciis S. R. U. Congregationis licet colligere.

SECTIO III.

Summa doctrinae catholicae de Transsubstantiatione.

1. Ex relatis huc usque Ecclesiae Catholicae scitis de Transsubstantiatione, formalissime ex Tridentino habemus Transsubstantiationem esse: *Conversionem totius substantiae panis et totius substantiae vini in corpus et sanguinem Domini nostri Iesu Christi, remanentibus duntaxat speciebus panis et vini, seu remanentibus accidentibus sine subiecto*, uti definivit Constantiense. In qua definitione praedicatum differentiale, ut *tota substantia panis et vini dici debeat conversa in corpus et sanguinem D. N. I. C.* sic declaratur, ut *substantia panis et vini*, ex Constantiensi, sit substantia *panis materialis et vini materialis*, ut contradistincta *ab accidentibus*, quae proinde, vel *quorum aliquod remanet sine subiecto;* ex Tridentino, ut sit *tota substantia panis et vini*, ut contradistincta *a speciebus*, quae *solae* dicuntur *remanere;* ex iudiciis S. R. U. Inquisitionis, ut non sit *formalis aut metaphysica aliqua substantiae sola ratio.* Sequitur hinc, iuxta Ecclesiae doctrinam, in Transsubstantiatione *panem et vinum converti secundum totam ipsorum non solum metaphysicam, sed etiam physicam realitatem substantialem*, ita ut sola accidentia aut solae species panis et vini ex pane et vino in Christi corpus et sanguinem non convertantur. Colligimus hinc doctrinam omnem, quae etiam implicite negaret *totam physicam realita-*

Definitio Transsubstantiationis ex Tridentino.

Illatio.

tem substantiae panis converti in corpus Christi, dicendam esse implicite ab Ecclesia damnatam.

2. Tota autem substantia panis et vini sic dicitur converti *in Christi corpus et sanguinem* ut, iuxta Tridentinum, *totus Christus* sit sub specie panis, *totus* item sub specie vini; quamvis sub specie panis corpus *vi verborum*, sanguis vero, anima et divinitas *per concomitantiam*, corpori immortali et glorioso iam debitam; sub specie vero vini sanguis *vi verborum*, reliqua *per concomitantiam;* et hoc plane *vere*, *realiter*, *substantialiter:* iuxta Constantiense, *Christus sit identice et realiter in propria praesentia corporali:* iuxta Iusiurandum Berengarianum, Christus *in proprietate naturae et veritate substantiae sit ille idem, qui natus est de Virgine, qui passus est in cruce, qui sedet ad dexteram Patris.* Nimirum totus Christus gloriosus, qui sedet ad dexteram Patris, ex vi conversionis totius substantiae panis et vini in ipsum *nunc* ponitur sub speciebus sacramentalibus. Dicitur autem ille idem, qui passus est, qui natus est de Virgine ad eum modum, quo individua humana identica sibi sunt etiam in diversa aetate, in diversaque conditione aut statu, videlicet non integraliter aut accidentaliter, sed substantialiter et essentialiter. Ex quo sequitur eum, qui in explicanda Transsubstantiatione admitteret in glorioso Christi corpore mutationem aliquam accidentalem intrinsecam, exclusa omni mutatione substantiali, quamvis aliquid non necessarium et, nostra de sententia, falsum asserturum, non tamen contra doctrinam de reali identitate corporis Christi in coelo et in sacramento ab Ecclesia propositam peccaturum. Certe Christus in coelo dum vitaliter agit sive illuminando, sive modis aliis Angelos sanctos ceterosque beatos solando, accidentaliter intrinsece mutatur, et tamen idem sibi abs dubio est. Quod si in aliqua doctrina non solum substantialis, sed etiam mutatio omnis accidentalis intrinseca excluderetur, et solum admitteretur extrinseca mutatio; doctrina illa, ex hac saltem parte, si constarent cetera, punctum omne absque controversia ferret. Contra vero doctrina, quae in Christo sub speciebus et in coelo destrueret substantialem identitatem, admitteretque etiam implicite substantialem mutationem, abs dubio in doctrina fidei esset, saltem implicite, praedamnata.

Declaratur idem praedicatum quoad Christi corpus et sanguinem.

Illatio.

3. Haec de praedicato differentiali absque controversia certa sunt, utpote vel formaliter et perspicuis quidem verbis ab Ecclesia proposita, vel evidenter cum iisdem necessario connexa. Non eadem est ratio praedicati generici, seu ipsius *conversionis*. Enimvero cum *conversio* sit certo revelata, *conversionis propria notio*, quae *formaliter implicite* continetur in *explicite revelato*, est *quoad se*, ut aiunt, etiam revelata. Ast ex hoc non sequitur eandem notionem esse *quoad nos* revelatam, nisi forsan aliunde illa notio tanquam certa haberetur. Data revelatione, quod *Christus est homo*, revelatum etiam est, tum *quoad se*, tum *quoad nos*, Christum esse *animal rationale:* at revelata humana voluntate Christi, quamvis *quoad se* sit revelatum quid proprie sit voluntas humana, v. g. proprium physicum aut metaphysicum; non tamen est revelatum *quoad nos:*

Declaratur praedicatum genericum.

Conversionis notio non revelata *quoad nos.*

quapropter de hoc altero etiam in scholis catholicis habetur disceptatio, et Doctores dissentiunt[1]. Age iam propria conversionis notio non est omnino rata neque apud vulgus, neque apud summos ipsos Doctores, qui vix aut ne vix quidem in ipsa nominis definitione et in primo, dixerim, conceptus conversionis rudimento conveniunt. In regula vero fidei superius demonstrata conversio quidem *formaliter explicite* fidei nostrae proponitur, conversionis autem propria notio non exhibetur *formaliter explicite*, ne quidem prout est praedicatum genericum Transsubstantiationis; quin ex iis, quae definiuntur, propriam conversionis notionem non licet ad unguem informare.

ropria conversionis notio nequit ex definitis informari.

Declaratur.

4. Cum in omnibus fere documentis inveniamus panem et vinum aut substantiam totam panis et vini (utroque enim loquuntur pacto) converti in verum, reale, substantiale Christi corpus et sanguinem, ita ut totus Christus sit sub speciebus panis et vini, aut in SS. altaris Sacramento; pronum est intelligere ad veram conversionem, quae in regula fidei exhibetur, requiri: — α) Binos terminos positivos, quorum unus sit, *qui convertitur*, seu a quo incipit conversio; alter sit *in quem ille convertitur*, seu ad quem terminatur conversio: — β) Heic terminum, *qui convertitur*, esse panem et vinum aut substantiam panis et vini; terminum vero, *in quem* convertitur, esse Christi corpus et sanguinem sub speciebus panis et vini, aut in Sacramento; quibus terminis an et quatenus ratio *totalis* aut *formalis termini* possit competere, suo loco dicetur. De termino autem *a quo* formali, seu de tota substantia physica panis et vini, definitur quidem quod debet *non remanere, cessare:* quomodo autem debeat non remanere, cessare, ut dici possit *conversa*, an per resolutionem in praeiacentem materiam, an per annihilationem proprie dictam, an per impropriam annihilationem seu per aliquam corruptionem, an per intrinsecam mutationem sine substantialis realitatis destructione, ab Ecclesia non definitur, sed aliunde certo, si fieri potest, vel probabiliter constituendum est. Notarim hic solum etiam proprie dictam annihilationem substantiae panis et vini minus a dogmate conversionis abhorrere, quam realem aliquam permanentiam substantiae panis et vini in Sacramento. Hoc enim alterum immediate et directe, et quidem *certo* opponitur dogmati definito de totali non permanentia substantiae physicae panis et vini sub speciebus consecratis; prius autem illud non est omnino certum verae conversioni opponi, cum probabile sit, saltem *extrinsece* ob auctoritatem Doctorum magni nominis qui id tuentur, etiam cum proprie dicta annihilatione termini formalis *a quo* veram conversionem stare posse. Praeterea etiamsi, ut verius est, cum vera conversione stare nequeat proprie dicta annihilatio; haec directe et immediate solum destruit notionem metaphysicam, et indirecte aut mediate dogma catholicum; dum, contra, qui utcumque asserit permanentiam aliquam ipsius physicae substantiae panis et vini, directe et immediate dogma ipsum

In termino *a quo* formali.

[1] Em. Mazzella, *De virtutibus infusis, Disp. 2. a. 7.*

destruit catholicum. Ex sola igitur consideratione termini *a quo*, prout in catholicae fidei doctrina exhibetur, propria realis notio verae conversionis, ac porro conversionis Eucharisticae, omnino ac certo nequit haberi.

Declaratur in termino *ad quem*.

5. Certissime in professione fidei habetur panem et vinum converti in Christi corpus et sanguinem, seu in illum ipsum Christum, qui sedet ad dexteram Patris, qui proinde saltem substantialiter immutatus, ex vi conversionis, sub speciebus panis et vini ponitur et est. Quomodo autem ponatur, ut panis vere dici possit in ipsum conversus, seu ita, ut habeatur vera conversio panis in ipsum: utrum, omissis certo falsis opinionibus aut erroribus, quatenus anima Christi informat materiam panis, quae communis est et fit haec per hanc formam uti, quemadmodum videbimus, placuit Aegidio; utrum per simplicem successionem substantiae Christi post substantiam panis; utrum per successionem substantiae Christi cum aliquo substantiali accidentalive munere in ordine ad species seu ad accidentia panis; utrum quatenus panis per intrinsecam mutationem adducitur ad hoc, ut sit substantiale Christi corpus, idem et immutatum, quod est ad dexteram Patris; de his nihil definitur in regula fidei, saltem explicite et formaliter. Aliunde ergo, sive ex Dei verbo, sive ex ratione subserviente, determinandum est quid tandem locum habeat, quidve requiratur, ut vera habeatur conversio, vereque dici possint panis et vinum in Christi corpus et sanguinem conversa. Inspecta igitur fidei regula quoad terminum *ad quem*, conversionis Eucharisticae ac porro conversionis, ut sic, certa ac numeris omnibus definita notio scientiam nostram praeterlabitur.

Declaratur in actione conversiva.

6. Tandem certissimum etiam est ex regula fidei actionem aliquam *vere conversivam* esse admittendam. Exhibetur enim in fidei regula novus aliquis realisque effectus in rerum natura, conversio terminativa panis et vini in Christi corpus et sanguinem. Novus autem realisque effectus sine reali proportionata causalitate aut actione, quae hic *conversiva* recte denominabitur, nequit haberi. Ad haec, in regula fidei enumerantur causae illius effectus, quae consequenter proportionatam aliquam exserunt causalitatem actionemve, dum illum producunt. Huiusmodi causae sunt: — α) *Consecratio*, aut *verba Domini*, ex omnibus fere superioribus documentis quae, iuxta Confessionem Graecorum in Florentino, *omnem transsubstantiationis virtutem habent:* — β) *Sacerdos qui*, ex Instructione Eugenii IV. ad Armenos, *in persona Christi loquens hoc conficit Sacramentum:* — γ) *Christus ipse, Sacerdos princeps*, ex Lateranensi IV.: — δ) Demum *divina virtus aut potestas*, ex Lateranensi IV. Quaenam vero sit eiusmodi actio conversiva in laudatis fidei professionibus non declaratur. Estne videlicet actio in ipso pane recepta, quae ipsum intrinsece mutando, quin destruat, adducat ad hoc, ut sit substantiale idem Christi corpus, quod sedet ad dexteram Patris; an vero est actio aliqua ad ipsum Christi corpus terminata quae, quatenus ipsum ponit sub speciebus, uno vel alio modo, efficit ut tota physica panis substantia corrumpa-

tur et sic, remanentibus speciebus sine subiecto, non remaneat? Et si hoc alterum est: Estne actio illa adductiva, constitutiva aut introductiva Christi sub speciebus; an vero est actio conservativa, productiva, reproductiva, replicativa Christi sub iisdem speciebus; an tandem est aliquid aliud? Quidquid seligatur, ex sola regula fidei non poterit sufficienter firmari. Et tamen si propria, et non nominalis, sed realis notio conversionis Eucharisticae informanda sit, natura actionis conversivae, a qua fere pendent cetera, fatentibus omnibus, est cumprimis constabilienda, ut dogmatis Transsubstantiationis catholicum intellectum capiamus.

Theologi catholici munus in re praesenti.

7. Itaque in praesenti re, quandoquidem cetera constant, catholici theologi munus est ex omnibus theologicis fontibus definire quo sensu sit intelligenda fidei veritas de cessatione totius substantiae panis et vini in Eucharistia, manentibus duntaxat speciebus: quo item sensu Christus ille idem, qui in coelo est, in eadem ponatur et sit ex vi conversionis panis in ipsum: quo demum sensu intelligenda sit actio, qua illa perficiuntur, quaeque consequenter, utpote conversionis operativa, *actio conversiva* rectissime appellabitur.

SECUNDA PARS — CRITICA

SECTIO I.

PROPONITUR CONTROVERSIA

1. Nostris hisce temporibus, in catholico intellectu dogmatis Transsubstantiationis declarando, percrebuit sententia: recentiorem Theologiam Catholicam, quoad substantialia, dixerim, et communia placita, a veterum sapientia discessisse. Vocant recentiorem Theologiam, quae tribus proxime superioribus saeculis in catholicis scholis communiter obtinuit. Putant ex titulo ipso quaestionis, in qua de reali Christi praesentia disputare incipit S. Thomas, iam apparere fundamentale discrimen, quod est inter doctrinam eius circa Eucharistiam et *varias opiniones*, *quae inceperunt invalescere in scholis saeculo XVI. exeunte.* Inscribit, inquiunt, Angelicus quaestionem illam: *De conversione panis et vini in corpus et sanguinem Christi.* Est enim *apud ipsum ceterosque antiquos Doctores scholasticos* rata et certa sententia, quod transsubstantiatio ita intime et necessario cohaeret cum reali corporis Christi praesentia in sacramento, ut non possit negari primum, quin ipso facto logice sequatur negatio alterius. *Recentiores e contra*, etsi quoad alia omnia puncta inter se vel maxime dissentiant, in uno tamen negativo concordant. Nam, in eorum opinionibus, transsubstantiatio non necessario cum reali praesentia connectitur. Criticae inquisitionis ratio.

2. Ob Magistrorum auctoritatem ista asserentium gravitatemque rei in sese, trepida, anceps, gravissima pulsat animum quaestio. Quî fieri potuit ut Pastores et Doctores Ecclesiae, imprimisque supremus Pastor et infallibilis Doctor, in intellectu dogmatis usque adeo praecipui, quale Transsubstantiationis dogma est, siverint Theologiam catholicam, per tria saltem saecula, a sapientia veterum atque a veritate desciscere, nec reclamarint? Aut, si id utcumque patiamur: Quomodo cum errante trium saeculorum universa Theologia catholica non ipsi errarunt Pastores et Doctores Ecclesiae, non ipsa erravit Ecclesia? Episcopi, magnam partem, ex Theologis adleguntur. Ecclesia docens, sive quod Theologi ex verbo Dei thesauros effodiunt, quos ipsa perpoliat, sive quod in suis lucubrationibus ipsam sequuntur ducem magistramque: Ecclesia, inquam, docens, dum fideles erudit, non aliter de facto loquitur aut docet, quam universa Theologia catholica, ipsa consentiente, loquatur aut doceat. Quapropter in Conciliis etiam Oecumenicis Theologi plerumque parant dogmata, quae Patres definiant; ac speciatim in Viennensi, etiam ex *Doctorum modernorum theo-* Quaestio gravissima.

logiae auctoritate, tanquam probabilior seligitur sententia : « Quae dicit tam parvulis, quam adultis conferri in baptismo informantem gratiam et virtutes »[1]. Haec non sinunt pedariorum more in illam ire sententiam ; cogunt imo nos rem totam critice ventilare, ut sua constent iura veritati.

Recentiorum sensus generatim.

3. Quod ut praestemus, sciendum ab initio est quam recentiori Theologiae opinionem tribuant, quam veteri sapientiam. De recentiori sic habeto. Tribus generalibus notis, inquiunt, constat transsubstantiationis conceptus apud recentiores. *Prima* est destructio panis secundum totam realitatem suam substantialem. *Secunda* est positio corporis Christi, prout nexum quendam et ordinem dicit ad desitionem substantiae panis. *Tertia* est permanentia alicuius elementi communis, id est, specierum.

Speciatim de natura actionis.

4. Quamvis in his generatim conveniat Theologia recentior ; dissensus tamen est inter eius cultores circa naturam actionis, per quam ponitur corpus Christi sub speciebus sacramenti. Alii enim cum Suaresio[2], Lessio[3], Coninck[4], Billuart[5], intelligunt fieri praesens corpus Christi per actionem *productivam*. Alii cum Scoto et Lugone[6], per actionem *adductivam*, vel quasi adductivam. Alii demum prudenter abstinent ab omni determinatione circa praedictae actionis quidditatem, dicentes esse in huiusmodi nimias inquisitionum subtilitates. — Nunc vero, si sermo sit de nexu, quo positio corporis Christi et desitio substantiae panis inter se colligantur, omnes illi auctores in hoc necessario convenire debent, quod sit pure ab extrinseco, et non ex natura rei. Quomodo enim destructio seu annihilatio substantiae panis inferret ex natura sua positionem corporis Christi aut, vice versa, positio corporis Christi sub speciebus annihilationem substantiae panis ? Quia igitur nexus nullus est ex natura rei, quocumque modo explicetur, non variat formalem conversionis rationem, et ideo vix refert, undenam sit repetendus.

De nexu.

De permanentia specierum.

5. Tandem, quoad ultimam notam permanentiae specierum, potissima differentia est, quia plures eam non habent ut essentialiter requisitam ad transsubstantiationis rationem ; alii, e contra, ex ea totam volunt dependere conversionis veritatem[7]. Item alii intelligunt, et rectissime, accidentia panis et vini permanere vere et realiter. Alii, scilicet recentissimi, dicunt illa permanere quoad solam apparentiam, quia funditus annihilantur omnia, quae prius erant ; Deus tamen producit in aethere, vel in nostris organis, eundem motum qui, ante consecrationem, per panem et vinum

---

[1] Denzinger-Bannwart, *Enchiridion etc. — Clementis V. definitiones emissae cum Conc. Viennensi..... de effectu baptismi.*—Cfr. Franzelin, *De Traditione et Scriptura, Thesis 17.*

[2] Suarez, *De Euchar. Disp. 50. Sect. 4.*

[3] Lessius, *De perfectionibus divinis, lib. 12. n. 119.*

[4] Coninck, *De Sacram. q. 75. art. 4. dub. 3.*

[5] Billuart, *De Eucharistia, Dissert. 1. art. 7.*

[6] Lugo, *De Eucharistia, Disp. 5. Sect. 6.*

[7] Lugo, *Op. laud. Disp. 7. Sect. 6. et 7.*

efficiebatur. Atque haec de recentioris theologiae catholicae doctrina.

6. Ad veterum vero sapientiam quod attinet, S. Thomas et antiqui Doctores scholastici, puta S. Bonaventura, Aegidius, Halensis, Albertus Magnus, unanimiter negant omnem substantiae panis annihilationem; negant, inquam, non solum quoad vocem, sed quoad rem. « Non est dare, inquit S. Thomas, aliquem modum, quo corpus Christi verum esse incipiat in hoc sacramento, nisi per conversionem substantiae panis in ipsum, *quae quidem conversio tollitur, posita vel annihilatione substantiae panis, vel resolutione in praeiacentem materiam.....* Unde patet praedictam positionem (*de annihilatione*) esse falsam[1] ». Et S. Bonaventura: « Communiter ponunt omnes quod non est annihilatio panis, imo in meliorem substantiam commutatio; et ideo transsubstantiatio, non annihilatio, talis conversio est, et sic appellari debet. Amplius si panis non converteretur in corpus Christi, non esset intelligere quomodo corpus Christi inciperet esse in altari sine sui mutatione; propter quod conversio panis, non annihilatio dicenda est »[2].

Veterum sapientia ex iisdem.

De non annihilatione panis.

7. Unanimiter iterum negant omnem actionem circa corpus Christi primo terminatam; id est, negant omnem productionem vel adductionem eius, imo quamlibet mutationem in ipso inductam, docentes transsubstantiationem esse actionem, qua: SUBSTANTIA PANIS IN CHRISTI CORPUS PRAEEXISTENS ET IMMUTATUM CONVERTITUR, manentibus dimensionibus et ceteris accidentibus substantiae conversae: « In naturalibus conversionibus transmutatur et id quod convertitur, et id in quod convertitur. Sed hic, illud in quod fit conversio, erat praeexsistens, et non ei additur: *unde hoc in quod terminatur conversio, nullo modo transmutatur, scilicet corpus Christi, sed solum panis qui convertitur*[3] ». Ita S. Thomas. Consonat et S. Bonaventura: « Dicendum, *inquit*, quod quamvis natura hoc non possit facere, neque ratio intelligere, tamen Deus potest multa in corpus Christi convertere, et ex hoc *corpus Christi est in multis locis, non per mutationem, quae sit in Christo, sed in pane, qui convertitur in ipsum* »[4]. Et infra: « In creatione fit ut, quod non erat, sit; in transsubstantiatione fit ut, *quod erat alicubi, sine sui mutatione sit alibi*[5] ». Et rursus: « Per consecrationem..... hoc solum fit ut, quod erat in coelo perfectum et gloriosum, virtute transsubstantiandi idem *sine mutatione sit in altari* »[6]. Et eadem est sententia Alberti Magni[7]; Aegidii Romani[8]; Halensis[9] etc. Itaque, in doctrina veterum, transsubstantiatio non

De negatione actionis circa corpus Christi primo terminatae.

[1] D. Thomas, *Summa Theol. 3. p. q. 75. a. 3, corp.*
[2] S. Bonaventura, *In IV. Dist. 11. part. 1. a. 1. q. 3.*
[3] D. Thomas, *In IV. Dist. 11, q. 1. a. 1. corp.*
[4] S. Bonaventura, *In IV. Dist. 10. Part. 1. a. 1, q. 1.*
[5] *Idem, Ibidem Part. 2. a. 1. q. 1.*
[6] *Idem, Ibidem, Part. 2. a. 1. q. 2.*
[7] Albertus M. *In IV. Dist. 11. a. 1. ad 5.um et 6um.*
[8] Aegidius Rom. *De Corpore Christi, Theor. I.*
[9] Halensis. *Summ. Theol. p. 4. q. 10.*

est unius substantiae destructio, et alterius subrogatio per productionis vel adductionis viam ; sed est una simplex actio, qua Deus, qui ut auctor entis potest in totum ens, immediate mutat in id, quod est entitatis in substantia corporis Christi quidquid entitatis est in substantia panis, ita ut subiectum patiens non sit ullo modo Christus, sed solus panis, cuius transit substantia, et remanent dimensiones.

Recentioris et veteris doctrinae collatio.

8. Cardinalia oppositionis puncta inter veteres et recentiores essent. In una doctrina, panis abit in nihilum, mutaturque corpus Christi tam per omnes et singulas consecrationes, quae in mundo celebrantur, quam ad omnes et singulas specierum corruptiones; mutatur, inquam, in initio praesentiae, ut productum vel adductum ; in desitione vero, ut destructum vel reductum. — Ex opposito, in alia doctrina, nihil desinit via annihilationis, sed via proprie dictae conversionis unius individuae substantiae in individuam substantiam corporis Christi; ipse autem Christus in consecratione nihil patitur, nihil recipit; imo fit praesens ubi antea non erat (non quidem *locali modo*, sed alio *longe diverso*) ex hoc solo, quod vi conversionis acquisita est remanentibus dimensionibus panis transsubstantiati habitudo realis continentiae erga id, ad quod terminata est conversio; denique sicut sine ulla Christi mutatione *incipit* sacramentalis praesentia, ita pariter et *cessat* statim ac corrumpitur et desinit esse extrinsecum continens.

In veteri doctrina an in recentiori maius mysterium ?

9. Quaerunt: In qua doctrina lateat mysterium maius. Certe, si de actione conversiva formaliter sumpta, seu de transitu substantiae in substantiam quaestio sit, quod ad facilitatem conceptus attinet, sine dubio vincunt recentiores. Explicatur enim mihi transsubstantiatio per hoc, quod destruitur substantia panis in ordine ad positionem corporis Christi ; quod loco substantiae destructae ipsum Christi corpus introducitur; quod denique vel realiter, vel apparenter manent accidentia panis cum eadem habitudine continentis ad contentum ; quae omnia satis facile apprehenduntur. Verum considerandum nunc est, an sit aeque intelligibilis actio, qua fit praesens corpus Christi. Cito namque dictum est poni corpus Christi sub speciebus loco substantiae panis, sed non tam cito explicatum. Procedendo enim in hypothesi, secundum quam non incipit esse in sacramento formaliter per conversionem panis in ipsum, restat ut fiat de novo in altari praesens, vel quia ibi producitur, vel quia illuc adducitur. Medium certe non datur: poterunt forte fingi varia vocabula ad denominandam dictam actionem; sed, relictis quaestionibus de nomine, vel erit actio influens esse substantiale corporis Christi, vel erit actio qua, citra ullum influxum esse substantialis, corpus Christi, in coelo praeexistens et ibidem semper manens, acquirit novam determinationem accidentalem, quam ubicationem dicunt.

Conclusio.

10. Abs dubio, quocumque te verteris, incidis in mysterium. Etenim vel est mysterium in hoc quod, permanentibus dimensionibus, panis substantia immediate convertitur in substantiam praeexistentem corporis Christi, quod ex tunc, absque ulla sui muta-

tione vel virtuali multiplicatione, incipit esse sub dimensionibus illis, sed non ut *locatum* in loco, quia substantia (quae sola est terminus directus huius conversionis), ratione sui, situm et positionem in loco habere non potest.—Vel est mysterium in hoc, quod corpus de novo productum in sacramento, atque prorsus independens in esse substantiali a corpore in coelo exsistente, sit nihilominus cum eo numerice idem. — Vel denique est mysterium in hoc quod, citra motum localem, corpus Christi in loco coeli circumscriptive exsistens et manens, incipit esse simul sub mensura loci terrestris, a seipso separatum tota distantia spatiorum interiacentium. — Nunc autem attende. Impossibile est, ut tria haec mysteria sint a Deo revelata; sese enim mutuo excludunt in hoc sacramento; ergo necesse est dicere duo saltem ex eis fuisse inventa humanitus. Et quia, in hoc etiam genere, multo melius est incidere in manus Dei, quam in manus hominum, omnino necessarium est inquirere quodnam ex his tribus sit mysterium legitimum atque authenticum.

11. Haec summa eorum est, quibus veteris recentiorisque Theologiae catholicae sapientia et sententia nobis exhibentur. Prae oculis ergo conceptum habentes, qui de utraque nobis considerandus proponitur, haud gravi negotio intelligimus in ipso: — α) Opponi *abitum in nihilum destructionemve* substantiae panis apud recentiores *non annihilationi* eiusdem substantiae a veteribus admissae. Quapropter destructio substantiae panis recentiorum est vera et proprie dicta talis substantiae annihilatio: — β) Opponi actionem ad ipsum Christi corpus, vel ad aliquid circa Christi corpus terminatam, a recentioribus assertam, negationi eiusdem actionis apud veteres, qui dicuntur id *unanimiter* profiteri: — γ) Opponi tandem immediatam conversionem substantiae panis in Christi corpus per intrinsecam mutationem illius in hoc absque ulla panis annihilatione aut destructione ex veterum sententia, negationi immediatae et propriae conversionis substantiae panis in Christi corpus apud recentiores. Eiusmodi autem oppositio, uti obvie potest intelligi, non est oppositio, quae in explicita professione consistat, quasi vero dicantur recentiores Theologi catholici explicite negare immediatam conversionem panis in Christi corpus; sed est, iuxta propositam sententiam, oppositio doctrinae, quatenus doctrina recentior *in re* verae et immediatae conversionis panis in Christi corpus esset vera negatio.

Summa doctrinae traditae.

12. Age iam haec utriusque doctrinae expositio crisi subiicienda est, inquirendumque: — α) An quae tribuitur recentioribus, vera eorum doctrina sit: — β) An sit veterum, qua ipsi donantur, sapientia: — γ) An veteris recentiorisque Theologiae doctrina de Transsubstantiatione quoad substantialia, quae iam definita sunt, placita differat necne. Haec necessario in antecessum determinanda sunt, ut expedito cursu metam, ad quam contendimus, de catholico intellectu dogmatis Transsubstantiationis feliciter contingamus.

Quid agendum.

SECTIO II.

Inquiritur in expositionem doctrinae recentioris

§ I.

Crisi subiicitur assertio: Recentiores veram conversionem negant.

An recentior Theologia exercite neget conversionem.

1. Uti iam monuimus, in sententia ad quam discutiendam aggredimur, revera non dicuntur nec dici possunt Doctores recentiores, compositis verbis, panis vinique conversionem in Eucharistia negare, sed negare exercite ipsis suis de conversione theoriis. Ast enim, si ita res habet, Theologi recentiores negant plane illam conversionem, vel potius illum conversionis conceptum, quem adversarii, post unum forsan aliumve certe post paucos omnino, uti videbimus, anteriores Doctores, informarunt; sed nullo modo negant conversionem, quae vera conversio sit quaeque, quoad praecipuas saltem notas, in doctrina catholica continetur, uti partim ex dictis, partim ex dicendis plenissime intelligetur. Ceterum cum Ecclesia, uti demonstravimus, formalem conversionis, ut sic, conceptum non explicite tradiderit, neque ex iis, quae docet, conceptus ille evidenter eruatur; cum apud Theologos omnes, uti ipsi adversarii, veteres recentioribus hac in re opponendo, ostendunt, conceptus ille non sit omnino ratus; cum ipsi tandem conceptum illum suum aut nullo modo, aut certissime non evidenter probent; ius ipsis certe non est asserendi: *Recentiores veram conversionem negant.* Superest igitur quod recentiores Theologi per veram conversionem communiter intelligunt: *Actionem talem qua, ad positionem corporis Christi sub speciebus subinde plenius explicandam, desinit esse aut destruitur tota substantia panis;* dum contra per veram conversionem ipsi intelligunt: *Actionem talem, quae immutando panem aut panis substantiam sub speciebus, quin ipsam destruat, adducit ad hoc, ut sit ipsum Christi corpus immutatum et gloriosum.* Quaerimus: Uter conversionis conceptus sit conceptus veterum Doctorum? Est quaestio critica, quam nunc agitamus: Uter conceptus sit verus et theologicus conversionis conceptus? Est quaestio ontologica aut theologica subinde definienda.

Conversionis communis conceptus recentiorum Theologorum.

Conceptus adversariorum.

§ II.

Crisi subiicitur assertio: In recentiorum opinionibus Transsubstantiatio non necessario cum reali praesentia connectitur.

2. Quod diximus de conversione, dicendum etiam est de intimo conversionis nexu cum reali praesentia corporis Christi, seu de necessitate conversionis ad illam praesentiam adstruendam habendamve: videlicet expositionem doctrinae recentioris theologiae catholicae, quam exhibent adversarii, non esse fidelem, aut certe non esse distinctam et adaequatam, sed mancam prorsus confusamque. Id ut intelligatur, monemus ex Caietano: « Quod sicut neces-

sarium dicitur dupliciter in naturalibus, vel secundum naturae ordinem, ut quod homo generetur ex concubitu maris et feminae, vel secundum habitudinem terminorum, ut circulum esse rotundum; ita in ecclesiasticis mysteriis dupliciter potest dici necessarium, vel secundum ordinem sacramentalem, ut infantem baptizatum mundum esse a culpa et poena, vel quia impossibile est etiam per divinam potentiam aliter fieri, ut quod altare consecratum non fuerit consecratum. In proposito non est disputandum de divina potentia, ubi de sacramentis tractatur, sed est attendendum quid sacramentalis ordo exigat: et sicut in naturalibus necessaria secundum naturae ordinem appellantur necessaria sine additione aliqua; ita in sacramentalibus appellanda sunt necessaria, quae secundum sacramentalem ordinem sunt necessaria. Debet enim quaelibet disciplina uti necessario et contingenti, possibili et impossibili secundum proprium ordinem sui generis: et propterea quia novitas conversionis, secundum sacramentalem ordinem a Deo institutum et ab Ecclesia explicatum, est necessaria ad novitatem continentiae, dicendum est simpliciter et absolute quod conversio sacramentalis est necessaria ad continentiam corporis Christi sub speciebus[1] ». Subdit vero P. Valentia: « Conversionem hic nequaquam habere se *per accidens* ad praesentiam corporis Christi in sacramento, ut male Scotus opinatus est[2]; sed esse potius *causam per se* eius praesentiae, ut recte defendit Caietanus[3] ex sententia Patrum antiquorum et Conciliorum, qui rationem praesentiae petunt ex conversione[4] ».

Monitum ex Caietano.

Et ex Valentia.

3. Sequitur ex his, ut qui cum D. Thoma definiunt *potentiam ordinariam* vel *ordinatam* in Deo illam esse, qua Deus potest facere: *Quidquid praescivit et decrevit se facturum*, sive id sit *secundum*, sive *praeter*, *contra* vel *supra* proximas et naturales rerum exigentias; *potentiam vero absolutam* esse illam, qua Deus potest facere: *Quidquid intrinsece non repugnat;* consequenter doceant realem praesentiam corporis Christi, de potentia ordinata, fieri in sacramento per conversionem totius substantiae panis et vini in Christi corpus et sanguinem, et aliter quam per talem conversionem de potentia ordinata fieri non posse, quamvis posset aliter fieri de potentia absoluta. Qui vero tuentur potentiam ordinatam illam esse dicendam, qua Deus potest facere: *Quidquid praescivit et decrevit se facturum secundum proximas et naturales rerum exigentias*, deputantque potentiae absolutae non solum illa omnia, quae intrinsecus non repugnant, etiamsi ea nunquam sit facturus; sed etiam ea, quae praescivit et decrevit se facturum *praeter*, *contra* vel *supra* proximas et naturales rerum exigentias, quaeque in aliquo tempore de facto facit; ex consequenti tradunt Christum de potentia Dei absoluta fieri praesentem in eucharistia per conversionem aut transsubstantiationem panis in ipsum, et de eadem ab-

Varia Theologorum loquendi ratio pro diverso conceptu potentiae ordinatae et absolutae.

[1] Caietanus, *In 3.am p.em D. Thomae, q. 75, a. 1. sub fin. Comment.*
[2] Scotus, *In IV. Dist. 10. qq. 1. 3 et 4.*
[3] Caietanus, *Ibidem et a. 2.*
[4] Valentia, *In 3.am p.em D. Thomae, q. 75. Disp. 6. q. 3. puncto 3. Octavo sequitur.*

soluta potentia posse vel non posse fieri aliter realiter praesentem, prout opinantur dari vel non dari alios modos possibiles aut intrinsecus non repugnantes quibus, praeter conversionem, realis Christi praesentia in sacramento haberetur[1].

Recentiores Theologi ad Christi praesentiam in eucharistia conversionem necessariam docent saltem de potentia ordinata.

4. His praeiactis, ut ad rem nostram redeamus, ex recentioribus Theologis nemo unus est, qui non doceat saltem exercite, quamvis non omnes formaliter dicant, conversionem transsubstantiationemve esse in praesenti ordine saltem necessariam de potentia ordinata ad realem Christi praesentiam in sacramento asserendam et, de eadem potentia, praeter quam per conversionem non posse aliter praesentiam illam haberi. Audivimus in hunc sensum Caietanum et Valentiam loquutos, qui si integre legantur, plura adhuc habent, quibus sensum illum apertissime manifestent. Audiamus Sylvium, qui declaraturus D. Thomae locum, quem adversarii ex Summa Theologica in superioribus attulerunt, sic habet: « Difficultas est in prima ratione, quam affert; quia neque creationem recenset, neque modos, qui cogitari possunt divinae omnipotentiae possibiles. Quapropter explicari posse videtur *de potentia ordinaria*, qua Deus consuevit supernaturalia facere proportionaliter iis, quae sunt in natura; neque creare solet id, quod exsistit, neque pluribus miraculis operari, quod potest paucioribus. Alioquin, si de absoluta eius potentia loquamur, Scoto[2], Durando[3], Dominico (*Soto*)[4], Caietano hic, et non paucis aliis assentimur, qui existimant absolute possibilem fuisse Deo alium modum constituendi corpus Christi in hoc sacramento, quam per conversionem panis[5]. Succedat Billuart. Quaerit: « Utrum, abstrahendo a verbis consecrationis, possit de Dei potentia absoluta corpus Christi esse praesens in eucharistia absque conversione panis in ipsum? — Respondeo hac in parte divisos esse Thomistas. Capreolus, Paludanus, Ferrariensis negant..... Affirmant Caietanus et Soto; quia abstrahendo a verbis consecrationis non videtur implicantia, quod Deus producat corpus Christi in eucharistia sacramentaliter praesens, et simul conservet substantiam panis, aut eam annihilet[6] ». Nimirum cum nunc praesentia Christi in eucharistia ab institutione et verbis Christi pendeat, quae non possunt esse vera sine conversione panis in ipsum; sequitur quod, inspecto ordine sacramentali ac porro, iuxta Billuart, de potentia ordinata, conversio panis in corpus Christi est necessaria ac per se requisita, ut Christus sit realiter praesens in eucharistia, prout nunc est; quamvis, si absolute loquamur, posset aliter fieri praesens. Atque haec revera est communis sententia totius Theologiae recentioris: quod, missis aliis, exinde patet, quod omnes cum S. Matre Ecclesia do-

Caietanus et Valentia.

Sylvius.

Billuart.

Recentiores Theologi universim.

[1] Piccirelli, *De Deo Uno et Trino, In 1.am p.em D. Thomae, Disp. 2, Sect. 4. n. 418.*
[2] Scotus, *In IV. Dist. 10. q. 1. et Dist. 11. q. 3.*
[3] Durandus, *In IV. Dist. 11. q. 1.*
[4] Sotus, *In IV. Dist. 9. q. 2. a. 2.*
[5] Sylvius, *In 3.am p.em D. Thomae, q. 75. a. 2.*
[6] Billuart, *Summa S. Thomae, De almo Eucharist. Sacramento, Dissert. 1. art. 7. sub fin.*

cent Christi corpus non esse realiter praesens, nisi in coelo et in eucharistia; in eucharistia vero, ex Christi institutione, non fieri nec posse aliter fieri praesens, quam per conversionem panis in ipsum. Quapropter non solum omnes conversionem tuentur, quae in dogmate est; sed de verbis *essentialibus* ad eam habendam, aut de essentiali sacramenti forma sunt maxime solliciti, utpote sine qua nec panis in Christi corpus converteretur, nec Christi corpus in eucharistia esset realiter praesens.

Quid doceant de potentia absoluta ?

5. Qui vero Theologi recentiores conversionem transsubstantiationemve eucharisticam potentiae Dei adscribunt absolutae, ii quidem, non secus ac superiores, supposita Christi institutione praesenti, necessariam ac per se requisitam tradunt esse conversionem panis in Christi corpus, ut Christus praesens sit in eucharistia; quamvis in ratione, qua Christus conversionem panis in corpus suum constituit, subinde dividantur. Volunt enim alii cum Suaresio, Becano [1], et aliis pluribus Christum praesentem modum selegisse, quamvis alii de potentia absoluta essent ipsi possibiles; dum alii volunt Christum praesentem modum conversionis constituisse, quia unicus erat possibilis modus, quo praesens in eucharistia fieret: quare illi *libere,* isti *necessario*, posito quod voluerit eucharistiae sacramentum, prout nunc est, instituere, praesentem modum admisisse fateantur opus est.

Suarez.

6. Pro prioribus loquatur Suaresius. Docet eximius Doctor, de potentia Dei absoluta, potuisse Christum fieri praesentem in eucharistia aliter, quam sive per motum localem, sive per conversionem panis in ipsum. Ut autem difficultatem solvat ex saepius memoratis D. Thomae verbis derivatam, sic loquitur: « Ad rationem D. Thomae, quatenus contra nostram sententiam fieri potest, iam responsum est. Ad auctoritatem eius fateor difficile responderi posse non negando illam; quia si dicamus loquutum esse de proprio ac naturali motu locali, ac de propria conversione, non video quomodo sufficienter numeret omnes modos possibiles, quibus praesentia corporis Christi fieri poterat, et consequenter quomodo recte concludat. Si vero cum Caietano et Soto dicamus loquutum esse de ordinaria Dei potentia et non de absoluta, non videtur vitari difficultas. Nam *cum hoc mysterium per absolutam Dei potentiam factum sit*, si non ostenditur omnis alius modus impossibilis de potentia absoluta, quomodo potest concludi alium modum esse necessarium? Item cur dicemus unum modum magis quam alium esse de potentia ordinaria vel absoluta, nisi quia *Christus voluit hoc modo potius facere, quam illo?* Nam secundum se omnes sunt supernaturales et miraculosi et, si Christus elegisset alium ex positis a nobis, ille nec certe diceretur possibilis secundum legem ordinariam. Nihilominus tamen haec expositio D. Thomae necessario est admittenda: nam fere in omnibus articulis et quaestionibus sequentibus similibus rationibus utitur, quae necessario ita explicandae sunt, uti videbimus. Sensus ergo illius in tota hac ma-

[1] Becanus, *Summa Theol. Schol., De Sacramentis, c. 18. q. 1.*

teria fuit, primum ut in tota hac materia nullum miraculum admittamus, quod in verbis, quibus conficitur, non necessario contineatur et inferatur ex illis; ac deinde, quoad fieri possit, pauciora multiplicentur miracula. In praesenti ergo supponit ipse Deum non facere novas creationes, et ideo recte sumit rem, quae alicubi non est, solum posse ibi constitui per actionem localem, vel conversionem; quia in rebus non inveniuntur alii modi, et cum alter illorum hic sufficiat, non oportet addere nova miracula. Comparando autem illos duos modos inter se, iudicavit D. Thomas plura multiplicari miracula, si ponatur hoc fieri per mutationem localem, quod est probabile, examinabitur autem amplius disputatione sequenti[1].

Gonet. 7. Pro alteris loquatur Gonetus: « Quaerunt hic aliqui, an de potentia absoluta corpus Christi possit fieri praesens speciebus panis per aliam actionem, quam per conversionem substantiae panis in ipsum, puta per motum localem, aut per actionem conservativam ipsius in sacramento eucharistiae? — Respondeo *negative*. Supposito enim quod Christus remaneat in coelo, non potest per motum localem fieri praesens in eucharistia..... Similiter etiam repugnat corpus Christi fieri praesens speciebus panis per actionem conservativam ipsius..... Ex his intelliges optimum esse discursum, quo D. Thomas hic a. 2. probat corpus Christi non esse simul cum substantia panis..... Neque valet quod dicunt aliqui, nempe D. Thomam loqui de potentia ordinaria, non vero de extraordinaria et absoluta. Nam si non loqueretur de potentia extraordinaria, nihil probaret contra haereticos asserentes remanere substantiam panis cum corpore Christi; possent enim facile respondere rationem ipsius procedere de potentia ordinaria, ideoque nihil concludere in mysterio, quod totum dependet ex potentia Dei extraordinaria[2] ».

Conclusio. 8. Ex his clare intelligitur expositionem doctrinae recentioris Theologiae de puncto controverso, quam nobis adversarii exhibuerunt, non esse adaequatam distinctamque, sed mancam et confusam. Veritas est, non sane recentiorem Theologiam non habere necessariam et per se requisitam conversionem panis in Christi corpus, ut Christus in eucharistia sit praesens; sed, supposita sacramenti praesenti institutione, Christum, aut de potentia Dei ordinata aut etiam de potentia absoluta, non posse fieri praesentem in eucharistia aliter, quam per conversionem panis et vini in eius corpus et sanguinem; atque adeo conversionem hanc esse nunc simpliciter necessariam et per se requisitam, ut Christus secundum statutum ordinem sacramentalem sit in eucharistia realiter praesens. Eorum vero, qui necessitatem de potentia Dei absoluta propugnant, alii utique sic eam propugnant, ut putent dari alios modos, quibus Christi corpus praesens fieri potuisset, Christumque libere modum conversionis elegisse; alii vero, ut opinentur non dari modos alios, Christumque necessario conversionem instituisse,

---

[1] Suarez, *In 3.am p.em D. Thomae, tom. 3. Disp. 49. Sect. 1.*

[2] Gonet, *Clypeus Theol. Thomist., De Sacram. Eucharistiae, Disp. 4. art. 1. § III.*

posito quod voluerit se in eucharistia realiter praesentem sistere. Hanc ultimam particulam negat communior opinio theologiae recentioris: hanc eandem particulam cum minus communi opinione recentium Theologorum tuentur adversarii. In hoc utuntur iure suo: iuris tamen limites transgrediuntur, quando edicunt: In recentiorum opinionibus conversionem cum reali Christi praesentia non connecti.

§ III.

Crisi subiiciuntur assertiones reliquae.

9. Superioribus punctis binis ad criticae veritatis normam adductis, si de doctrinae vere communis placitis apud recentiores, in praesenti materia, Doctores ipsos, qui in causa sunt, percontemur; ea, modo recte intelligantur, abs dubio sunt, quae adversarii in superioribus recensuerunt, quaeque olim composita thesi discipulis alicubi tradita sunt disputanda. Thesis illa sic habebat: *Definitionibus Ecclesiae non videtur satisfacere communis apud recentiores theologos doctrina, qua statuitur: Ad Transsubstantiationis conceptum requiri et sufficere 1.° ut panis et vinum desinant esse secundum totam realitatem suam substantialem, succedatque pani corpus et vino sanguis Christi; 2.° ut inter desitionem unius et alterius successionem exsistat nexus et ordo mutuus; 3.° ut remaneat aliquid commune, id est, sensibilis species.* Communia recentiorum placita in re praesenti recte intelligenda.

10. Diximus: *Modo recte intelligantur.* Nam, iuxta superius dicta[1], intelligendum primo est tribus illis notis Transsubstantiationem non definiri explicite neque adaequate, neque inadaequate secundum totum id, quod terminative praesefert, sed tantum secundum id, quod exhibet in termino quidem, sed mere passive et absolute inspecto. Verum plane est quod, termino aut conversione passiva semel data, reliqua consequuntur, videlicet tum conversio activa et formalis, tum conversio adaequate sumpta. Sed enim confusio, quae apud adversarios invenitur, dum illi conceptui Transsubstantiationis recentiorum opponunt veteres Theologos dicentes ipsam consistere *in simplici actione conversiva*, huiusmodi animadversione est dissipanda. Altera ratione proponitur conversio activa aut formalis, quae non negatur a recentioribus, sed vel expresse et formaliter traditur, v. g. a Suaresio[2], vel supponitur et traditur exercite ab omnibus inquirentibus: Cuiusmodi sit actio conversiva, productivane an adductiva, an alia? At vero priori illa, nimirum recentiorum ratione, exhibetur conversio passiva, quae rursum a veteribus non negatur, sed vel supponitur vel traditur exercite ubi ubi de terminis conversionis disserunt, uti Sectione sequenti plenissime demonstrabitur. Animadversio prior.

11. Praeterea quod dicitur de desitione panis et vini *secundum*

---

[1] Cf. *Part. 1. Sect. 1. n. 11.*

[2] Suarez, *In 3.am p.em D. Thomae, tom. 3. Disp. 50. Sect. 3.*

Animadversio altera.

Assertio annihilationis proprie dictae non meretur censuram.

totam realitatem suam substantialem, nullo modo confundendum est *cum annihilatione proprie dicta*. Nam quamvis hanc asserere nullam mereatur theologicam censuram, imo improbabile non sit, uti gravissime docet Suaresius, quin, suppositis aliis quae satis communiter a theologis traduntur, quaestio: An desitio substantiae panis in eucharistia sit necne annihilatio? inter quaestiones de nomine passim a Doctoribus amandetur; ad historicam tamen rei veritatem quod spectat, assertio annihilationis proprie dictae fuit doctrina quorundam veterum quos, reticito nomine, generatim memorat Magister Sententiarum[1]; tum fuit valde communis inter Nominales, uti apud omnes ratum est; Scotistae etiam aliqui id sentiunt, quin ipsi Scoto eam tribuunt sententiam. At vero si quis Scotum attente legat, facile sibi persuadebit ipsum, utut cavillose loquutum, a communiori doctrina non annihilationis proprie dictae reapse non recessisse.

Annihilationis propriae patroni.

Locus Suaresii.

12. Loquatur Suaresius qui, postquam sententiam annihilationis, Doctores eam sustinentes, et fundamenta, quibus innituntur, proposuit, sequentia scribit: « Hanc sententiam sic explicatam non existimo dignam censura aliqua, vel nota, imo neque esse improbabilem: et valde miror quam ob causam Dominicus Soto[2] ante solutionem argumentorum dixerit annihilationis opinionem minime citra errorem sustineri posse. Cum enim haec sit opinio gravium et Catholicorum Doctorum, et habeat probabilia fundamenta, et probabiliter salvet omnia, quae docet fides, non video quo fundamento aut ratione possit ita notari, praesertim cum Innocentius[3] hanc attingens opinionem, etiam probabilem censeat[4] ». Subinde vero: « Nihilominus tamen verior sententia est panem non annihilari. Ita docet D. Thomas hic[5], et graviores Theologi cum Magistro..... »[6]. Propositis autem discussisque huius sententiae fundamentis, sibi obiicit: « Sed instabit aliquis: quia licet verum sit ex hac actione immediate sequi dissolutionem illius compositi, tandem vero fit totalis destructio substantiae panis, ita ut nihil illius maneat. — Respondetur, iam hoc pertinere ad quaestionem de nomine. In omni enim vera, vel etiam probabili sententia, supponi debet substantiam panis ita desinere, ut nihil illius maneat. Unde post conversionem illa substantia omnino non est, ac si esset annihilata, vel ac si nihil sub accidentibus illi successisset, quia revera post conversionem illa substantia est omnino nihil, cuius signum evidens est, quia posset iterum a Deo creari ex nihilo. Si ergo propter hanc solam causam dicatur annihilatio, erit quaestio de nomine. *Impropria tamen erit loquutio;* quia ad rationem annihilationis non tantum est attendendum ad quid tandem terminetur rei desitio, sed etiam qualis fuerit modus mutationis vel

---

[1] Magister Sententiarum, *IV. Dist. 11. Quidam vero.*
[2] Dominicus Soto, *In IV. Dist. 9. q. 2. a. 4.*
[3] Innocentius III, *De Mysterio Euchar. lib. 4. c. 20.*
[4] Suarez, *In 3.am p.em D. Thomae, Tom. 3. Disp. 50. Sect. 3.*
[5] D. Thomas, *Summ. Theol. 3. p. q. 75. a. 3.*
[6] Suarez, *Ibidem.*

desitionis; sicut in corruptione rei naturalis forma tandem ad hoc terminatur, ut omnino sit nihil, cuius etiam signum est quia potest ex nihilo creari; et nihilominus non annihilatur, quia solum desinit ad dissolutionem compositi »[1]. Et eadem ratione loquuntur Sylvius[2], Billuartius[3], imo fere omnes recentiores theologi: videlicet negant ad unum annihilationem panis proprie dictam, quamvis concedant nihil omnino panis in eucharistia remanere, atque porro concedant annihilationem panis improprie dictam, seu totius substantiae panis destructionem. Doctores alii.

13. A communi doctrina aliorum Theologorum non recedit Lessius, nec in re quid plus, quam alii, revera loquitur; quamvis, cum ipsi propositum sit miracula efferre, quae in divinissimo Eucharistiae sacramento Deus operatur, non sine emphasi insistat in hoc, quod tota perit substantia panis et vini; in quo unum e duodecim miraculis, quae recenset, merito suspicit. Ait namque: « Circa substantiam panis et vini primum miraculum est, quod hae substantiae vi consecrationis funditus pereant, et *veluti annihilentur, quamvis non solemus dicere eas annihilari*, eo quod haec desitio ex intentione divina non sistat in nihilo, sed dirigatur ad positionem corporis Christi. Verum hoc ad modum loquendi spectat. Nam quod ad rem attinet, nihil omnino substantiae panis manet, non forma, non materia, non exsistentia, non gradus aliquis; sed totum ita funditus perit, ac si prorsus in nihilum redactum esset, nullo positivo succedente »[4]. Haec, si eloquentiam subducas, eadem illa sunt, quae modo in Suaresio legimus. Quapropter subinde ubi non miraculum laudibus efferendum est, sed transsubstantiatio est theologice declaranda, pacatiori prorsus ratione loquitur. Ait enim: « Hac sententia posita (*de actione productiva*), quae potentiae divinae negari non potest, facile concipi potest, primo, quomodo in hoc mysterio sit vera transsubstantiatio, et substantiae panis in substantiam corporis Christi vera mutatio et substantialis conversio; quia substantifica actione ita producitur hic corpus Christi, ut ex vi illius productionis oporteat desinere substantiam panis. Producitur enim ut sit ibi per modum substantiae, non quovis modo, sed cum immediato ordine ad illa accidentia, tanquam illis proxime subiecta, absque tamen inhaesione, ut vere dici possit: *Hoc est corpus Christi, non panis terrenus: Hoc est sanguis Christi, non vinum corruptibile.....* Ex eo enim quod *(producens)* vult ibi corpus Christi collocare cum tali ordine ad accidentia, ut solum ipsum, non aliud per illa sensibile et designabile sit, necesse fuit desinere substantiam panis; quia hoc modo esse panis et esse corporis Christi sub illis speciebus sunt termini repugnantes »[5]. Utique heic P. Lessius aliquid habet, quod non ab omnibus recipiatur. Sed hoc non respicit panis desitio- Lessius declaratur. Alibi pacatius loquitur.

[1] *Idem, ibidem.*
[2] Sylvius, *Commentarii in 3.am p.em D. Thomae, q. 75. a. 3.*
[3] Billuart, *Summa S. Thomae. De Euchar. Dissertat. 1. a. 7.*
[4] Lessius, *De perfectionibus moribusque divinis, lib. 12. c. 16. n. 109.*
[5] *Idem, Ibidem, n. 120.*

nem, sed rationem, quare panis desinat. Verum de hoc suo loco erit disserendnm.

In Scoti mentem inquiritur.

14. Quandoquidem in praesenti puncto de Scoto ingesta mentio est, ipsumque adversarii recentioribus accensent, non abs re erit eius mentem hac super re breviter vestigare. Inquirit Doctor subtilis de ipso Transsubstantiationis dogmate, aiendo: « Hic duo videnda sunt, sicut circa alia credibilia. Primo, quid tenendum. Secundo, quomodo illud poterit declarari. De primo sic recitat Innocentius [1]: Circa hoc erant tres opiniones. Una, quod panis manet, et tamen cum ipso vere est corpus Christi. Alia, quod panis non manet, et tamen non convertitur, sed desinit esse vel per annihilationem, vel per resolutionem in praeiacentem materiam, vel per corruptionem in aliud. Tertia, quod panis transsubstantiatur in corpus, et vinum in sanguinem »[2]. Tum priorum duarum opinionum fundamentis relatis, discussisque earum impugnationibus praesertim a D. Thoma, sic tandem ipse quaestionem definit: « Quantum ergo ad istum articulum, *inquit*, quid scilicet sit tenendum: Respondeo quod communiter tenetur, quod nec panis manet, contra primam opinionem; nec annihilatur, vel resolvitur in materiam primam, contra secundam opinionem; sed convertitur in corpus Christi. Et ad hoc multum expresse videtur loqui Ambrosius, cuius duae auctoritates supra adductae sunt, et plures habentur *de Consecratione Dist.* 2., et ponuntur a Magistro *Dist. 10. et Dist. ista.* Principaliter autem videtur movere, quod de sacramentis tenendum est, sicut tenet S. Romana Ecclesia, sicut habetur *Extrav. de Haereticis*, *Ad abolendam.* Nunc autem ipsa tenet panem transsubstantiari in corpus et vinum in sanguinem, sicut manifeste habetur *Extrav. de Summa Trinitate, c. Firmiter...* »[3].

Quaestio de annihilatione.

15. Subinde magis directe inquirit: « Utrum panis in conversione in corpus Christi annihiletur ». Profert in antecessum rationes pro utraque contradictionis parte; tum discutit ac reprobat sive opinionem Henrici Gandavensis negantis annihilationem quod panis, quatenus substantia est, manet in Christi corpore; sive Aegidii Romani annihilationem negantis, quod in Christi corpore manet materia communis sub modo a quantitate in ipsa relicto quae, cum in eius sententia materia universim a forma individuationem sortiatur, evadit haec individualis materia corporis Christi quatenus Christi anima informatur. Mox vero subdit: « Ad quaestionem dico, quod in proposito nihil panis manet post conversionem. Secundo, *quod panis non annihilatur* vel, quod est facilius, *quod panis ista conversione non annihilatur.* Primum suppo-

Scoti responsio.

---

[1] Innocentius III., *De Officio missae, p. 2. c. 26.* Mendosa est huiusmodi allegatio. In Innocentii opere, quod alii inscribunt: *De Officio missae*, alii: *De Mysterio Euchar.*, alii: *De sacro altaris mysterio*, loco laudato, nihil habetur eorum, quae ipsi Scotus tribuit. Res quadantenus apud Innocentium habetur *Op. laud. lib. 4. c. 20.* Ed. Migne; plenius apud Magistrum, *Dist. 11.;* neutrius fideliter verba recitantur: quod apud scriptorem sequioris aetatis mirum non est.

[2] Scotus, *In IV. Dist. 11. q. 3.*

[3] *Idem, Ibidem, loc. laud.*

nitur probatum ex rationibus contra primam opinionem *(nimirum Henrici Gandavensis)*. Secundum probatur sic. Terminus *ad quem* transit substantia ipsius panis non est purum nihil. Ergo panis non annihilatur. Consequentia probatur; quia terminus annihilationis est purum nihil »[1]. Hanc vero rationem declarat ex termino *a quo* creationis, cui annihilatio opponitur.

16. Huc usque Scotus iuxta communiorem doctrinam veterum et, uti partim dictum est partim adhuc dicetur, recentiorum negat propriam panis annihilationem in conversione eucharistica. Ulterius tamen progressus vestigat. Utrum panis desitio, non in conversione sed in seipsa inspecta, cum praeseferat non-panem, seu negationem totius realitatis substantiae panis, dici debeat annihilatio. Re ventilata, docet posse negari, non quia inquit: « Aliquid corrupti maneat, et quia negatio termini est in apto nato *(uti v. g. forma pendens a materia, dum abit in nihilum, remanet in materia, tanquam in apto nato)*; est tamen ibi tertia ratio, scilicet quod negatio termini est in aliquo positivo subiecto, licet disparato »[2], seu quia substantia panis desinit aut abit in nihilum, quia ponitur corpus Christi. Ulterior Scoti inquisitio.

17. Hanc ipsam ultimam rationem, qua negatur annihilatio proprie dicta substantiae panis, non in conversione sed secundum se inspectae, quia de facto desinit in aliquid positivum, utut disparatum, videlicet in corpus Christi, novo subiicit examini; atque, difficultatibus et responsionibus suo sensu libratis, tandem concludit: « Posset ergo dici quod conversio ista est sicut substantiae in substantiam, non quantum *ad esse substantiae simpliciter*, sed quantum *ad hic esse*..... Et illae mutationes licet sint inter substantias; tamen non sunt inter substantias, ut inter terminos (*formales*); termini enim (*formales*) sunt tantummodo *praesentialitas* et *non-praesentialitas*, quae possunt reduci ad genus *Ubi*, ut dictum est *Dist. 10. q. 1.*: sicut ergo mutatione positiva non acquiritur simpliciter esse corpori, sed tantum *esse hic;* ita mutatione deperditiva correspondente, quam includit conversio ista, in quantum ista conversio est transsubstantiatio translativa non autem productiva; ista, inquam, *(conversio)* non *deperdit panis esse simpliciter*, sed *hic* esse..... *(Atque heic pulchram utrumque inter totalem conversionis terminum exhibet oppositionem, quod Christus ex vi conversionis acquirit novum locum, priori non amisso; panis autem amittit priorem locum, quin novum acquirat)*..... Quia ergo non deperditur sicut nec acquiritur per hanc conversionem, ut est transsubstantiatio, nisi tantum *esse hic* et *non esse hic*, sequitur quod per hanc conversionem, ut hic est, non deperditur esse substantiale, et per consequens *non annihilatur*, imo *non destruitur panis* hac conversione: *quia tamen panis non manet in esse substantiali, et hac conversione non destruitur, ut dictum est, oportet ut desinat esse alia desitione, quae est a simpliciter esse eius ad simpli-* Ultima Scoti responsio.

Per transsubstantiationem panis substantia non annihilatur.

---

[1] *Idem, Ibidem, q. 4.*
[2] *Idem, Ibidem, loc. ult. laud.*

citer non esse eius. Illud autem non esse eius, licet quasi concomitatur praesentiam corporis, ut hic, non tamen uti terminum eiusdem generis; et per consequens, *si ista desitio secundum se consideretur, sit annihilatio; tamen nullo modo ista conversio est annihilatio* »[1].

Desitio substantiae panis, *secundum se*, per Scotum est annihilatio.

Totalitas doctrinae Scoti.

18. His, quae allata sunt, recte perpensis, claret omnino Scotum negare in conversione eucharistica propriam et simpliciter dictam panis annihilationem, quae videlicet actio *mere negativa* sit, atque adeo in terminum ultimum *mere negativum* tendat; agnoscere autem annihilationem, in quantum scilicet desitio panis non in conversione, sed in se consideratur: idque haud sane quia physicae substantiae panis nihil remanet reapse; sed quia, uti ultime videtur sentire, panis substantia actione diversa ab actione transsubstantiativa arbitratur desinere. Quidquid vero de hac ultima illatione Doctoris subtilis sentiendum sit, historice tamen et critice patet ipsum non admisisse in hoc sacramento nisi annihilationem secundum quid, atque adeo impropriam.

Colligitur doctrina communis.

19. Post haec, ne in longum abeamus, recentioribus Doctoribus, si paucos omittas, duce praesertim D. Thoma, communis est assertio *panis substantiam proprie in eucharistia non annihilari, quamvis nihil eius post conversionem remaneat, atque hoc sub adspectu dici possit improprie annihilata.* Si qua autem apud hos Doctores, hac in re, controversia agitatur; ea, tota quanta est, in reddenda ratione illius assertionis revera versatur. Consulantur Suaresius superius laudatus, Gonetus[2], alii. Quapropter ut desitio totius substantiae panis ad mentem Doctorum recentiorum intelligatur, atque subinde vel propugnetur vel oppugnetur, ab ea excludenda prorsus est propria annihilatio, seu quae primo et per se sit actio negativa et ad purum nihilum aut non-ens tendat; quamvis ipsis impropria annihilatio, quae sit propria destructio aut corruptio substantiae panis possit adscribi, quatenus ex vi actionis positivae, qua corpus Christi ponitur sub speciebus, ea ponitur sufficiens ratio, ut videbimus, qua posita ipsi non amplius debetur connaturaliter conservatio, et sic abit in nihilum: ad eum modum quo, in transformatione seu in conversione formali, inducta ultima dispositione ad novam formam aut introducta nova forma in materiam, priori formae non debetur amplius connaturaliter conservatio, et abit in nihilum. Quod vero hoc stet non concutiendis fundamentis in decursu totius Disquisitionis erit videndum.

Quid sentiendum de *nexu* inter transsubstantiationis terminos.

20. Tandem monemus *nexum mutuum*, quem adversarii in expositione doctrinae recentioris memorant, intelligendum esse de *vero, proprio ac sufficienti aliquo nexu*, quamvis hic postmodum plusve minusve in variis recentium Doctorum theoriis reapse servetur: ex quo fit, ut hae seorsim acceptae sint magis vel minus probabiles, et aliqua forsan etiam improbabilis. Prior enim illa assertio communis est, aliae non item. Dari autem talem nexum in ali-

---

[1] *Idem, Ibidem, q. 4.* — Cfr. eandem quaestionem in *IV. Reportationum.*
[2] Gonetus, *Clypeus etc. De Eucharistia, Disp. 4. art. 3.*

qua saltem recentiorum explicatione (id ad assertionem communem *indefinitam* sufficit) suo loco demonstrabitur, ostendeturque assignari posse ex natura rei nexum necessarium panis desitionem inter et positionem Corporis Christi.

Nihil addendum de permanentia realium accidentium.

21. Nihil fere superest dicendum *de permanentia realium accidentium* in eucharistia, cum adversarii ingenue agnoscant assertionem illam apud Scholasticos Doctores recentiores communem esse; atque ita plane, ut alii putent id esse *de fide catholica*, alii *proximum fidei*, sin minus de fide. Notarim tamen, in magna illa concordia Doctorum recentiorum, discordantes Cartesianos paucos et unum alterumve recentem Doctorem his adhaerentem non fuisse in re praesenti commemorandos. Sed hoc sit obiter dictum ac perfunctorie. Potius e re est recentioris doctrinae patronos praecipuos hoc loco laudare, ut omnibus obvium sit, qui voluerint, eam ex suis fontibus plenius haurire. Age iam, praeter superius memoratos Valentiam, Suaresium, Vasquesium, Lessium, Lugonem, Coninck, Maurum, Gonetum, Billuartium, Isabertum, laudandi sunt e Societate nostra Bellarminus[1], et quotquot reliqui sunt, Oviedus, Martinonius, Tannerus, Pallavicini, Arriaga, Platelius, Becanus, Viva, Wirceburgenses etc. usque ad recentissimos, P. Perrone, Em. Card. Franzelin, P. De Augustinis, P. Hurter, P. Lahousse; ex Dominicana familia Ferrariensis[2], Sylvius[3], Gotti[4], alii: ex familia S. Francisci, Franciscus Victoria[5], Estius[6], Mastrius[7]; ex aliis Madernus[8], Tournelius[9], Egger[10], De Luca[11], atque, paucissimis missis, reliqui omnes, qui de praesenti quaestione, sive ex professo sive obiter, peregerunt, quique apud commemoratos modo auctores longo ordine, alii ab aliis, enumerantur. Audiamus, omnium nomine, unum hac super re memorantem Dominicum Soto, qui postquam Durandum et Caietanum suo modo, uti dicemus, fuit insectatus; sic demum loquitur: « Quarta igitur opinio, eademque S. Thomae est, quae, si absque calumnia intelligatur, verissima est, nempe panem et vinum desinere esse secundum se et quodlibet sui, ut expresse ait art. 8. in solutione tertii, et nihilominus illam esse conversionem et transsubstantiationem, atque adeo nullatenus annihilationem..... Unde sicut in corruptione et generatione naturali ob id, quod *eadem agentis actione*, qua depellitur una forma, introducitur alia, taliter ut desitio prioris sit via ad productionem alterius, nulla est annihilatio; sic, in proposito, quia eadem consecratione exluditur panis tanquam medium, ut sub

Commemorandi praecipui Doctores recentiores.

Dominicus Soto.

---

[1] Bellarminus, *De Sacram. Euchar. lib. 3. c. 18. seqq.*
[2] Ferrariensis, *In Contra Gentes, lib. 4. c. 63. sub fin.*
[3] Sylvius, *In 3.am p.em D. Thomae, q. 75. aa. 2. 3. 4.*
[4] Gotti, *De Eucharistia, q. 3. Dub. 2. § 3. n. XXXII. seqq.*
[5] Victoria, *Summa Sacram. De Euchar. Conclus. 61.*
[6] Estius, *In IV. Dist. 11. § IV.*
[7] Mastrius, *De Euchar. Sacram. Disp. 3. q. 12. a. 1. seqq.*
[8] Madernus, *De Euchar. Sacram. Tract. 4. q. 3. n. 1. seqq.*
[9] Tournely, *De Sacram. Euchar. q. 3. a. 3. — Quaeres 2. seqq.*
[10] Egger, *De SS. Eucharistia, c. 1. a. 2.*
[11] De Luca, *De Augustiss. Euchar. Sacram. pars prior, c. 2.*

iisdem speciebus contineatur corpus, locus annihilationi non relinquitur »[1].

Dictorum summa.

22. Iis, quae huc usque dicta sunt, in summam redactis, catholica Theologia recentior cum S. Matre Ecclesia agnoscit et profitetur in Venerabili Eucharistiae Sacramento dari singularem mirabilemque conversionem totius physicae substantiae panis et vini in Christi corpus et sanguinem: hanc autem conversionem intelligit et explicat per hoc quod, stricte supernaturali actione conversiva ad Christi corpus, una vel alia ratione uti videbimus, primo terminata, sic sub speciebus realiter remanentibus ponitur Christi corpus et sanguis vere, realiter, substantialiter, ut connaturali ratione substantiae panis et vini non debeatur amplius conservatio, et consequenter abeat in nihilum: ad eum modum quo, in transformatione naturali, ex actione naturalis agentis sic inducitur ultima dispositio in materiam vel producitur nova forma substantialis, ut priori formae substantiali, connaturaliter loquendo, non debeatur amplius conservatio, et consequenter abeat in nihilum. Quapropter uti transformatio naturalis est vera conversio; sic vera conversio est in sensu Theologiae recentioris Transsubstantiatio: at vero illa, quia ex accessu et recessu solius formae ab eadem materia ex actione proportionati agentis naturalis fieri potest et de facto fit, est *conversio naturalis et communis;* haec, quia perficitur ex accessu et recessu totius physicae substantiae iam exsistentis, quod per nullum agens creatum aut creabile potest haberi, est *stricte supernaturalis, ac porro singularis et mirabilis.*

SECTIO III.

INQUIRITUR IN EXPOSITIONEM DOCTRINAE VETERUM THEOLOGORUM.

De quo agendum.

1. Gradus iam faciendus est ad expositionem doctrinae veterum Theologorum, inquirendumque: Num quam ipsis tribuunt adversarii, vera eorum doctrina sit; et: Num recentioris Theologiae catholicae doctrina, quoad communia placita, veterum doctrinae concors sit aut discors. Binae hae quaestiones seorsim possent reapse pertractari; brevitatis autem ergo una pertractabuntur. Memineremus vero adversarios in veteribus Doctoribus nullam agnovisse panis destructionem annihilationemve (utrumque ipsis tantundem est); nullam actionem immediatam circa corpus Christi; sed solam actionem immediate transmutativam conversivamque totius substantiae panis in substantiam corporis Christi praecexsistentis et immutati. Si autem quaeras: Quo pacto eiusmodi conversiva actio ad mentem veterum concipi declarariqne debeat; rem totam presse definiunt aiendo: « Videtur verissima sententia apud veteres communis, iuxta quam transsubstantiatio describi potest: *Actio, qua*

[1] Dominicus Soto, *In IV. Dist. 9. q. 2. a. 4.*

Deus, qui ut auctor entis habet actionem in totum ens, ita funditus variat quidquid est entitatis in substantia panis, ut illud totum mutet in id, quod est entitatis in substantia corporis Christi, citra ullam actionem in ipsum Christi corpus primo terminatam ».

2. Quibus breviter commemoratis, inquirimus : An apud veteres Doctores res ita habeant reapse? Quandoquidem autem testes invocant D. Thomam, Halensem, Albertum M., S. Bonaventuram, Aegidium Romanum, hos prae ceteris speciatim consulemus, additis ceu disquisitionis fundamento aut exordio Magistro Sententiarum, atque uno praeterea aliove Doctore, paucis certe, uti disceptationis coronide et nexu inter veterem scholam recentioremque. Sitne veterum doctrina, quam ipsis tribuunt adversarii.

§ I.

Doctrina Magistri de Transsubstantiatione.

3. Magister Sententiarum, inter alia, adstruit imprimis realem Christi praesentiam in eucharistia, conversionemque substantiae panis et vini in Christi corpus et sanguinem : « Ex his, *inquit*, aliisque pluribus constat verum corpus Christi et sanguinem in altari esse, imo integrum Christum ibi sub utraque specie; et substantiam panis in corpus, vinique substantiam in sanguinem converti »[1]. Tum sic orditur Distinctionem sequentem : « Si autem quaeritur, qualis sit illa conversio : an formalis, an substantialis, an alterius generis, definire non sufficio. Formalem autem non esse cognosco, quia species rerum, quae ante fuerant, remanent, et sapor, et pondus. Quibusdam esse videtur substantialis, dicentibus sic substantiam converti in substantiam, ut haec essentialiter fiat illa. Cui sensui praemissae auctoritates consentire videntur »[2]. Quibus verbis Magister docet : — α) Conversionem eucharisticam non esse *formalem*, id est, secundum formas accidentales, quae certo *remanent*, et quarum binas, *saporem et pondus*, explicite commemorat ; sed : — β) Esse *substantialem*, seu secundum ipsam substantiam. Quapropter ubi dicit : *Ut haec essentialiter fiat illa*, tantundem est, ac si diceret : *Ut haec secundum suam ipsam essentiam aut substantialem naturam convertatur in illam.* Ratio est, quod hic vult tantum definire, utrum conversio eucharistica sit substantialis, aut accidentalis. *Qualis sit illa conversio, an formalis, an substantialis, vel alterius generis.* Quaestio est, non *quomodo* fiat conversio, sed *qualis* sit. Quare conversionem substantialem, seu secundum substantiam, conversioni formali, seu secundum formas accidentales opponit, atque illam prae hac, ex aliorum quidem sententia cui ipse tacitus adhaeret, apertissime praefert. Magister adstruit conversionem in eucharistia. Non formalem. Sed substantialem. Quid sit: *Ut haec essentialiter fiat illa.*

4. Quae explicatio plenius intelligitur ex iis, quae sequuntur. Subnectit Magister : « Sed huic sententiae sic opponitur ab aliis. Illustratur expositio.

[1] Magister, *IV. Dist. 10. fin.*
[2] *Idem, Ibidem, Dist. 11., Si autem quaeritur.*

Si substantia panis, inquiunt, vel vini convertitur substantialiter in corpus et sanguinem Christi, quotidie fit aliqua substantia corpus vel sanguis Christi, quae ante non erat corpus; et hodie est aliquid corpus Christi, quod heri non erat; et quotidie augetur corpus Christi atque formatur de materia, de qua (*in*) conceptione non fuit factum »[1]. Heic quod superius dictum fuerat: *Ut haec essentialiter fiat illa*, redditur per: *Convertitur substantialiter*, scilicet secundum substantiam, vel substantiali conversione. Ad difficultatem vero respondet, Christum hac conversione nec de novo fieri, quasi non esset, vel fieret ex nova materia; neque augescere, quia panis convertitur in illud idem numero corpus, quod conceptum et natum ex Virgine est. Ait namque: « Quibus hoc modo responderi potest: quia non ea ratione dicitur corpus Christi confici verbo coelesti, quod ipsum corpus in conceptu Virginis formatum *deinceps formetur (seu de novo fiat)*, sed quia substantia panis vel vini, quae prius non fuerat corpus Christi vel sanguis, verbo coelesti fit corpus vel sanguis (id est, *convertitur in corpus et sanguinem*). Et ideo Sacerdotes dicuntur conficere corpus Christi et sanguinem; quia eorum ministerio substantia panis fit caro, et substantia vini fit sanguis Christi; nec tamen aliquid additur corpori vel sanguini, nec augetur corpus Christi vel sanguis »[2]. Quapropter huc usque aliud nihil habemus a Magistro assertum, quam substantialem conversionem panis in corpus Christi, et vini in sanguinem; et quidem eiusmodi, ut ea Christus nec de novo fiat aut formetur quasi ex panis substantia aut materia, nec augescat: quod recentior Theologia, Durandi et veterum aliorum quorundam errores detestata, ambabus ulnis plane amplectitur.

Inquirit: Quo pacto fiat conversio, quin quaestionem dirimat.

5. Graditur subinde ad vestigandum: quo pacto fiat huiusmodi conversio; quod disputationis nostrae intimam ipsam medullam attingit. « Si vero quaeris, *inquit*, *modum*, *quo id fieri possit*, breviter respondeo: Mysterium fidei credi salubriter potest, investigari salubriter non potest. Quod ergo corpus Christi, panis mutatione in id, non augmentatur, nec sanguis ex vini conversione, eius voluntati et potentiae adscribatur, qui idem corpus de Virgine eduxit. Fit ergo substantia illa sine eius augmento »[3]. Definit tamen hac in re loquendi modum, ostenditque: — α) dici non posse: *Quod substantia panis aliquando sit caro Christi, etsi fiat caro Christi*, seu in Christi carnem convertatur. — β) hanc propositionem: *Illud, quod erat panis vel vinum, post consecrationem, esse corpus et sanguinem*, et huiusmodi alias cum distinctione esse recipiendas. Prosequitur: « Ideo distinguendum videtur, cum dicitur: *Substantia panis, vel id, quod erat panis, modo est corpus Christi.* Manens enim panis non est corpus Christi, sed mutata in id, quod facta est, est corpus Christi. Nec dicimus substantiam panis vel vini materiam esse corporis vel sanguinis Domini;

Definit loquendi modum.

[1] *Idem, Ibidem, Sed huic sententiae.*
[2] *Idem, Ibidem.*
[3] *Idem, Ibidem, Si vero quaeris.*

quia non de ea, ut de materia, formatur corpus, sed ipsa formatur in illud, et efficitur illud »[1]. Innuit ergo, ex vi consecrationis: — α) Panem non manere panem, sed mutari in corpus Christi: — β) Huiusmodi mutationem non eam esse, ut ex pane, tanquam ex materia, formetur corpus Christi; uti ex materia rerum corruptibilium per accessionem novae formae aliud corpus naturaliter generatur aut formatur: — γ) Sed eam esse, qua ipsa substantia panis formatur in illud, et efficitur illud, scilicet corpus Christi.

Difficiles Magistri loquutiones declarantur.

6. Ultima haec Magistri verba et similia, quae praecedunt, sunt revera difficilia ac, prima fronte, id videntur sonare, quod paribus verbis adversarii mordicus contendunt. At vero non ita est. Principio enim Magister non declarat, utrum substantia panis formetur in Christi corpus per intrinsecam variationem qua, quin destruatur, adducatur ad hoc, ut sit corpus Christi, uti volunt adversarii; an formetur in corpus Christi et illud efficiatur, per sui *totalem destructionem* ad positionem corporis Christi ordinatam; uti in naturali conversione lignum v. g. formatur in ignem et efficitur ignis per destructionem aut corruptionem praecedentis formae et accessionem novae. — Tum, si praecedentia consideramus, panis dicitur formari in corpus et effici corpus, quatenus non manet panis et mutatur, et ita quidem, ut panis substantia non possit haberi ut materia, ex qua formetur corpus Christi. Hoc autem planum est, si substantia panis non maneat et mutetur mutatione, uti ait Scotus, *deperditiva*, seu qua ipsa destruatur aut corrumpatur; nullo autem intelligi potest pacto, si substantia panis mutetur mutatione *variativa* quae, quin ipsam destruat, adducat ad hoc, ut sit aliud. Si enim non destruitur, quantumvis varietur, realitas tamen ipsa physica substantiae panis permaneat opus est; quae illa eadem erit, quae prius, quamvis specifice aut generice, si fieri potest, fiat alia. Huiusmodi autem mutatione corpus Christi ex substantia panis, tanquam ex materia, formaretur, et augesceret, ac omnimodis non esset idem omnino Christi corpus, secus ac Magister apertissime docet. — Ad haec, in consequentibus, ubi de re ipsa agit, uti mox videbimus, Magister, nulla facta mentione mutationis variativae et non destructivae substantiae panis, duplicem profert opinionem ad explicandam conversionem, quarum altera substantia panis proprie annihilatur, altera manet. Impugnat autem acriter hanc secundam; relinquit primam, uti probabilem. Quomodo poterat absolute in praecedentibus dicere substantiam panis non destrui et aliquo modo manere, quamvis per mutationem variativam formaretur in corpus Christi illudque efficeretur?

Proprius Magistri sensus.

7. Quae huc usque diximus, in doctrina Magistri rata prorsus sint necesse est. Verum haec ipsa proprium Magistri sensum non aperiunt. Quem ut assequamur, monemus ipsum ex constabilita substantiali conversione in eucharistia, cum dicat modum, quo ea fit, non posse salubriter vestigari, nititur loquendi rationem determinare, quo substantialis conversio sarta tecta servetur. Quapro-

[1] *Idem, Ibidem.*

pter concedit: *substantiam panis, non manentem panem et mutatam, formari in corpus Christi — fieri — effici corpus Christi*, non tamen: *esse, vel futuram corpus Christi.* Prioribus enim significatur conversio unius in aliud; posterioribus vero, non conversio, sed identitas unius cum alio, quae hic locum non habet. Quamvis vero suo loco Angelici doctrinam simus plenissime exposituri, iuverit tamen pauca etiam nunc ab ipso mutuari, quibus nostra interpretatio clarissima in luce collocetur.

D. Thomas.

8. Angelicus ergo ubi quaerit de modo loquendi in hac materia, declaratis generatim convenientiis discrepantiisque eucharisticam conversionem inter et creationem naturalemque transmutationem, scribit: « Et ex his potest accipi qualiter differenter in talibus loqui debemus. Quia enim in nullo praedictorum trium *extrema sunt simul*, ideo in nullo eorum potest unum extremum de alio praedicari per verbum substantivum praesentis temporis. Non enim dicimus: *Non ens est ens*, vel: *Panis est Corpus Christi*, vel: *Aer est ignis*, vel: *Album est nigrum.* Propter *ordinem vero extremorum* possumus uti in omnibus hac praepositione *ex*, quae ordinem designat. Possumus enim vere et proprie dicere quod ex non ente fit ens, et ex pane corpus Christi, et ex aere ignis, vel ex albo nigrum. Quia vero in creatione unum extremorum non transit in alterum, non possumus in creatione uti verbo conversionis, ut dicamus quod non ens convertitur in ens; quo tamen verbo uti possumus in hoc sacramento, sicut et in trasmutatione naturali. Sed quia in hoc sacramento tota substantia in totam substantiam mutatur, propter hoc haec conversio proprie transsubstantiatio vocatur..... Et simili ratione non conceditur quod panis erit corpus Christi, vel quod fiat corpus Christi, sicut neque conceditur in creatione quod non ens erit ens, vel quod non ens fiat ens; quia hic modus loquendi verificatur in transmutationibus naturalibus ratione subiecti, puta cum dicimus quod *album fit nigrum*, vel *album erit nigrum.* — Quia tamen in hoc sacramento, facta conversione, aliquid idem manet, scilicet accidentia panis....., *secundum quandam similitudinem* aliquae harum loquutionum possunt concedi, scilicet quod: *Panis fit corpus Christi*, vel: *Panis erit corpus Christi*, vel: *De pane fit corpus Christi*, ut nomine panis non intelligatur substantia panis, sed in universali hoc, quod sub speciebus panis continetur, sub quibus prius continetur substantia panis, et postea corpus Christi »[1]. Legesis totum articulum.

Magister profert duplicem aliorum sententiam de modo conversionis.

9. Modum ergo, quo conversio in altaris Sacramento fit, Magister candide profitetur non posse salubriter investigari. Hoc tamen non obstante, duplicem aut, si placet, triplicem sententiam ab aliis in eum finem invectam refert, et pro merito approbat reprobatve. Scribit: « Quidam vero sic dicunt conversionem illam esse intelligendam, ut sub illis accidentibus, sub quibus erat prius substantia panis et vini, post consecrationem sit substantia corporis et sanguinis, sic tamen ut non eis afficiatur; et sic asserunt

[1] D. Thomas, *Summ. Theol. 3. p. q. 75, a. 8. corp.*

dictum panem transire in corpus Christi, quia ubi erat panis, nunc est corpus Christi. Quod si est, quid ergo fit de substantia panis et vini? Illi dicunt vel in praeiacentem materiam resolvi, vel in nihilum redigi. Alii vero putaverunt ibi substantiam panis et vini remanere, et ibidem corpus Christi esse et sanguinem; et hac ratione dici illam substantiam fieri hanc, quia ubi est haec, est et illa, quod mirum est; et ipsam substantiam panis et vini dicunt esse sacramentum. Sed quod non sit ibi substantia, nisi corpus Christi et sanguis, ex praedictis et subditis aperte ostenditur. Ait enim Ambrosius..... »[1]. Et Magister quidem secundam hanc sententiam acriter reprobat; de priori vero nihil prorsus edicit, ut non immerito quis putet modum in ea insinuatum non visum ipsi fuisse, uti subinde etiam aliis, reprehensione dignum. Sed de hoc satis supra diximus, cum de recentiorum Theologorum impropria annihilatione ageremus.

Doctrinae Magistri summa.

10. Summa doctrinae Magistri, in re nostra, sequens est: — α) Asserit conversionem substantialem panis et vini in idem omnino Christi corpus sumptum de Virgine, in eundemque numero sanguinem fusum in cruce: — β) Non vestigabilis ipsi est modus, quo huiusmodi fit conversio: — γ) Exhibet *saltem* uti non evidenter reprehensibilem modum, quo substantia panis et vini dicatur proprie annihilari, aut resolvi in praeiacentem materiam: — δ) Respuit ceu prorsus falsum et verbo Dei repugnantem modum, quo Christus dicatur esse simul cum panis substantia sub speciebus, et ea ratione panis dicatur in ipsum conversus, quatenus ubi panis est, est etiam corpus Christi. Haec sane formaliter et directe docet Magister. In his autem evolvendis innuit: — ε) In hac conversione substantiam panis mutari mutatione aut annihilativa, aut certe corruptiva seu destructiva, cum eius nihil in Christi corpore sit, *nec de ea, ut de materia*, Christi corpus formetur; aliunde vero sit illud ipsum unum idemque, quod de Virgine natum est. Monet tamen: — ν) Dici posse substantiam panis in Christi corpus formari, illudque effici: quod, uti declaratum est, nihil est aliud, quam *converti*. Atqui haec apertissime consona sunt doctrinae recentioris Theologiae superius declaratae: et, si praescindamus dogmata substantialis conversionis et absentiae totius substantiae panis, quae communia sunt, nihil continent eorum, quibus adversarii asserunt veterum doctrinam contineri: non negationem annihilationis substantiae panis quae, ut minimum, permittitur; non simplicem actionem conversivam substantiae panis in corpus Christi, quin ipsa destruatur, cuius nulla mentio fit, praesertim cum substantia panis dicatur non concurrere ullo modo uti materia, ut formetur corpus Christi; et si ipsa dicitur formari in corpus et effici corpus, hoc non significat nisi conversionem, modumque non declarat, quo id fiat, uti demonstratum est.

Doctrina Magistri nec omnino liquida, nec plena.

11. Fateor doctrinam Magistri in re nostra non esse usque adeo nec liquidam nec plenam, ut ex ipso solo possit praesens critica

[1] Magister, *Ibidem, loc. ult. laud.*

quaestio definiri: praesertim cum ipse generali norma contentus, quae in mysteriis omnibus obtinet, quaque statuitur *mysteria salubriter credi posse, investigari non posse*, ad plenum videlicet et prout in se sunt; quae spectant ad eucharisticae conversionis modum, innuat potius, quam analogice declaret. Atque haec forsan causa est, signanter vero quia non penitus ab annihilatione abhorret: haec, inquam, forsan causa est, quare ab adversariis Magister in testem non vocatur, cum vocentur eius expositores. Ad hos igitur opus iam est, ut nosmetipsi convertamur.

§ II.

Doctrina Alexandri de Hales de Transsubstantiatione.

12. Ut in commemorandis Magistri expositoribus ordinem chronologicum quadantenus servemus, initium esto ab Alexandro de Hales, ex quo tum Magistri, tum sui temporis Doctorum catholicum sensum in re nostra plenius hauriemus. In *Summa Theologiae* asserit Halensis substantialem conversionem panis in Christi corpus, panisque non permanentiam in eucharistia, et utrumque dogma pluribus confirmat: « Ostenditur, *inquit*, quod est conversio panis in corpus, et non simul manet cum corpore »[1]. In responsionibus autem ad difficultates scribit: « Ad illud, quod quaeritur: Utrum sit ibi conversio in corpus, quod est etc.; dicendum quod fit conversio in corpus, quod est: nec propter hoc est augmentum alicuius, quia totum mirabiliter convertitur in totum; propter quod nec novum aliquid fit ibi, nec maius: hoc autem fieret, si naturaliter in partes fieret conversio. Unde Hugo: *Nequaquam essentia essentiae in augmentum accidit; nec dicimus* QUASI NOVUM CORPUS SUBITO FACTUM DE MUTATA ESSENTIA, SED IN IPSUM CORPUS VERUM MUTATAM ESSENTIAM[2] ». Tum conversionem eandem plenius distinctiusque inculcat: « Dicendum est ergo, *inquit*, quod totum transit in totum, solum accidentibus remanentibus. Et hoc est quod dicit Hugo, dicens: *Per verba sanctificationis vera panis et vera vini substantia in verum corpus et sanguinem Christi convertitur, sola specie panis et vini remanente, et substantia in substantiam transeunte.* Speciem vocat ipse formam accidentalem, quae quodammodo ipsa accidentia concernit, quae sola remanent »[3].

Asserit conversionem panis in corpus Christi, et non permanentiam panis.

Hugo.

Iterum Hugo.

13. Claret ex modo dictis Halensem, uti Magistrum, clarius etiam instantiusque quam id praestet Magister, docere conversionem totius substantiae panis et vini in Christi corpus et sanguinem, solis remanentibus speciebus et nullo modo mutatis, intrinsece et substantialiter uti ex contextu colligitur et inferius patebit, Christi

---

[1] Alexander Halensis, *Summa Theologiae, p. 4. Tractatus De Officio Missae, p. 3. a. 3. § I. Quaeritur.*

[2] *Idem, Ibidem, Resolutio.*

[3] *Idem, Ibidem, § 2. Resolutio.*

corpore et sanguine. At vero quo pacto huiusmodi conversionem intelligit? Ad hoc definiendum, vestigandum est quid ipse de utroque conversionis termino, *a quo* et *ad quem*, seorsim doceat; tum quid doceat de conversione ipsa.

Inquiritur conversionis intellectus secundum Halensem.

14. Incipimus a termino *a quo*, a substantia scilicet panis et vini. Quaerit Halensis: « An in conversione, qua panis in corpus Christi convertitur, panis annihiletur »[1]. Respondet: « Panis in conversione in corpus Christi non annihilatur, sed in melius mutatur, nulla tamen in corpore Christi facta mutatione »[2] *(intrinseca, et substantiali, uti monuimus)*. In responsione vero ad difficultates declarat quo sensu et quare substantia panis dici non debeat annihilata, sed conversa, etiamsi nihil prorsus ipsius remaneat. Ait itaque: « Ad hoc ergo, quod obiicitur: Quod modo est panis, iam non erit panis simpliciter etc.; dicendum quod annihilari sive redigi in nihilum duas habet intentiones. Unam, secundum quam redigi dicitur in nihilum, *cuius nihil manet, sed quae eius sunt, omnino desinunt esse quod fuerunt prius, nihilominus mutatur in aliud.* Secundum hunc modum loquendi, *panis redigitur in nihilum in transmutatione:* sed sic redigi in nihilum nihil est aliud, *quam desinere esse quoad esse eius substantiale, et esse partium illius, in quantum huiusmodi.* Alio modo dicitur redigi in nihilum, *quando ipsum penitus deperit et quidquid illius est, nec aliqua fit mutatio illius in aliud: et sic non dicitur panis in hac mutatione redigi in nihilum.* Quando igitur dicitur: Quod modo est panis, iam non erit panis, neque aliquid illius; igitur penitus annihilatur etc., dicendum quod bene sequitur secundum quod *primo modo sumitur redigi in nihilum; non autem secundo modo*, nisi addatur: *et non mutatur in aliud* »[3]. Atque ad difficultatem sequentem priori similem eadem ab Halensi subiicitur responsio.

An ex Halensi substantia panis annihiletur.

15. Obiicit etiam sibi idem omnino habendum, si totum universum converteretur in corpus Christi, ac si simpliciter annihilaretur, concinneque respondet: « Quod dicitur annihilatum, *inquit*, non dicitur non ens simpliciter, *sed non ens ut est terminus motus*, scilicet *annihilationis.* Non autem se habet non ens indifferenter, ut est terminus motus in illa duplici positione; quia in una se habet quasi (*sit*) terminus motus, qui est annihilatio sive desitio simpliciter; in alia prout est terminus *defectus* quantum ad partes materiales illius ex conversione illarum in corpus Christi: haec autem desitio non est annihilatio simpliciter. Praeterea secundum unam positionem manent formae accidentales simul cum viribus activis; secundum aliam, non: unde non se habent in eadem indifferentia »[4]. Addit insuper: « Ad illud vero quod obiicitur, quod panis non conservatur in esse virtute divina; igitur cedit in nihilum; dicendum quod panis non conservatur in esse panis,

Discrimen inter annihilationem universi, et eiusdem conversionem in corpus Christi.

Panis non conservatur virtute divina.

---

[1] *Idem, Ibidem, § 3. Quaeritur.*
[2] *Idem, Ibidem, § 3. Resolutio.*
[3] *Idem, Ibidem, § 3. Responsio, ad 1um.*
[4] *Idem, Ibidem, ad 5um.*

et quantum ad illud esse cedit in nihilum ; non tamen in nihilum simpliciter, quia convertitur in aliud, quod est nobilioris esse »[1].

16. Post haec mirabitur forsan aliquis adversarios solemniter asserentes : ab Halensi, uti ab aliis veteribus Doctoribus principibus « *unanimiter* (negari) *omnem annihilationem substantiae panis* ». Non *omnem*, sed *proprie dictam annihilationem* negat Halensis, uti maior pars Doctorum, sive veterum sive recentiorum : at expresse agnoscit in transsubstantiatione aut conversione eucharistica desitionem et nihilum totius substantiae panis, atque adeo annihilationem improprie dictam, quae communius dici solet *corruptio, destructio panis*, vel quid simile. Porro, non obstante nihilo substantiae panis, proprie dictam annihilationem negat Halensis, tum quia corpus Christi, nihil quidem retinens de pane, est id, in quod panis desitio ultimo terminatur, et sic dicitur transire non in nihilum, sed in nobilius esse ; tum quia panis desinit non ex vi *motus annihilativi*, sed ex vi *conversionis seu actionis conversivae*, quae includit non conservationem panis ; tum quia aliquid panis, species nimirum et vires activae, post substantiae panis desitionem, remanent.

Quare annihilationem proprie dictam neget Halensis, etsi admittit impropriam.

17. Si vero quaeratur : *Quare* et *quomodo*, non obstante vera destructione et impropria substantiae panis annihilatione, stare possit vera conversio, Halensis, quasi composito adversarios refutaturus, scribit : « Sicut virtus naturae agens, cum facit aliquid quod est primo sub forma una, post habet esse sub alia, semper habet idem aliquid, quod est subiectum actionis, et ita ratione alicuius permanentis transmutat unum in aliud ; sic virtus supernaturalis, eo quod non requirit in sua actione quod subiectum actionis sit materia eius, in quod transmutatur, transmutat unum in aliud, *nullo permanente in uno, quod fuit in alio.* Unde virtus supernaturalis convertens panem in corpus Christi non requirit aliquid permanens ; sed, *desinente materia panis sicut et forma*, convertit panem in corpus Christi »[2]. Quid clarius quod, ad mentem Halensis, vera et propria desitio materiae et formae panis, adeoque totius physicae substantiae panis destructio corruptiove aut impropria annihilatio, non impediat veram ipsius in corpus Christi conversionem transsubstantiationemve ?

Quare et quomodo, ex Halensi, corruptio substantiae panis cum vera conversione componatur.

18. Sed enim nimia iam haec sunt de termino *a quo :* inquirendum nunc est de termino *ad quem*, atque una *de actione ipsa conversiva.* Vestigandum nimirum est : Num, ex doctrina Halensis, in eucharistica conversione Christus sub speciebus ponatur vi cuiusdam actionis immediate ad ipsum terminatae, quae proinde actio veram actionis conversivae rationem sibi vindicet : an vero vi illius actionis conversivae, quam ex adversariis ab initio descripsimus. Loquatur Halensis : « Ad aliud vero, quod obiiciebatur, quod in omni actione, quae non est corruptio simpliciter, est productio alicuius novi esse, quod non est in hac conversione ;

Quid doceat Halensis de termino *ad quem*, et de conversione ipsa.

---

[1] *Idem, Ibidem, ad 13um.*
[2] *Idem, Ibidem, § 2. ad 2um.*

dicendum quod[1] est productio alicuius novi in esse et a parte eius, quod convertitur, et eius in quod convertitur. A parte eius, quod convertitur, scilicet *conversio in aliud, quod est nobilioris esse.* Non dicimus *ipsam substantiam panis et vini in nihilum redactam, quia desinit esse, quod fuit; sed mutatam potius, quia coepit esse quod non fuit.* Ex parte eius, in quod convertitur, *esse sacramentaliter.* Nam ante conversionem non fuit corpus Christi sub specie panis, sicut post. Unde licet circa corpus Christi non efficiatur aliquid novum quantum ad esse ipsius *(en Christus substantialiter immutatus); efficitur tamen aliquid novum quantum ad esse sub sacramento* »[2]. Ergo, ex Halensi, conversio eucharistica est vera conversio, *quia est alicuius novi productio :* substantia panis non est annihilata, utut desierit esse; sed est mutata aut conversa ratione ultimi termini aliquo modo conversione producti: huiusmodi vero productio est productio aut *effectio alicuius novi circa corpus Christi*, nimirum *productio esse sacramentalis.* Ubi est hic actio conversiva ab adversariis nostris in medium allata, qua sic immediate funditusque deberet variari panis substantia ut, ipsa non destructa, ad hoc adduceretur ut esset Christi corpus immutatum? Nonne oppositum dicit Halensis? Videlicet *novi aliquid fit immediate circa corpus Christi*, quod est *esse sacramentale*, et Christus substantialiter immutatus hic est, et panis substantia, quamvis hinc in nihilum abierit, dicitur tamen conversa et acquisisse *nobilius esse*, atque adeo etiam ex parte ipsius *novi* aliquid fuisse productum.

Transsubstantiatio est productio alicuius novi in esse.

Ex parte termini *a quo.*

Ex parte termini ad quem.

19. Sequamur autem; pulcherrima enim sunt quae ex Halensi audiemus. Docet conversionem eucharisticam non esse accidentalem mutationem, sed substantialem. De hac vero, ut probet non esse neque corruptionem, neque generationem, proprie loquendo, causatur non esse illam, quia corruptio terminatur per se in non ens, haec autem in corpus Christi; non hanc, quia corpus Christi non generatur, sed fuit quondam a Virgine Matre cooperante Spiritu Sancto generatum. Ad difficultates autem respondet: « In hac mutatione (*eucharistica*) non est corruptio; quia in corruptione, relicta materia, privatur species sive forma; corruptio enim privationem dicit, non negationem: quod non est hic. Neque ibi est generatio; corpus enim Christi non generatur. Praeterea in mutatione corruptionis et generationis idem est materia fieri et facti: panis autem non est hic materia conversi, id est, eius in quod facta est conversio, sed solum est materia conversionis. Unde hic panis est materia eius, quod est, *ut fieri;* non eius, quod est, *ut factum.* Ad illud Hugonis, quod corpus Christi et sanguis ex panis vinique substantia efficiatur; dicendum quod haec praepositio *ex* non notat materiam, sed ordinem, ut illud: Ex mane fit meridies, id est, post. Praeterea quod dicit: *effici-*

Transsubstantiatio neque corruptio, neque generatio.

---

[1] Editiones aliquae legunt: *Quod non est.* Mendose prorsus, ut liquet ex toto contextu.

[2] Halensis, *Ibidem*, § *3. Resolutio, ad ultimum.*

tur, non dicit aliquid fieri circa corpus Christi quantum ad esse, *sed quantum ad esse in sacramento.* Sub hoc sensu verum corpus et verus sanguis Christi virtute Spiritus Sancti, qua fit transsubstantiatio panis et vini, est sub sacramento post transsubstantiationem »[1]. Ergo, ex Halensi, substantia panis est materia conversionis, non materia conversi. Est autem materia conversionis non ut intrinsecus, sed ut extrinsecus terminus conversionis, qua corpus Christi efficitur quantum ad esse in sacramento. Ergo actio conversiva ad corpus Christi immediate terminatur, ex cuius effectione quantum ad esse in sacramento removetur terminus *a quo*, seu substantia panis; uti, posito meridie, mane removetur.

Qui transsubstantiatio a naturalibus omnibus conversionibus et productionibus differat.

20. Exclusis propriis mutationibus augmenti et alterationis, sic concludit: « In hac ergo transmutatione ostenditur quod verbum increatum, cuius virtute descendente in verbum creatum fit transmutatio, habet potestatem supra omnem naturam substantiae, transmutando substantiam *entem* (*panem*) in substantiam *non entem* (*non panem*), non relicta materia communi: supra naturam accidentis, conservando accidens in esse sine substantia: super naturam motus vel mutationis; quia haec super omne genus mutationis est, ut patet ex dictis. Et si obiiciatur ulterius ex dictis, quod mutatio ista, cum non sit aliqua praedictarum, neque contineatur sub illarum aliqua, reduci habeat ad illam, quae est creatio; dicendum quod haec est mutatio singularis et mirabilis; quia *nullam aliam habet ad plenum consimilem*, licet in parte aliis assimiletur. Non autem reduci potest ad creationem; quia eius terminus initialis (*terminus a quo*) non est omnino nihil, sed aliquid: assimilatur tamen ei; quia in ea nihil commune. Neque reduci potest ad generationem; quia ex parte termini formalis (*ad quem*) non est aliquid de novo factum, sed est mutatio in exsistens simpliciter: et quantum ad hoc similis est augmento et nutrimento; nec tamen est mutatio augmenti vel nutrimenti; quia illa nihil augetur vel nutritur. Ad alterationem non reducitur; quia illi est omnino contraria. Neque ad corruptionem vel diminutionem, imo neque illis similis est; quia hae operationes omnino imperfectae sunt, quae non decent divinam virtutem hic operantem »[2].

Differt a creatione.

A generatione.

Ab augmento et nutrimento.
Ab alteratione.

An loci mutatio. Transsubstantiationi annexa.

21. Quaerit tandem: « Si mutatio loci sit annexa huic conversioni ». Et relatis opinionibus binis, quas legimus apud Magistrum, subdit: « Tertia opinio, quod substantia panis et vini convertatur in corpus et sanguinem Christi: et haec est veritas, quam tenet Ecclesia, et alias opiniones reprobat. Dicendum est ergo quod ipsa elementa virtute verborum convertuntur in corpus et sanguinem Christi, nulla facta mutatione circa Christum neque generationis, neque corruptionis, neque augmenti vel diminutionis, vel alterationis, neque mutationis secundum locum. Unde dicendum est cum Damasceno, quod non descendit Christus de coelo, ut sit sub speciebus panis et vini; sed virtute verborum substan-

[1] *Idem, Ibidem*, § 4.
[2] *Idem, Ibidem*, § 4.

tia panis et vini convertitur in corpus et sanguinem Christi, ipsis exsistentibus eisdem in coelo et sub speciebus elementorum. — Ad hoc quod obiicitur, quod unum et idem corpus in diversis locis esse non potest, nisi interveniente loci mutatione ; dicendum quod ad hoc quod aliquis mutet locum duo exiguntur, scilicet quod sit ubi prius non fuit, et quod non sit ubi prius fuit. Prius est invenire in proposito, non secundum ; quia post consecrationem est ubi prius non fuit, sed cum hoc est ubi prius fuit : propter quod non est necesse ipsum mutare locum. Nihilominus idem corpus esse in diversis locis virtute naturali non potest, nisi interveniat motus localis. Licet ergo in alio loco exsistat quam prius, quia a priori non recedit, huic mutationi loci mutatio dissimilis est : quandam tamen similitudinem habet ; quia hac ipsa in diversis locis corpus Christi exsistit »[1]. Atque haec omnia sunt quae, in re praesenti, si doctrinam spectes, habet Halensis.

Transsubstantiatio differt a mutatione loci.

22. Ex quibus facile perspicies Halensem, uti in declaranda conversionis eucharisticae aut transsubstantiationis ratione nunquam mentionem ingessit actionis substantiae panis funditus variativae adducentisque eam ad hoc, ut sit corpus Christi de Virgine natum prorsus immutatum ; sed eam declaravit per actionem, qua *efficitur corpus Christi quantum ad esse in sacramento*, ex qua effectione, quamvis tota substantia panis per non conservationem in nihilum abeat, non dicitur tamen, et quidem iure, simpliciter annihilari, sed dicitur, contra, in corpus Christi transire et converti ; ita in declarando discrimine, quo transsubstantiatio ab aliis naturalibus conversionibus distinguitur, nunquam actionis illius adversariorum meminisse, sed illud derivasse ex specialibus notis, quae conversionem ab ipso declaratam vel constituunt, vel comitantur. Itaque transsubstantiatio, ex ipso, non est *creatio*, non quod non efficitur aut producitur corpus Christi sub speciebus aut in sacramento ; sed quia non producitur *ex nihilo*, sed *ex aliquo*. Non est *generatio*, quia non efficitur *novum* simpliciter aut primo, sed *novum quantum ad esse in sacramento*, seu hic, aut secundo *novum*. Non est *augmentum aut nutrimentum*, quia corpus Christi ex panis substantia, cum illa abeat in nihilum et nihil eius Christo incorporetur, *non augescit nec nutritur*. Non est *alteratio*, quia haec est conversio qualitatis in qualitatem, aut subiecti secundum qualitatem ; illa vero est totius substantiae in totam substantiam : quare haec illi dicitur *omnino contraria*, cum hic accidentia remaneant. Non est *corruptio aut diminutio*, cum hae sint *imperfectae ;* illa vero omnino mirabilis et singularis, ac porro perfectissima et quae *deceat divinam virtutem hic operantem ;* ac praeterea, uti superius dixit, quia corruptio aut diminutio est privatio aut negatio in praeiacente subiecto, quod hic non est. Non est *mutatio localis*, quia locus prior non amittitur, dum alter acquiritur. Quandoquidem vero ipsa est perfectissima et omnibus aliis quodammodo dominatur, quidquid in aliis perfectionis est, seclusis imperfectionibus, totum sola sibi vindicat.

Summa doctrinae Halensis.

[1] *Idem, Ibidem, § 4.*

§ III.

Doctrina Alberti Magni de Transsubstantiatione.

Albertus asserit conversionem transsubstantiativam.

23. Venio iam ad Albertum Magnum. Hic, uti Magister, uti Halensis, iam inde ab initio modeste asserit conversionem transsubstantiativam panis in Christi corpus, eandemque generali ratione paucis complectitur. Statuit namque: « Dicendum hic videtur, sine praeiudicio melioris sententiae, quod in Sacramento isto est transmutatio, quae proprie *Transsubstantiatio* vocatur, eo quod est a tota substantia rei in totam substantiam rei alterius, hoc est, a tota substantia panis et vini in totam substantiam corporis et sanguinis Iesu Christi, quantum ad formam substantialem et materiam; et *desinit* totum compositum panis et vini quantum ad substantialia, et *est* ibi totus Christus quoad materiam. Utrum autem panis annihiletur vel non, erit postea quaestio in hoc eodem capitulo »[1]. Quo loco tum conversionem in eucharistia, seu transsubstantiationem Albertus agnoscit; tum eius rationem non in actione immediate conversiva adversariorum, sed plane in eo reponit, aut ex eo declarat, quod est totius substantiae in totam substantiam, et quod: *desinit totum compositum panis et vini quantum ad substantialia, et est ibi totus Christus* (etiam) *quoad materiam:* quae Theologiae recentiori communia sunt.

In quo universim eam reponit.

Plenius notionem transsubstantiationis universim evolvit.

24. Hanc eandem doctrinam universim inspectam exhibet etiam, et forsan clarius ut assolet, in responsionibus ad difficultates: « Dicendum, *inquit*, quod bene conceditur quod panis non eodem modo se habet. Sed est non eodem modo se habere quoad totam substantiam et formam, et non habere se eodem modo quoad partem substantialem vel accidentalem. Dico igitur quod non eodem modo se habet in tota substantia; quia transsubstantiatur a tota substantia. Christus autem eodem modo se habet tunc, et ante, et post, eo quod nihil additur ei, nec aliquid advenit »[2]. Ait praeterea: « Licet transsubstantiatio praesupponat sibi ens, ex quo fit; non tamen praesupponit sibi ut materiam, quae una est in actu eius, *a quo et in quo* (in quem) fit transsubstantiatio; quia sic non esset transsubstantiatio a tota substantia, sed a forma substantiali tantum: *et ideo nihil remanet. Quia sicut actui creationis nihil subiicitur ut subiectum; ita etiam isti transsubstantiationi nihil subiicitur ut subiectum.* Sed verum est quod dissimile est in termino *a quo;* quia ibi non praesupponitur ens, sed nihil; sed hic praesupponitur ens »[3]. Itaque ex Alberto in eucharistia datur conversio totius in totum; atque ita plane ut, cum Christus nihil mutetur intrinsece, et sit post substantiam panis, haec tamen tota non maneat, atque in ratione subiecti sic se habeat

Confert cum creatione.

---

[1] Albertus M., *In IV. Dist. 11. u. 1. Solutio.*
[2] *Idem, Ibidem, ad 5um.*
[3] *Idem, Ibidem, Ad ultimum, sive ad 6um.*

in hac conversione, uti se habet nihil in creatione. Nimirum uti *nihilum* in creatione non est subiectum rei creatae, sed tantum extrinsecus terminus *a quo* aut, si ut subiectum seu ut causa materialis inspicitur, ut docet D. Thomas [1], significatur ut subiectum negatum, remotum scilicet aut removendum; ita hic substantia panis non est subiectum, nisi removendum, corporis Christi, in quod convertitur, seu est solum extrinsecus terminus *a quo*, qui ipsa conversione removetur et desinit.

Albertus transsubstantiationem passive exhibet.

25. His, secus ac videntur dicere adversarii, Albertus transsubstantiationem universim inspectam ex parte termini et passive exhibet; eamque sic circumscribit, ut ad eius rationem nonnisi desitionem et nihilum termini *a quo*, seu panis, et positionem ac praesentiam termini *ad quem*, seu corporis Christi sub speciebus ex vi conversionis requirere videatur. Hanc autem conversionem passive acceptam, in qua nec proprie *fieri* est, nec *subiectum* utrique termino commune, sed instantanea mutatio totius in totum, Albertus vocat *conversionem simplicem*, quatenus nihil aliud in ipsa est, quam solum converti aut conversum esse sensu declarato, per desitionem scilicet totius substantiae panis et positionem corporis Christi. Scribit: « Dicendum quod medius intellectus est hic, scilicet quod convertitur in illud. Sed non sequitur quod sit in potentia in illo; quia, sicut prius dictum est, ista transsubstantiatio non habet fieri proprie dicta, nec habet ad hoc subiectum commune utrique terminorum; sed est *simplex conversio* totius in totum » [2].

Vocat tamen *conversionem simplicem.*

Supponit autem et declarat etiam conversionem activam.

26. Verum est, uti a vestibulo totius disquisitionis monuimus, passivam conversionem supponere activam eamque legitime inferre; Albertumque activae conversionis universim inspectae considerationem non negligere; in ea vero declaranda ad immobilitatem indivisibilitatemque divinae virtutis et actionis assurgere. Sed enim nullibi dicit, uti dicunt adversarii: Deum una simplici indivisibilique actione immutare panem in corpus Christi, non destructa substantia panis, sed illam adducendo ad hoc, ut sit Christus idem natus ex Virgine etc.; quin, semotis contentionibus, dicit oppositum. En eius verba: « Dicendum ergo ad primum quod, in veritate, in omni transmutatione necesse est habere duo extrema; sed non est necesse in omni transmutatione haberi subiectum. Et est instantia in creatione: cuius ratio est, quia non est *vere* transmutatio. Transmutatio enim dicit fieri ipsius rei, et exitum eius de potentia ad actum. Cum autem res est in actu illo, tunc non est sub forma, a qua est transmutatio, nec est sub illa, ad quam est, nisi in potentia tantum: et est ipsa transmutatio actus quidam imperfectus et permixtus potentiae; et ideo tale fieri non est sine motu, et motus non potest esse nisi in eo, quod movetur; propter quod oportet aliquid subiici tali transmutationi. Est autem transmutatio, quae non est motus, sed mutatio

---

[1] D. Thomas, *Summ. Theol. 1. p. q. 45. a. 1. ad 3um.*
[2] Albertus, *Op. et loc. laud. a. 2. ad 8.*

sola. Et haec est duplex: scilicet ab agente physico, et sic est generatio simplex absolute considerata; et sic iterum indiget subiecto, eo quod agens physice non agit, nisi subiecta sibi materia aliqua, in quam agat. Est etiam agens primum infinitae virtutis, cuius transmutatio est sine motu et indivisibilis, eo quod nihil est ibi, nisi exsistentia huius ex illo, et post esse suum substantiale: et ideo non oportet ibi subiici materiam aliquam. Unde, meo iudicio, illa transmutatio non habet nisi terminos, et non subiectum commune, quod est tertium in mutatione physica »[1].

Illustratur Albertus.

27. Docet Albertus, si loquamur de transmutatione, ut sic, prout nimirum praescindit a *propria* et *impropria*, ad eam requiri quidem terminos binos, sed non subiectum commune, ut patet in transmutatione creativa, quae impropria transmutatio est et, quamvis habeat terminos, non habet tamen commune subiectum. Si vero loquamur de sola transmutatione *propria*, haec duplex adhuc esse potest, vel *successiva*, vel *instantanea*. In successiva, eo ipso quod cum motu est, oportet haberi tum *subiectum*, quod movetur vel in quo motus sit, tum *fieri* ipsius formae, quod non est neque forma, *a qua* est motus, neque forma, in quam est motus, nisi in potentia; sed est quidam actus medius potentiae admixtus. In instantanea autem certe locum non habet *fieri*, quod successivum est: verum si agens sit physicum et naturale, quandoquidem tale agens nequit agere nisi in et ex subiecto, necessario adest subiectum, uti in simplici generatione, seu quando forma simplex educitur ex subiecto: si demum agens sit infinitae virtutis, quod proinde subiectum non requirit, transmutatio instantanea terminos plane sibi vindicabit, sed fieri et commune subiectum prorsus excludet. Haec autem tradit Albertus, ut declaret substantiam panis in conversione eucharistica non se habere ut conversionis subiectum, sed se habere solum in ratione termini extrinseci *a quo*, adeoque removendi, uti se habet nihilum in creatione; nec dari in ea fieri ipsius termini *ad quem*, qui terminus, seu Christus, contineatur quodammodo in potentia substantiae panis. Atque hinc est, ut recurrat ad immobilitatem et indivisibilitatem divinae virtutis et operationis, quatenus si infinita virtus Dei immobilis est seu sine motu agit, non requirit subiectum, quod paullatim disponendo immutet, et sic aliud efficiat; si vero agit indivisibiliter, totum simul et non paullatim, aut quasi per partes effectum producit. Horum autem rationem reddit, aiendo: *Eo quod nihil sit ibi* (in operatione agentis primi infinitae virtutis), *nisi exsistentia huius ex illo, et post esse suum substantiale.* Itaque Albertus conversionem eucharisticam eo modo concipit, non ut Deus infinita sua virtute in instanti substantiam panis sic funditus variet, ut eam adducat ad hoc, ut sit corpus Christi immutatum; sed ut ponat Christi corpus immutatum, ex qua positione substantia panis in eodem instanti tanquam terminus extrinsecus remo-

[1] *Idem, Ibidem, a. 1. ad 1.um*

veatur et desinat, quin ipsa tanquam subiectum formae Christi possit haberi, et Christus *fieri* in ipsaque potentialiter, dum fit, contineri dici possit. Haec autem est conceptio conversionis eucharisticae Theologiae recentioris.

Quid doceat Albertus de termino *a quo* transsubstantiationis?

28. Haec clariora fient, si quae de terminis *a quo* et *ad quem* Albertus docet, singillatim consideremus. De termino *a quo* dixit non semel substantiam panis *desinere*, *non manere*. Qua ratione desinit aut non manet? Ita plane, ut nihil omnino physice maneat, sed pereat, quin tamen proprie annihiletur. Asserit Albertus: « Dicendum videtur quod substantia panis non annihiletur; et tamen *nec in se manet, nec in aliquo sui in Christo.* Haec autem opinio videtur esse consona verbis sanctorum. Unde quamvis minus intelligibilis, tamen eligenda mihi videtur propter sanctos Patres, quorum inspirata revelatio praeiudicat argumentis, quae possunt fieri contra hanc materiam. — Dicendum igitur ad primum, quod non sequitur: Si id, quod modo est panis, nec simpliciter, nec secundum aliquid sui maneat, quod annihiletur. Et est fere una responsio ad omnia: scilicet quod res mutatae manent secundum exigentiam suae mutationis. In mutatione enim, quae est de subiecto ad subiectum, manet subiectum et non accidens; manet autem subiectum secundum materiam et formam et totum compositum ex illis. In mutatione autem, quae est de non subiecto ad subiectum, vel de subiecto ad non subiectum, sicut est generatio et corruptio, manet materia, sed non forma substantialis vel accidentalis. Sed in ista mutatione (*eucharistica*), quae est de tota natura et substantia subiecti in totam substantiam alterius subiecti, manet quidem accidens, sed nihil de substantialibus: *sed est aliud, secundum quod est* CORPUS CHRISTI FACTUM PER TRANSSUBSTANTIATIONEM: et ideo non est conversum in nihilum »[1].

Substantia panis proprie non annihilatur, sed tamen nullo modo manet.

Sententia negans propriam annihilationem ex Alberto est solum probabilior.

29. Heic quaedam notanda veniunt. Primum est: — α) Doctrinam negantem annihilationem proprie dictam substantiae panis in eucharistia tradi ab Alberto uti opinionem difficilem sane, sed magis probabilem propter sanctorum Patrum auctoritatem. Non negat proinde certo et absolute proprie dictam substantiae panis annihilationem, quamvis ipse propriam non annihilationem, ceu probabilius veram, omnino sectetur. Quapropter alibi scripsit: « Ad hoc, quod obiicitur de annihilatione, dicendum quod licet quidam antiquorum hoc concesserint; non tamen approbatum est hoc a celebriori opinione modernorum. Non enim annihilatur quod in aliud praeexsistens convertitur, sicut tota substantia panis convertitur in corpus Christi, ut infra habet ostendi. Sed quia quidam, licet pauci, dicunt quod annihilatur, quod tamen ego *non puto esse verum;* si aliquis vult sustinere opinionem illorum, potest respondere ad primum argumentum contra hoc factum, quod non ex hoc sequitur coelum vel mundum restringi, si aliquid in nihilum redit de materia; quia materia (ut dicunt quidam) de se multiplex est, et in multiplicatione sui in se restituit semper sei-

[1] *Idem, Ibidem, Dist. 12. a. 7. Solutio et ad 1um.*

psam in opere propagationis »[1]. Ergo Albertus, utut non veram, non traducit tamen ceu omnino improbabilem hypothesim propriae panis annihilationis, secus ac dicere videntur adversarii.

Ex Alberto substantia panis improprie annihilatur.

30. Alterum est: — β) Panem heic dici quoad totam substantiam non manere, uti non manet accidens in transmutatione de subiecto in subiectum, uti non manet forma substantialis in generatione et corruptione. At in illis hypothesibus, ex tota doctrina scholae, tum accidens, tum forma substantialis sic non manent, ut vere et physice corrumpantur et in nihilum sui abeant. Ergo eadem ratione, ex Alberto, non manet substantia panis in eucharistia: quod est ipsam physice destrui, seu improprie annihilari. Hanc igitur impropriam annihilationem in eucharistia Albertus agnoscit. — Rursus, ex eodem, sic in eucharistia *nihil de substantialibus* manet, uti, contra, *manet accidens*. At accidens manet secundum esse physicum. Ergo secundum esse physicum *nihil de substantialibus* manet. Nihil autem de substantialibus secundum esse physicum manere est saltem improprie annihilari, uti clarum est. Ergo.

Hoc tamen non obstante, revera convertitur.

31. Tertium est: — γ) Hoc tamen non obstante, substantiam panis per Albertum non proprie annihilari, sed converti. Quare hoc? Quia ipsa non manente seu destructa,: *Est aliud, secundum quod est corpus Christi factum per transsubstantiationem*. Ergo propria annihilatio substantiae panis ex eo excluditur, quod terminus ultimus actionis conversivae non est purum nihilum, sed aliquid positivum: *Quia est corpus Christi..... ideo non est conversum in nihilum*. Ergo impropria annihilatio seu physica destructio substantiae panis, per Albertum, non solum verae conversioni non opponitur, sed ab hac natura sua exigitur: *Res mutatae manent secundum exigentiam suae mutationis..... In ista mutatione* (in conversione eucharistica)..... *manet quidem accidens, sed nihil de substantialibus*. — Ergo conversio eucharistica seu transsubstantiatio *active* sumpta, per Albertum, non est simplex actio, qua sic funditus variatur substantia panis, ut adducatur ad hoc, ut sit corpus Christi immutatum; sed est actio, qua sic fit corpus Christi sub accidentibus, quae manent, ut substantia panis non maneat, seu destruatur: *In hac mutatione..... manet quidem accidens, sed nihil de substantialibus; sed est aliud, secundum quod* EST CORPUS CHRISTI **factum** PER TRANSSUBSTANTIATIONEM. Haec autem est conceptio conversionis eucharisticae seu transsubstantiationis Theologiae recentioris.

Eandem doctrinam tradit Albertus in solutione difficultatum.

32. Ad easdem vero difficultates, quas legimus apud Halensem, easdem adhibet responsiones: « Panis, *ait*, non est ens post transsubstantiationem, sicut ignis non est ens post corruptionem: et non sequitur quod sit annihilatus, quia est in aliud conversus »[2]. Panis hic dicitur non ens, atque adeo destructus, ut ignis; sed etiam, ut ignis, non dicitur annihilatus, sed conversus. Item:

---

[1] *Idem, Ibidem, Dist. 10. a. 6. Ad hoc, quod obiicitur.*
[2] *Idem, Ibidem, Dist. 11. a. 7. ad 3um.*

« Dicendum quod hoc est verum de re, *cuius esse in nullo conservatur*, nec in aliquid transmutatur. Et ideo diminute proponitur, quando dicitur : Res cedit in nihilum, *cuius esse non conservatur*. Hoc enim est falsum in omni transmutatione substantiali »[1]. Rursum : « Ad aliud dicendum quod, facta tali positione, non sequitur universum annihilatum esse eadem de causa, quae dicta est, scilicet quia est in aliud conversum. Et ideo non sequitur: *Non manet in se, neque in aliquo sui. Ergo est annihilatum ;* sed sequitur : Ergo est annihilatum, vel tota substantia conversa est in aliud »[2]. Quibus in locis concedit Albertus substantiam panis in transsubstantiatione desinere *per non conservationem*, posse etiam eadem ratione desinere universum totum, si transsubstantiaretur, et tamen negat propriam utriusque annihilationem ; quia illa desitio et non conservatio non est simpliciter talis seu ordinata in non ens ; sed est desitio ordinata ad aliquid positivum, ad positionem videlicet corporis Christi.

33. *Dices :* Albertus expresse reiicit, sua saltem de sententia, destructionem panis in hoc sacramento. Ergo reiicit annihilationem non solum proprie, sed etiam improprie dictam. *Prob. ant.* « Dicendum quod Deus non est causa destructionis propter solam destructionem ; quia illa esset operatio stulti vel maligni. Maligni enim est semper destruere id, quod est utile ; stulti autem est destruere opus suum. Sed nihil prohibet quod aliquid destruatur, ut aliud melius construatur. Et sic est hic, ubi substantia panis propter hoc destruitur, ne inhaereat ibi hominis opinio, sed transeat ab accidentibus in veram substantiam cibi spiritualis: et hoc non est pietati contrarium. *Haec autem responsio est* NON SECUNDUM ME, sed secundum alios ; *quia ego non puto quod annihiletur aliquid de hoc*, et infra ponam rationes »[3]. Ergo. Obiectio.

34. *Respondetur :* Albertus heic *destructionem* usurpat non in sensu annihilationis impropriae, quam apertissime docet ; sed in sensu annihilationis propriae quam profitetur se non admittere. Hoc, praeter huc usque dicta, clare praeseferunt illa verba: *Ego non puto quod annihiletur aliquid de hoc.* Clarius alibi ait : « Ad ultimum dicendum quod illa obiectio supponit quod substantia panis *destruatur per annihilationem :* et hoc probatum est non esse verum in disputatione praecedentis opinionis »[4], videlicet de annihilatione proprie dicta. Quapropter Albertus destructionem substantiae panis per annihilationem proprie dictam sua de sententia excludit, improprie dictam non excludit, sed ubique aut supponit, aut etiam aequivalenter tradit. Ex iis autem, quae hic dicit, licet confirmare quod superius docuimus, strictam ipsam propriamque annihilationem substantiae panis non visam Alberto penitus improbabilem ; secus enim cui bono solvere difficultatem iuxta opinionem certo falsam reiiciendamque ? Responsio.

[1] *Idem, Ibidem, ad 7um.*
[2] *Idem, Ibidem, ad 8um.*
[3] *Idem, Ibidem, Dist. 10. a. 6. ad ultimum.*
[4] *Idem, Ibidem, Dist. 11. a. 8. ad ultimum.*

Alberti doctrina de termino *ad quem*, et de transsubstantiatione ipsa.

35. Inquirendum tandem est: Quaenam sit Alberti doctrina de transsubstantiationis termino *ad quem*, atque una de conversione ipsa. Age iam modo audivimus Albertum aientem: *Sed est aliud* (in mutatione aut conversione eucharistica) *secundum quod est corpus Christi* **factum** *per transsubstantiationem*. Quibus verbis aperte docet corpus Christi per transsubstantiationem fieri; quamvis paulo inferius eodem loco scribat: « Quod mutatur a tota substantia in totam substantiam alterius praeexsistentem, non annihilatur, nec manet, *nec aliquid novum in tali mutatione producitur* »[1]. Haec non sunt inter se opposita. Ex doctrina Alberti, quod *non producitur novum*, non infertur nihil fieri aut produci; fit enim aut producitur idem, seu quod alibi est. Legimus: « Ad obiectum autem primum..... dicendum quod absque dubio corpus Christi modo est immutabile, nihil suscipiens nihilque abiiciens, quia est gloriosum; tamen non sequitur hoc, quod pro consequenti quasi adhuc ulterius inferatur, *quod non* EFFICIATUR *alicubi per conversionem alicuius in ipsum*. Aliter enim est de conversione alicuius in aliud secundum totam essentiam, et aliter est de conversione in aliud secundum partes; partes autem voco partes essentiales, quae sunt materia et forma. Et hoc verum est quod nihil secundum materiam convertitur in aliud, nisi cuius materia recipitur ab alio et non forma, quia forma abiicitur. Sed hic non est ita; quia tota essentia panis, non annihilata, nec manens substantia panis, transit in totum corpus Christi secundum materiam et formam et ideo necesse est (*corpus Christi*) eodem modo manere nihil recipiendo, ET TAMEN EFFICI IBI, UBI FIT TALIS TRANSSUBSTANTIATIO. Ad probationem autem dicendum quod est mutatio, quae fit a motore imperfecto, cui non tota materia mobilis obedit..... Est etiam mutatio moventis virtute infinita, cui tota essentia, quae est composita ex materia et forma, obedit in conversione in id, quod intendit, et talis est in sacramento. — Ad aliud, quod obiicitur de loco, dicendum videtur..... *Si Christus efficeretur in loco aliquo circumscriptive*, tunc bene concederem quod recederet a loco, in quo erat circumscriptive; sed ad hoc, QUOD ALIBI EFFICIATUR IN LOCO ALITER QUAM EST HIC, non oportet quod recedat vel moveatur in isto, in quo est circumscriptive »[2].

Corpus Christi ex Alberto fit, aut producitur.

Declaratur Albertus, et infertur activae transsubstantiationis conceptus.

36. Ex hoc Alberti loco habemus Christi corpus: *Immutabile, nihil suscipiens nihilque abiiciens, quia est gloriosum,* EFFICI *tamen alicubi per conversionem alicuius in ipsum* — EFFICI *ibi, ubi fit transsubstantiatio — alibi* EFFICI *in loco aliter, quam est hic — quin opus sit ut recedat vel moveatur in loco, in quo est circumscriptive.* — Efficitur autem per conversionem transsubstantiationemve: *Quia tota essentia panis, non annihilata, nec manens substantia panis, transit in totum corpus Christi secundum materiam et formam — et ideo* (quia sic transit) *necesse est* (corpus Christi) *eodem modo manere nihil recipiendo, et tamen* EFFICI *ibi, ubi* FIT *talis transsubstantia-*

[1] *Idem, Ibidem, Dist. 11. a. 7. ad ultimum.*
[2] *Idem, Ibidem. Dist. 10. ad 1um et 2um.*

tio. — Quod autem hoc fiat, est ex: *Moventis virtute infinita, cui tota essentia, quae composita est ex materia et forma, obedit in conversione in id, quod intendit.* Atqui effici corpus Christi virtute infinita per conversionem substantiae panis in ipsum, quatenus substantia panis nec annihilatur, nec manet, ita ut nullo modo recipiatur in ipso, sed tamen in ipsum transeat; innuunt conversionem activam non esse actionem immediate immutativam substantiae panis, ipsamque adducentem ad hoc, ut sit corpus Christi immutatum; sed contra innuunt conversionem activam esse actionem immediate terminatam ad ipsum Christi corpus immutatum, ipsiusque productivam sub panis speciebus, ex qua productione, vel quae productio ut habeatur, uti subinde declarabitur, substantia panis, quamvis non annihiletur, non manet, seu desinit esse per non conservationem, ex Alberto, quoad totam suam physicam entitatem substantialem, et sic dicitur transire in corpus Christi; uti lignum, desinendo physice esse lignum, transit in ignem; et ignis, desinendo physice esse ignem, transit in cinerem quoad totum compositum et formam, quamvis non quoad materiam, quae non est terminus nec totalis, nec formalis conversionis transformativae, sed commune subiectum. Ergo. Porro, uti constat ex dictis, hic est conceptus transsubstantiationis Theologiae recentioris.

37. Atque quam huc usque exposuimus, constans Alberti doctrina est. Quaerit subinde: « An maioris potentiae sit *facere* de pane corpus Christi, quam de nullo aliquid creare »[1]. Respondet autem cum distinctione, uti suo loco apud D. Thomam videbimus. Notamus heic, cum inter res diversorum generum fieri nequeat comparatio, *facere de pane corpus Christi* et *aliquid creare*, saltem in genere *productionis*, conveniant opus est. Ceterum id aperte portendunt verba: *Facere de pane corpus Christi.* — Inquirit etiam: « An in sacramento eucharistiae potest dici *creari* corpus Christi per Spiritum Sanctum, et utrum per Spiritum Sanctum fiat transsubstantiatio ». In: *Sed contra* scribit: « Idem eodem modo se habens non est referendum nisi ad unam causam operantem. Caro Christi in sacramento eadem est, quam traxit de Virgine, et eodem modo se habens *in substantialibus* (*observatu dignum est quod dicit:* in substantialibus). Ergo referenda est in Sacramento ad eandem causam operantem, ad quam refertur in Virgine. Sed in Virgine attribuitur Spiritui Sancto. Ergo etiam in sacramento, sicut expresse dicit Augustinus in littera ». Respondet ad primum quaesitum: « Dicendum quod *creare* dicitur multipliciter: scilicet 1.° *ex parte creantis;* et sic creatio est actus divinus non subiacens tempori: et hoc modo dicitur corpus Christi *creatum* ». Respondet ad secundum quaesitum: « Dicendum quod, in veritate, operatio *(productio-effectio)* corporis Christi in sacramento principaliter attribuitur Verbo Incarnato, id est, appropriate..... tamen secundum aliquid, quod est in sacramento, Spiritui Sancto appro-

Doctrina exposita est constans Alberti doctrina.

[1] *Idem, Ibidem, Dist. 10. a. 8.*

priatur, scilicet quoad amorem unitivum corporis mystici ». Ad : *Sed contra*, respondet : « Dicendum quod in utero caro Christi fiebat secundum esse carnis, quae non fuit ante : et illa operatio propter attributionem gratiae et bonitatis appropriate convenit Spiritui Sancto. In sacramento autem *non fit sic ;* quia non fit caro, quae non fuit ante, sed potius (*fit sane*) illa eadem, quae est et fuit ante..... Et ideo non est idem modus operandi »[1]. Ex quibus : Ex Alberto, Christi corpus in eucharistia *creatur*, quatenus actu divino fit ; eius *operatio* aut productio stricte pertinet appropriate ad Verbum Incarnatum ; caro Christi, quae est et fuit ante, *fit in sacramento*. Atqui haec significant transsubstantiationem active esse actionem productivam ad ipsum Christi corpus immediate terminatam. Ergo.

Obiectio.

38. *Dices tamen :* Albertus, post verba ultimo laudata, immediate subdit : « Unde operatio transsubstantiationis non extendit se, nisi super substantiam panis et vini : et hoc fit verbo creato, in quo operatur verbum increatum ». Ergo transsubstantiatio active immediate versatur circa substantiam panis, et non circa corpus Christi. — Respondeo : *Nego consequentiam.* Sensus Alberti est : Dum Deus, aut appropriate Verbum Incarnatum, virtute increata facit aut producit sub speciebus illud idem corpus Christi quod est in coelo ; verbum creatum, aut verba formae non concurrunt, nisi ad transsubstantiandum panem, seu ad illam actionem, qua removetur panis, tanquam terminus extrinsecus, ut sit ibi corpus Christi increata virtute factum. Hoc autem sensu dato, evidens est consequentiam adversariorum non sequi. Illum autem esse Alberti sensum non solum sequitur ex doctrina iam data totius articuli ; sed plenissime intelligitur ex doctrina articuli VII., quam hic supponit, ac paucis innuit. Quaerit in illo articulo : « An virtus verborum consecrationis sit virtus creata, vel increata ». Respondet : « Dicimus hoc modo, quod creata est et coniuncta increatae virtuti in ipsa ». Obiecerat sibi Aristotilem dicentem : *Agens in omnibus nobilius est patiente, et faciens facto.* Quare si virtute creata verba consecrationis facerent corpus Christi, ipsa essent quid nobilius corpore Christi : quod absurdum est. Respondet primo responsione communi et certissime vera, dictum Philosophi intelligendum esse non de causa partiali aut instrumentali, sed de causa totali, aut certe principali. Cum ergo verba consecrationis eorumque virtus non sint, nisi causa instrumentalis, principalis autem Verbum Incarnatum ; totalis Verbum increatum utens verbo creato, tanquam instrumento, non sequitur quod verbum creatum sit nobilius corpore Christi, aut quod corpus Christi sit nobilius sua causa totali aut principali, sed solum quod sit nobilius causa instrumentali : quod absurdum non est, imo est necessarium. Tum subdit : « Vel dicatur subtilius, quod cum duo proponantur virtuti illi, quae creata est, scilicet substantia panis et corpus Christi, quod operatio Christi (*nimirum verborum Christi ;*

Responsio declaratur.

Probatur.

[1] *Idem, Ibidem, Dist. 10. a. 10.*

de his enim agit) non extendit se, nisi super substantiam panis; quia corpus Christi non fit (*de novo, aut quod ante non fuit*), sed panis transsubstantiatur in corpus Christi uno modo manens, quod fuit ante: et ideo non sequitur quod virtus illa nobilior sit corpore Christi. Prima autem solutio, licet non ita solvat ad propositum, sicut secunda, tamen intelligibilior est »[1]. Itaque, ex Alberto, verba consecrationis non efficiunt nisi transsubstantiationem panis, seu non concurrunt nisi ad duorum unum, quae requiruntur in conversione, nimirum ad remotionem panis, dum corpus Christi fit hic virtute increata. Quapropter mirum non est corpus Christi nobilius esse sola virtute verborum, quae ad corpus Christi hic ponendum non concurrit, nisi ut instrumentum, ac proinde *dispositive* et *per prius*, prioritate tamen non temporis, sed naturae vel rationis, transsubstantiando panem, seu panis substantiam removendo, uti modis omnibus superius declaravit, ut sub speciebus sit corpus Christi. Quod, qua ratione intelligendum sit, et utrum possit admitti, suo loco erit videndum. Remaneat igitur conversionem, ex Alberto, non esse actionem quae, substantiam panis variando, eam adducat ad hoc, ut sit corpus Christi; sed esse actionem qua, remota substantia panis virtute verborum cum Deo coagente, a solo Deo ponitur corpus Christi; vel qua, ut alii volunt, ab integra causa, principali et instrumentali, ad positionem corporis Christi, una removetur et desinit panis substantia. Sed de hoc, ut diximus, suo loco.

Plenus ex Alberto activae transsubstantiationis conceptus.

39. Liceret Albertum sequi, ubi transsubstantiationem cum mutationibus aliis conversionibusve comparat, dictorumque manifestam ex iis deducere confirmationem. Temperamus autem ne partim repetamus, quae in Halensi legimus, partim praeoccupemus, quae mox ex D. Thoma pleno alveo corrivabimus. Placet unum subiicere, quod usui aliquando erit. Quaerit: « Quomodo haec transmutatio se habeat ad operationem naturae, et mirabilium sive miraculorum ». Respondet: « Ut mihi videtur, non oportet hic multum immorari; quia ego concedo quod illa transsubstantiatio non est naturalis, nec miraculosa, sed mirabilis. Quia miraculum est quod fit praeter spem, et hoc est arduum, insolitum. Istud autem non est praeter spem, imo fit cum spei certitudine; quia certificatur spes ex verbis Domini: et ideo etiam non est insolitum, eo quod vi verbi Domini habetur usus et cursus illius operationis, sicut ex vi naturae certificatur et frequentatur cursus naturae. Relinquitur ergo quod sit opus mirabile, eo quod nos, cognoscendo et operando, non possumus in illud, cum tamen speremus illud solitum nobis ex vi sermonis Domini »[2].

Non ultra Albertum sequemur et quare.

Transsubstantiatio mirabilis.

40. Si ex iis, quae tradit *in IV. Distinctionum* quaeque unice appellant adversarii, Alberti doctrina de transsubstantiatione esset definienda, causa finita esset, suumque ius recentior Theologia catholica pacifice adiisset. Verum enimvero nobis, qui sincere et

[1] *Idem, Ibidem, Dist. 10. a. 7.*
[2] *Idem, Ibidem, Dist. II. a. 4. Solutio.*

serio veritatem quaerimus, non licet silentio praeterire quae Albertus in speciali tractatu *De Eucharistia* scripsit quaeque, si sola spectes verba, adversariis videntur favere. Ait enim : « In sacramento novo modo confectionis (*Filius Dei*) utitur, quo conficitur sacramentaliter panis in corpus Domini, ita quod substantia panis nec annihilatur, nec alteratur, *neque secundum substantiam mutatur*, sed sine omni additione vel *mutatione* tota substantia panis in materia et forma panis convertitur in corpus Christi sine eo, quod aliquid addatur corpori Christi, et absque eo, quod aliquid mutetur in ipso. Et hanc conversionem sapientes et Doctores legis Christianae, proprio nomine, *transsubstantiationem* vocaverunt; quia tota substantia panis simul in forma, et materia, et coniuncto transit in corpus Christi absque eo, quod corpus Christi vel mutationem, vel additionem recipiat aliquam ex illo in illud transitu, si tamen transitus proprie potest appellari »[1].

Difficilis Alberti locus ex *Libro De Eucharistia*,

Ambrosius ab Alberto declaratus.

41. Scribit etiam : « Ad hoc autem, quod dicitur de verbis Ambrosii, dicendum quod, cum dicit Ambrosius quod : *Sermo Christi creaturas mutat*, intelligit de mutatione supernaturali, quae transsubstantiatio vocatur ; quia tota substantia panis transit in corpus Christi. — Ad hoc etiam, quod dicit quod : *Substantia panis*, *vel quod panis convertitur in corpus Christi*, dicendum quod talem supernaturalem intelligit versionem, in qua quidem panis vertitur in gloriosum et divinum corpus Dominicum, sed ipsum Christi corpus nullam sustinet versionem additionis vel alterationis, sed *efficitur tamen in alturi*, *ubi non fuerat prius.* — Ad hoc autem, quod obiicitur, quod sit ibi mutatio panis de esse panis in non esse ; dicendum quod hoc penitus falsum est. Panis enim in illa supernaturali mutatione nunquam est in non esse. Non esse enim aut dicit privationem, aut negationem. Quod si diceret privationem, tunc diceret privationem formae panis in materia panis, in qua privatione iam esset per inchoationem formae corporis Christi, quod penitus est absurdum ; quia sic corpus Christi novum ex pane generaretur. Si autem diceret negationem, tunc penitus annihilaretur in sacramento substantia panis, quod fides catholica non admittit ; quia, sicut diximus, substantia panis tota transsubstantiatur in corpus Christi gloriosum et divinum, et sic efficitur substantia panis quod non erat prius : et hoc est aliquid effici, et non annihilari »[2].

Monentur tria.

I. Est locus obscurus per clariora declarandus.

42. Haec, abs dubio, difficilia sunt : in rem tamen nostram tria monemus. Primum est, non satis intelligi quid hic proprie intendat Albertus de modo aut ratione transsubstantiationis ; quem tamen modum quamve rationem satis dilucide, quantum mysteria fidei conceptibus analogicis sobrie possunt declarari, tradidit *in IV. Distinctionum.* Ex clarioribus ergo, iuxta receptum hermeneutices canonem, obscuriora sunt interpretanda. Eo vel magis quod hic Albertus, Magistri vestigiis pressius insistens, nihil aliud

---

[1] Albertus M., *Liber De Eucharistia, Dist. 6. Tract. 2. c. 1. n. 9.*
[2] *Idem, Ibidem, n. 10.*

revera clare et explicite praestat, nisi asserere dogma transsubstantiationis, negare panis mutationem naturalem, asserere supernaturalem quae Deum deceat, refellere obiectiones aliquas ex naturalibus mutationibus derivatas, definire loquendi modum; ac tandem concludit: « Haec est fides catholica in loquutionibus istis: et ideo haec verba a nobis dicta caute et fideliter sunt tenenda. Et propter tales huius materiae difficultates dixit Spiritus Sanctus: *Si quid residuum fuerit, igne comburetis*[1]. Quia multa manent in secretis Dei residua, quae humanus non potest penetrare intellectus: et haec igni Spiritus Sancti, et igni devotionis sine magna discussione sunt committenda »[2]. De audacibus vero huius mysterii scrutatoribus explicat, quae de tribus et quatuor sceleribus Moab apud Amos leguntur[3].

II. Non insinuatur adversariorum sententia.

43. Alterum est, si quam mysterii declarationem hcic insinuat Albertus, eam certo non esse, quam veteribus Doctoribus adscribunt adversarii. Nihil hic dicitur de substantia panis funditus variata adductaque ad hoc ut, quin fuerit destructa, sit corpus Christi immutatum. Dicit quidem: *Panis in illa supernaturali mutatione nunquam est in non esse — Tota substantia panis simul in forma et materia et coniuncto transit in corpus Christi — Substantia panis tota transsubstantiatur in corpus Christi gloriosum et divinum: et sic efficitur substantia panis, quod non erat prius: et hoc est aliquid effici et non annihilari.* Verum in prioribus verbis Albertus nihil contendit aliud, uti legenti patet, nisi quod panis, illa supernaturali mutatione, in nullo instanti est naturaliter in non esse neque *per privationem*, neque *per negationem meram*, quae esset propria annihilatio. Ceterum *non manere panem, panem desinere ac improprie annihilari* innuit aequivalenter subinde, ubi ait: « Panis et vinum secundum suas naturales substantias sunt materia sacramenti, ex quibus sacramentum constituitur..... et tamen in Christi corpore nulla fit mutatio, vel additio »[4]. Sunt enim, per Albertum, substantia panis et substantia vini materia sacramenti conficiendi aut *in fieri*, non *in facto esse* seu, uti ait Halensis: *Materia conversionis, non materia conversi:* sunt proinde materia *remota* aut *removenda* quae, quemadmodum in Alberto legimus: *Non conservatur neque in se, neque in Christi corpore*, et sic *non manet*, aut *desinit* et *improprie annihilatur;* quamvis proprie non annihiletur, quia ultime non tendit in purum nihilum, sed in corpus Christi; et actione, qua ponitur corpus Christi, ipsa consequenter desinit esse aut non conservatur, non actione mere annihilativa. Quapropter paulo inferius ait: « Ad hoc autem, quod quaeritur: Quid habitudinis notent istae praepositiones, cum dicitur: *De pane, vel ex pane fit corpus Christi*, satis bene probatum est quod nec materiam notare possunt, nec ordinem simplicem. Sed dicendum quod supernaturalis transsubstantiationis no-

[1] *Exod. 12, 10.*
[2] Albertus, *Op. et loc. laud. n. 12.*
[3] Amos, *2, 1. seqq.*
[4] *Idem, Ibidem, n. 10.*

tant *principium et ordinem;* quia illa supernaturalis mutatio tota est in pane, *et nullum habet terminum in corpore Dominico* »[1]. Ac rursum : « Habitudines praepositionum (*de* et *ex*)..... notant habitudinem terminorum transsubstantiationis supernaturalis »[2]. Igitur substantia panis et vini, per Albertum, se habet uti transsubstantiationis extrinsecum terminum *a quo*, atque ita mutatur supernaturaliter, ut *nullum habeat terminum in corpore Dominico*, seu ut nullo modo sit aut maneat in corpore Dominico, in quo, consequenter, *nulla fit mutatio*, *vel additio.* — Ex eo vero quod substantia panis est transsubstantiationis principium aut terminus extrinsecus *a quo*, et dicit ordinem ad corpus Christi, quamvis non maneat aut desinat esse, dicitur tamen *transire in corpus Christi : Si tamen*, inquit, *transitus proprie potest appellari.* Et eodem pacto dicit substantiam panis *effici quod non erat prius;* quia scilicet *tota transsubstantiatur in corpus Christi*, seu tota, ut terminus extrinsecus, removetur, ut sit corpus Christi, quod non est *annihilari*, seu in purum nihilum abire, sed *aliquid effici*, seu tendere in aliquid, tanquam in ultimum terminum positivum, atque sic hunc effici : ad eum modum quo lignum v. g. quoad compositum desinit esse; tamen, quia non in purum nihilum, tanquam in ultimum terminum tendit, sed in ignem, non dicitur quoad ipsum compositum annihilari, sed effici ignis.

III. Insinuatur sententia recentioris Theologiae catholicae.

44. Tertium est Albertum, hoc loco, minus quidem diserte sortilegisque quodammodo verbis, eandem in re doctrinam tradere, quam in *IV. Distinctionum* clarius tradidit. Eo praesertim quod hic, uti ibi, constanter docet *corpus Christi effici*, ac porro insinuat transsubstantiationem *active* esse actionem ad Christi corpus immediate terminatam. De corpore Christi dicit universim: *Est in altari nunc, ubi non erat prius.* Tum: *Ipsum Christi corpus nullam sustinet versionem additionis vel alterationis, sed* EFFICITUR *tamen in altari, ubi non fuerat prius;* et: *Nulla penitus est ibi generatio, cum corpus Christi maneat ante et post secundum eundem statum in esse naturali et divino, nisi quod* EFFICITUR *in altari, in quo non erat prius*[3]. Quapropter subinde, sensu declarato, de pane ceu extrinseco termino *a quo*, concedit: *De vel ex pane fieri corpus Christi.* Doctrina autem Alberti in *IV. Distinctionum*, uti demonstratum est, est communis doctrina Theologiae catholicae recentioris. Atque haec de Alberto M. sint satis.

§ IV.

Doctrina D. Thomae de Transsubstantiatione.

45. Tempus est, ut D. Thomam consulamus ab ipsoque, ceu a proprio Doctore, ubi ubi hanc materiam pertractat, edoceamur. Atque, ut a libris sententiarum ordiamur, S. Doctor methodo in-

[1] *Idem, Ibidem, eod. num.*
[2] *Idem, Ibidem, eod. num.*
[3] *Idem, Ibidem. eod. num.*

sistens, quam ubique persequitur, supponit dogma de conversione totius substantiae panis et vini in corpus et sanguinem Christi, ipsiusque explicationem, rectam videlicet intelligentiam rationemque, concinne tradit. Quapropter, cum titulus quaestionis sit: *De conversione panis in corpus Christi et vini in sanguinem;* puncta, quae disceptando definit, sunt: 1.° *Utrum post consecrationem remaneat ibi panis:* 2.° *Utrum annihiletur:* 3.° *Utrum converti possit in corpus Christi:* 4.° *De loquutionibus, quae in hac materia concedendae sunt*[1]. Haec autem, uti patens videtur, ad rectam intelligentiam et rationem dogmatis directo faciunt, quamvis indirecte ipsum Transsubstantiationis dogma revera confirment. D. Thomas in libros sententiarum. Eiusdem methodus.

46. Inquirimus: Quomodo transsubstantiationem Angelicus Praeceptor intelligat: quae intelligentia, uti monuimus, ex iis, quae de terminis conversionis et de conversione ipsa docet, capienda est. Quid ergo praecipit de substantia panis? Tria prorsus. Ac primo quidem, peracta conversione, eam in eucharistia *non manere*. Scribit enim: « Dicendum ad primam quaestionem, quod haec positio, quae ponit substantiam panis ibi *remanere* post consecrationem simul cum vero corpore, incompetens est huic sacramento, et impossibilis, et haeretica »[2]. Speciatim vero docet explicite *non manere* formam substantialem panis, ubi ait: « Dicendum quod forma panis substantialis *non remanet* post consecrationem »[3]. De materia demum quamvis pluries supponat et implicite asserat ipsam *non manere;* clarius id edicere videtur, ubi scribit: « Dicendum quod in hac transmutatione seu conversione est aliquid, quod transmutatur, scilicet panis, non quidem ad modum aliarum mutationum naturalium, *ut aliquid ipsius maneat*, sed *secundum totum et omnes partes eius*, ut dictum est »[4]. Ac rursum: « Dicendum quod communicatio importat quandam collationem: et ideo exigit aliquid recipiens id, quod confertur, seu datur. Unde non habet locum nisi in formalibus conversionibus, in quibus mutatio non attingit nisi usque ad formam: et ideo, cum in hac conversione *nihil maneat, cui possit aliquid conferri (plane ne materia quidem)*, non habet locum communicatio »[5]. Quid tradat Angelicus de substantia panis. Quid de panis forma. Quid de materia.

47. Sed enim quo sensu ait S. Doctor totam panis substantiam, formam, materiam, consecratione peracta, *non manere?* Profecto, nec dubius dixerim, quatenus desinit esse aut destruitur. Enimvero extra controversiam est D. Thomam non asserere *totam panis substantiam non manere*, quatenus in praeiacentem materiam resolvatur et loco cedat, cum expresse doceat oppositum[6]. Neque item, quia *proprie annihilatur*, uti notum est, et mox plenius dicetur. Superest igitur, ut dicat *non manere*, vel quatenus corrumpitur aut destruitur, seu *improprie annihilatur;* vel quatenus, si D. Thomas docet substantiam panis in eucharistia corrumpi.

---

[1] D. Thomas, *In IV. Dist. 11. q. 1.*
[2] *Idem, Ibidem, a. 1. quaestiunc. 1. corp.*
[3] *Idem, Ibidem, quaestiunc. 3. corp.*
[4] *Idem, Ibidem, a. 3. quaestiunc. 1. ad 2um.*
[5] *Idem, Ibidem, ad 4um.*
[6] *Idem, Ibidem, a. 2. corp.*

possibile est, ipsa non destructa, sic funditus varietur, ut *sit omnino aliud*, atque adeo *non maneat*. Atqui non hoc, sed illud docet D. Thomas. Primo quidem, quia verba *non manere*, si obvie usurpentur, non certe hoc secundum, quod valde reconditum est, sed prius illud ex sese significant: tum eo sensu a D. Thoma adhibentur, quo ex opposito docet *manere* materiam aut subiectum commune in conversionibus naturalibus, *manere* accidentia in conversione eucharistica. Atqui in his ista manent, quatenus physice non corrumpuntur. Ergo, ex opposito, quatenus physice corrumpitur, in eucharistia *non manet* tota substantia panis.

Prima ratio.

Secunda ratio.

48. Secundo, in explicanda eucharistica conversione D. Thomas, analogice quidem sed tamen constanter, de ipsa eiusque terminis philosophatur ad normam conversionum naturalium, uti ex lectione articulorum praesentis quaestionis potest intelligi, et ex omnibus dicendis planum fiet. Atqui in conversionibus naturalibus sic dicit terminum *a quo* non solum *totalem*, sed etiam *formalem non manere*, ut per hoc non intelligat eorum intrinsecam variationem sine reali destructione aut corruptione, sed intelligat, contra, eorum physicam corruptionem destructionemque. Et de termino totali *a quo* sic habet: « Quarto (*differt transsubstantiatio a naturali conversione*), quia in naturalibus conversionibus transmutatur et id, quod convertitur, et id, in quod convertitur. Illud quidem, quod in alterum convertitur, semper *transmutatur corruptione;* sed illud, in quod aliquid naturaliter convertitur..... Unde hoc, in quod terminatur conversio, nullo modo transmutatur, scilicet corpus Christi; sed solum panis, qui convertitur »[1], transmutatur plane et, ex superius dictis, *corruptione.* De termino vero formali *a quo* habet: « Dicendum quod, in mutationibus naturalibus, terminus *a quo est forma aliqua*, quae quidem non convertitur in terminum *ad quem*, et ideo *annihilatur*[2], nisi quatenus manet in potentia in suo subiecto »[3]. Quem in locum animadvertimus S. Doctorem non negare hic conversionem formalem, quam saepe alibi tradit, uti iam inde ab initio totius disquisitionis docuimus; sed tantum intendere, in conversionibus naturalibus formam, cum non sit id *quod* convertitur, sed id, *quo* fit conversio, non dici proprie converti, sed converti proprie dici compositum aut suppositum, uti inferius plenius declarabitur. Quod autem dicit formam *annihilari*, non concedit annihilari proprie, sed tantum improprie, uti colligitur ex obiectione, ad quam respondet, et ex illis verbis: *Nisi quatenus manet in potentia in suo subiecto.* Est enim ac si diceret formam sic destrui ac perire physice, ut dici posset annihilari, si non remaneret in potentia subiecti aut materiae. Quapropter in eadem responsione negat quidem sub-

---

[1] *Idem, Ibidem, q. 1. a. 3. quaestiunc. 1. corp.*

[2] Ita Editio Romana, anno MDLXX. In Editione Parmensi, hoc loco, legitur: Et ideo non annihilatur, nisi..... Parum refert: sensus est idem, nimirum: *Si non annihilatur, id ideo est, quia manet in potentia subiecti.*

[3] *Idem, Ibidem a. 2. ad 1um.*

stantiam panis proprie annihilari, sed huius rationem derivat non ex eo, quod substantia panis physice non pereat aut non destruatur, sed ex eo, quod convertitur, seu ultimum terminum positivum habet. Quare virtualiter omnino innuit ipsam, uti formam in naturalibus conversionibus, plane corrumpi. Sed de hoc statim.

49. Tertio, sic docet Angelicus in eucharistia substantiam panis *non manere*, ut dicat eam *mutari* in corpus Christi; atque ita quidem ut, vel *absolute loquendo* de mutatione, ut sic, prout nimirum praescindit a mutatione propria vel impropria, intrinseca vel extrinseca etc., vel *loquendo hypothetice* ex Christi institutione in praesenti ordine providentiae, uti alii et alii eius discipuli ipsum varie interpretantur, putet metaphysice impossibile in eadem poni Christi corpus, pane in ipsum non mutato. At huiusmodi mutatio praesefert totius substantiae panis physicam corruptionem destructionemque. Ergo. Maior est S. Doctoris, ubi ait: « Sed quod sit impossibilis (*positio, quae ponit substantiam panis ibi remanere*) patet ex hoc, quod impossibile est aliquid esse nunc, cum prius non fuerit, *nihil ipso mutato, vel aliquo in ipsum;* nec potest etiam per miraculum fieri, sicut quod esset animal rationale mortale, et non esset homo; aliter enim se habere nunc et prius est idem quod moveri aut transmutari. Si ergo corpus Christi verum esset sub sacramento nunc et non prius, oportet aliquem motum vel mutationem intervenisse. Sed nulla mutatio est ex parte panis facta secundum hanc positionem. Ergo oporteret quod corpus Christi sit mutatum »[1]. Quod S. Doctor docet esse non posse, et sic concludit mutatum panem, et consequenter non remanere, quod intendebat. Ergo stat maior. *Prob. min.* Istaec panis mutatio, quam Angelicus in Eucharistia probat, ut inferat in ea non remanere substantiam panis, vel *positiva* sit necesse est, facta per acquisitionem novi esse, priori retento; vel *negativa*, seu habita per amissionem totius esse; tota enim substantia mutari dicitur. At nequit esse mutatio positiva; remaneret enim tota panis substantia, secus ac S. Doctor ex fide docet. Ergo debet esse mutatio negativa, qua nihil de physica panis substantia maneat, ac porro tota corrumpatur aut destruatur. Tertia ratio.

50. *Dices:* Per D. Thomam, mutatio istaec nec simpliciter positiva est, nec negativa, sed est *funditus variativa* substantiae panis ut, quin physice destruatur, ita mutetur, ut adducatur ad hoc, quod sit ipsum Christi corpus immutatum. At, contra, praecise quia mutatio istaec est totius substantiae panis *variativa*, per D. Thomam est ipsius physice destructiva aut corruptiva. « Dicendum, *ait*, ad primam quaestionem quod in mutationibus naturalibus invenitur aliqua mutatio, secundum quam nihil *variatur* de eo, quod est intraneum rei, sed solum hoc, quod est extra, sicut patet in motu locali. Aliqua vero mutatio, in qua *variatur* illud, quod inest rei accidentaliter, scilicet quantitas vel qualitas, ut patet in motu augmenti et alterationis. Aliqua vero mutatio est, *quae pertingit* Instantia. Disiicitur.

[1] *Idem, Ibidem, a. 1. quaestiunc. 1. corp.* — Cfr. *ad 3.um eiusdem quaestiunculae.*

usque ad formam substantialem, sicut generatio et corruptio. Sed naturalis mutatio non potest pertingere usque ad *variationem materiae*, quia operatur ex supposita materia, sicut quodlibet secundum agens operatur suppositis his, quae data sunt sibi a primo agente; et haec principia oportet manere in operatione naturae, ut *in I. Physicorum* dicitur. Sicut autem esse compositi, quod ex suppositione materiae natura producit, operationi naturae subiicitur; ita ipsa materia, quam praesupponit natura, subiicitur actioni primi agentis, scilicet Dei, a quo hoc ipsum imperfectum esse, scilicet in potentia, quod habet, accepit. Unde *divina operatio pertingere potest ad variationem materiae*, ut scilicet sicut natura facit hoc totum esse hoc totum, ut ex toto aere totam aquam, *ita Deus facit ex hac materia signata illam* »[1]. Quibus ultimis verbis, cum toto praesertim contextu inspectis, luculenter patet, ex S. Doctore, Deum eodem modo facere ex hac materia signata illam, quo agens naturale facit ex hoc composito illud, scilicet in rem nostram *variando materiam*, uti agens naturale variat compositum, aut formam. At agens naturale variat compositum aut formam, illa, qua talia, corrumpendo aut physice destruendo. Ergo etiam corrumpendo aut physice destruendo variat Deus ad materiam usque substantiam panis, dum ex illa, tanquam ex termino *a quo*, facit corpus Christi, seu ipsam in Christi corpus convertit. Itaque *variatio* illa substantiae panis qua, sine ipsius destructione, adducatur ad hoc, ut sit corpus Christi immutatum, non est doctrina D. Thomae.

An ex Angelico substantia panis proprie annihiletur.

Negandum.

Varia Angelici loca.

51. Ratum igitur sit, ex doctrina D. Thomae *in IV. Distinctionum*, substantiam panis sic in eucharistia non manere, ut vere corrumpatur, physice destruatur, improprie annihiletur. Sequiturne exinde substantiam panis proprie aut simpliciter annihilari? Neganda est eiusmodi consequutio, ac formaliter ab Angelico negatur. Quaerit: *Utrum panis, facta consecratione, annihiletur.* Respondet: « Nec potest dici quod annihiletur, *eo quod omnis motus denominatur a termino ad quem*, sicut motus, qui est ad albedinem, dicitur dealbatio. Unde illa trasmutatio tantum dici potest annihilatio, *cuius terminus ad quem esset nihil.* Hoc autem non potest esse in illa conversione; quia oportet hanc conversionem terminari ad corpus Christi; quia nihil potest incipere hic esse, cum prius non fuerit, nisi per motum aut mutationem propriam vel alterius *terminatam aliquo modo ad ipsum.* Unde si conversio praedicta ad corpus Christi non terminaretur, oporteret quod corpus Christi esset hic in altari, facta consecratione, ubi prius non erat, per motum proprium, quod supra est improbatum. Unde patet quod opinio illa falsa est, quae ponebat substantiam panis annihilari »[2]. Rursum: « Conversio panis in corpus Christi non est mutatio opposita creationi, sed quodammodo perficiens ipsam, in quantum panis nobilius esse per hanc conversionem consequitur.

---

[1] *Idem, Ibidem, a. 3. quaestiunc. 1. corp.*

[2] *Idem, Ibidem. a. 2. corp.*

Et ideo non oportet quod sit in hac conversione terminus *ad quem*, quod in creatione erat terminus *a quo* »[1], videlicet *nihil*. Iterum: « Dicendum quod quamvis *panis non sit aliquid ;* tamen illud, in quod conversus est panis, est aliquid conversione facta : et ideo non sequitur quod panis sit annihilatus »[2]. Tandem : « Dicendum quod quamvis non maneat panis neque in se, neque in alio; manet tamen corpus Christi, in quod conversus est panis : et ideo non sequitur quod sit annihilatus »[3].

Collectio ex variis D. Thomae locis.

52. Vel obiter Angelici loca istaec consideranti palam est ab ipso propriam panis annihilationem in eucharistia negari, non quod substantia panis non corrumpitur aut physice destruitur; sed quod quamvis *tota mutetur* mutatione plane negativa, et *non sit aliquid* adeoque sit nihil, et non *maneat neque in se, neque in alio* ac porro nuspiam et nusquam sit ; tamen *mutatur, aliquid non est, non manet neque in se, neque in alio*, ex vi conversionis aut actionis conversivae, non autem ex vi actionis annihilativae. Hoc enim exprimit illa ratio, quam diversimode S. Doctor enuntiat : Panis non annihilatur, quia convertitur. — Tum negari annihilationem ; quia in annihilatione simpliciter et proprie tali terminus ultimus est *nihilum simpliciter ;* dum hic est corpus Christi, quod incipit esse : *Per mutationem..... alterius* (panis) *terminatam aliquo modo ad ipsum.*— Praeterea negari annihilationem quod, ubi in Christi corpus convertitur : *Panis nobilius esse per hanc conversionem consequitur.* Quae omnia satis congrue complexus est Caietanus, aiendo : « Ubi videre potes in eo, quod est panis ante consecrationem, efficaciam habere consecrationem seu divinam actionem quantum ad vim utriusque termini, scilicet *a quo* et *ad quem.* Quoniam actio conversiva acquirit ei, quod erat panis, esse corpus Christi, convertendo id in corpus Christi, et ad hoc *concomitatur deperditio termini a quo*, dum quod simul convertitur et conversum est in corpus Christi, *desinit esse panis* »[4]. Ac rursum : « Hoc enim modo intelligitur sublatum id, propter quod (*panis a corpore Christi*) distinguebatur, et totam rem converti in totam rem, ita quod *nihil eius* (panis) *secundum se remaneat, aut in nihilum decidat* »[5].

Caietanus.

Quodnam sit nobilius esse, quod panis consequitur.

53. Quodnam vero sit illud nobilius esse, quod panis consequitur, evidens est, ipsum scilicet esse corporis Christi. Non est autem usque adeo evidens, quo pacto huiusmodi esse consequi dicatur panis. Et quidem certum penitus est non consequi illud esse, quod physica aliqua ratione manet atque intrinsecus perficitur ; hoc enim, uti vidimus, aperte ab Angelico negatur. Dicere vero cum Caietano remanere panis entitatem seu rationem entitatis substantialis, quae pani et corpori Christi communis est, et secundum communem eiusmodi rationem : *id, quod erat panis, con-*

Negative respondetur.

---

[1] *Idem, Ibidem, ad 2um.*
[2] *Idem, Ibidem, ad 3um.*
[3] *Idem, Ibidem, ad 4um.*
[4] Caietanus, *In 3.am p.em D. Thomae, q. 75. a. 4. Ubi videre potes.*
[5] *Idem, Ibidem, Contrariatur etiam directe.*

versione peracta, esse corpus Christi[1], et sic panem nobilius esse consequi; si subtile quid est, parum abest quin sit ioculare. Entitatis enim substantialis ratio non aliam inter panem et Christi corpus communitatem exhibet, quam genericam, atque adeo abstractam et methaphysicam, non realem et physicam. Illud autem nobilius esse, quod de pane cum veteribus aliis praedicat S. Doctor noster, est esse aliquod reale et physicum, cum physicae realisque conversionis sit terminus.

Respondetur positive.

54. Sciendum igitur est panem dici consequi *nobilius esse*, quatenus concurrit ad hanc conversionem, cuius terminus *ad quem* est aliquid ipso *physice nobilius*, videlicet corpus Christi. Ista enim conversio: *Est quodammodo ipsam* (creationem) *perficiens, in quantum panis nobilius esse per hanc conversionem consequitur.* Ea igitur ratione panis nobilius esse consequitur, qua concurrit ad conversionem. Atqui, iuxta veritatem et D. Thomam, non concurrit in ratione subiecti, sed tantum in ratione termini *a quo*, et quidem extrinseci. Ergo hac eadem ratione nobilius illud esse consequitur. Hoc autem idem est, ac dicere panem nobilius esse consequi secundum quandam denominationem extrinsecam, qua ordo ille et illa terminorum successio ex vi conversionis praedicatur, quatenus ad hunc ordinem significandum recte dici potest: *Ex pane fit vel factum est corpus Christi.* Ergo. Enimvero panem non concurrere ad hanc conversionem in ratione subiecti, sed tantum in ratione termini extrinseci partim diserte partim aequivalenter ab Angelico docetur: « Secundo, *inquit*, differt in hoc (*a naturalibus conversionibus*) quod haec conversio non habet subiectum, sicut illae habent »[2]. Tum: « Dicendum quod transmutatio naturalis ponit actum imperfectum (*motum*), ut patet in *III. Physicorum.* Et quia idem est subiectum actus perfecti et imperfecti, ideo oportet quod subiectum transmutationis naturalis sit id, quod est subiectum postmodum actus perfecti, scilicet formae, ad quam tendit *motus*, et non ipsum iam perfectum. Sed transmutatio huius conversionis non ponit aliquem actum imperfectum, sed *solum successionem quandam perfectorum non solum actuum, sed rerum subsistentium.* Successio autem est in succedentibus sibi, sicut et ordo in ordinatis. Sed, secundum regulam *in lib. I. Distinct. 26.* de relativis datam, erit ista relatio ordinis huius successionis secundum rem quidem in ipso pane, qui mutatur (*realiter*), non autem in corpore Christi vero, nisi secundum rationem; quia ipsum immutatum manet »[3].

Concluditur quodnam sit nobilius esse, quod panis acquirit.

55. Remaneat igitur *esse illud nobilius*, quod panis per conversionem eucharisticam dicitur acquirere, ex mente D. Thomae, esse extrinsecam quandam denominationem fundatam in eo, quod panis transit aut removetur, quia sub speciebus ponitur corpus Christi,

---

[1] *Idem, Ibidem.* Cfr. commentarium art. praecedentis.

[2] D. Thomas. *Op. et loc. laud. a. 3. quaestiunc. 1. corp.*

[3] *Idem, Ibidem, a. 3. quaestiunc. 1. ad 3um.* — Lege, sodes, *a. 4. quaestiunc. 1. corp. et quaestiunc. 3. corp.*

atque adeo Christus secundum ordinem quendam, *realem* in pane, qui mutatur ut sit corpus Christi, *rationis* in Christo, qui ibi incipit esse loco panis, modo nostro intelligendi loquendique, *ex pane ordinate ponitur et quodammodo procedit;* panis vero *de Christi esse quodammodo participat.*

56. Atque quod diximus de *nobiliori esse*, dicendum etiam est de Angelici loquutione altera, qua substantia panis dicitur converti, ut *sit ipsummet Christi corpus ;* id enim est *acquiri nobilius esse*, quod *fieri ipsummet Christi corpus.* En locum D. Thomae: « Dicendum quod in mutationibus naturalibus terminus *a quo* (*formalis*) est forma aliqua, quae quidem non convertitur in terminum *ad quem*, et ideo annihilatur, nisi quatenus manet in potentia in suo subiecto. Sed illud, quod convertitur ad terminum *ad quem*, est subiectum mutationis, non quidem ut sit illud, sed ut sit sub illo: unde subiectum annihilari non dicitur in quantum in aliud convertitur. Unde, cum in hac conversione id quod est terminus *a quo*, scilicet substantia panis, convertatur secundum se totam in terminum *ad quem*, scilicet corpus Christi, non quidem ut sit sub ipso, sed *ut sit ipsummet*, patet quod non est annihilatio substantiae panis »[1]. Iam supra declaravimus qua ratione Angelicus dicat in naturalibus mutationibus formam non converti, et annihilari. Praecipiendum nunc est, cum dicit: *Quod convertitur ad terminum* AD QUEM, *est subiectum mutationis, non quidem ut sit illud, sed ut sit sub ipso*, sensum non esse: *Materiam, quae dici solet subiectum mutationis, converti ;* sed sensum esse: *Suppositum seu totum converti ad terminum ad quem, ita tamen ut sub ipso sit ratione materiae*, quae utrique conversionis termino subiectum commune est. Eruimus hunc sensum ex ipsis S. Doctoris verbis; illum enim aperte portendunt. Tum declaraturus in quo conversio eucharistica ab naturalibus conversionibus differt, tertio loco ait: « Tertio, quod in naturalibus conversionibus convertitur totum in totum, non autem partes essentiales in partes; *totus enim aer convertitur in ignem; sed materia aeris non convertitur in aliquid, quia est eadem ;* forma etiam non convertitur, quia abscedit illa, et alia introducitur »[2]. Ex quibus liquet subiectum converti ut totum et suppositum; est autem sub termino *ad quem* ratione materiae.

Quid sit, apud D. Thomam, *panem fieri ipsummet Christi corpus.*

Locus D. Thomae.

Declaratur.

57. Itaque D. Thomas in his et huiusmodi locis concedit impropriam annihilationem formae naturalis, quia corrumpitur seu abit in nihilum; negat propriam, quia et quatenus remanet in potentia materiae. Negat propriam suppositi annihilationem; quia, secundum materiam, est sub termino *ad quem.* Negat demum propriam panis annihilationem in eucharistia; quia panis, quamvis non maneat, seu secundum totam suam substantiam, uti probatum est, ex D. Thoma corrumpatur; *fit tamen ipsummet Christi corpus.* Iam vero hoc ultimum nonnisi secundum extrinsecam denominationem

Collectio ex dictis.

---

[1] *Idem, Ibidem, a. 2. ad 1um.*
[2] *Idem, Ibidem, a. 3. quaestiunc. 1. corp.*

dici potest. Qua enim ratione alia quod physice destruitur, dici aliud potest? Praesertim si hoc aliud omnino in se immutatum manet, atque illud idem, quod erat ante? Adde quod, uti extrinseca denominatio est formam manere in potentia materiae, quatenus hoc loquendi pacto significamus formam novam fieri posse ab agente in materia et dependenter ab ipsa, tanquam a causa materiali; uti denominatio, partim *extrinseca*, partim *secundum quid*, est terminum totalem *a quo* manere sub termino *ad quem*, quia ibi est materia eius (a parte enim denominatur totum quod, quamvis ipsum non sit, id dicitur esse, quod est materia eius); ita denominatio extrinseca est panis substantiam ita converti, *ut sit ipsummet Christi corpus*, vel quatenus Christi corpus dici potest aliquo modo panis, quod ex pane ordinate processit et sub panis speciebus continetur; vel quod Christi corpus nunc est contentum sub speciebus, quod contentum prius erat panis. Quapropter substantia panis in conversione eucharistica, ex D. Thoma, primo quidem, corrumpitur aut physice destruitur; secundo vero, proprie non annihilatur, idque tum quia perit aut in nihilum abit actione conversiva, adeoque directe positiva non negativa; tum quia eius destructio ultime ordinatur in terminum positivum, a quo, saltem extrinsece, positive denominatur.

D. Thomae doctrina de termino *ad quem* et de conversione ipsa.

58. Cum haec ita sint, docet tertio Angelicus panis substantiam in Christi corpus immutatum converti. Liceat autem in summam quodammodo conferre plura, quae sparsim huc usque legimus, ut quid de termino *ad quem* et de conversione ipsa sentiat haud difficili negotio colligamus. Docet ergo Christum incipere esse in hoc sacramento, cum prius non fuerit. Non incipere esse per motum localem, sed per conversionem substantiae panis in ipsum. Conversionem hanc fieri virtute divina, qua Deus elicit actionem cum actione creativa et cum Incarnatione active sumpta conferendum[1], et mutationes omnes reliquas mirum in modum excedentem. Vi huius actionis totam Christi individuam substantiam, perfectum scilicet hoc aliquid et subsistens, succedere subsistenti pani, ast desinenti physice seu neque in se, neque in alio manenti; idque ita ut, toto tempore praecedenti, quo forma profertur, sub speciebus sit panis, in ultimo autem eiusdem temporis instanti sit Christus, panisque non sit pereatque[2]. Recte et proprie ad hunc ordinem innuendum ad significandamque hanc realem ordinatamque terminorum successionem dici posse: *Ex pane fit corpus Christi*. Atqui haec sonant Christum ipsum in eucharistia aliquo modo effici aut produci, cum exhibeatur tanquam realis terminus realis actionis effectivae, et *fieri* dicatur: conversionem vero ipsam active inspectam supernaturalem Dei esse actionem, ad ipsum Christi corpus immediate terminatam, qua sive quia fit hic corpus Christi, sive ut fiat corpus Christi, uti suo loco declarabitur, panis expellitur in nihilumque abit, quemadmodum ex D. Thoma

[1] *Idem, Ibidem, a. 3. quaestiunc. 3. corp.*
[2] *Idem, Ibidem, a. 3. quaestiunc. 2. ad 1um.*

probatum est. Ergo. Iam vero haec est notio conversionis communissima apud Theologiam recentiorem, si communia placita spectentur, et nullo modo conversionis notio, quam veteribus Doctoribus, imprimisque D. Thomae attribuunt adversarii.

Exhibetur specialis D. Thomae locus.

59. Iuverit hoc loco, quae diximus, unico Angelici testimonio, cum aliis iam allatis coniungendo, confirmare. « Sicut esse compositi, *ait*, quod ex suppositione materiae natura *producit*, operationi naturae subiicitur; ita ipsa materia, quam praesupponit natura, subiicitur actioni primi agentis, scilicet Dei, a quo hoc ipsum imperfectum esse, scilicet in potentia, quod habet, accepit. Unde divina operatio pertingere potest ad variationem materiae, ut scilicet sicut natura facit hoc totum esse hoc totum, ut ex toto aere totam aquam; ita Deus facit ex hac materia signata illam. Et quia materia signata est individuationis principium, ideo solius Dei operatione hoc fieri potest, ut hoc individuum demonstratum fiat illud individuum demonstratum: et talis modus conversionis est in hoc sacramento; quia *ex hoc pane fit hoc corpus Christi.* Ex quo patet quod ista conversio differt ab omnibus naturalibus conversionibus in quatuor. *Primo*, in hoc quod usque ad materiam pertingit, quod in illis non invenitur. Et quia materia est primum subiectum, ipsius non est aliud subiectum; ideo *secundo* differt in hoc, quod haec conversio non habet subiectum, sicut illae habent. *Tertio*, quia in naturalibus conversionibus convertitur totum in totum, non autem partes essentiales in partes. Totus enim aer convertitur in ignem, sed materia aeris non convertitur in aliquid, quia est eadem; forma etiam non convertitur, quia abscedit illa et alia introducitur. Sed hic et totum convertitur in totum, quia *panis fit corpus Christi;* et partes etiam convertuntur, quia *materia panis fit materia corporis Christi, et forma substantialis similiter fit illa forma, quae est corporis Christi* [1]. *Quarto,* quia in naturalibus conversionibus transmutatur et id, quod convertitur, et id, in quod convertitur. Illud quidem, quod in aliud convertitur, semper transmutatur *corruptione;* sed illud, in quod aliquid naturaliter convertitur, si quidem sit *simplex conversio*, transmutatur per generationem, sicut cum aqua generatur ex aere: si autem sit *conversio cum additione ad alterum praeexsistens*, illud cui additur, transmutatur secundum augmentum, vel saltem per restaurationem deperditi, sicut accidit in nutrimento. Sed hic illud, in quod fit conversio, erat praeexsistens et non ei additur; quia, ut dictum est, illud quod convertitur (*et consequenter transmutatur, ut modo dixit,* CORRUPTIONE), convertitur in ipsum et secundum totum, et secundum omnes partes eius. Unde hoc, in quod terminatur conversio, nullo modo transmutatur, scilicet corpus Christi, *sed solum panis, qui convertitur* »[2], trans-

[1] Nota Angelicum non dicere: *fit anima,* sed: *fit illa forma, quae est corporis Christi.* Ex eius enim doctrina, *ex vi verborum*, panis convertitur *in corpus*, prout praescindit a vivente et mortuo; nunc autem, *per concomitantiam*, ponitur animatum anima rationali. Cfr. *3. p. q. 76. a. 1.*

[2] *Idem, Ibidem, a. 3. quaestiunc. 1. corp.*

mutatur sane ac, dicam iterum, CORRUPTIONE; hoc enim contextus exigit.

60. Longiorem hunc Angelici textum placuit afferre, quia in ipso, quasi in compendio quodam, tota eius hac super re doctrina continetur. Et quidem singulas fere eiusdem partes in superioribus disquisitioni subiecimus. Nunc aliqua solum observanda sunt, cum plura in locum illum, ubi de *Summae Theologicae* doctrina erit agendum, opportune reserventur. *Primum* est D. Thomam intelligere et explicare conversionem eucharisticam analogice ad normam conversionum naturalium; hinc enim est, ut operose vestiget in quo ab istis illa differat ut, datis discriminibus, ex conversionibus naturalibus manuducamur aliquo modo ad conversionem illam intelligendam. *Secundum* est inter illa discrimina non inveniri quod aiunt adversarii, panis scilicet substantiam in eucharistia non destrui, sed funditus variari, ut adducatur ad hoc, ut sit corpus Christi; sed inveniri oppositum, panis nimirum substantiam totam *corrumpi:* et quia ipsa substantia panis est id, *quod heic convertitur;* inde est ut non solum totum in totum convertatur, quemadmodum fit in naturalibus conversionibus; sed etiam partes essentiales in partes, quod in conversionibus naturalibus non fit, quia materia remanet, et forma substantialis non est id, *quod convertitur*, sed id, *quo fit conversio. Tertium* est, uti in naturalibus conversionibus terminus *ad quem* aliquo modo efficitur ex termino *a quo*, ut unus dicatur fieri alius, *lignum* v. g. *fieri ignis;* ita etiam hic aliquo effectionis genere totam substantiam panis dici fieri corpus Christi, et partes essentiales fieri partes essentiales. Quapropter *quarto* D. Thomas conversionem eucharisticam active inspectam in tali actione reponebat, qua ad effectionem positionemque corporis Christi sub speciebus, tota corrumpitur substantia panis, manentibus speciebus. Et haec quidem de dogmatis intelligentia. Rationem vero dogmatis *quinto* repetit ex eo quod, cum Deus, ut auctor materiae, potest actione sua pertingere usque ad variationem destructivam aut corruptivam ipsius materiae, dum agens naturale potest solum pertingere ad variationem corruptivam formae et suppositi; potest etiam totum aliquod individuum in aliud individuum convertere, ex corruptione illius hoc aliud quodammodo producendo, quod non potest agens naturale. Posse igitur Deum in materiam ratio est quare potest eucharisticam conversionem perficere, sed non indicat modum eandem perficiendi, qui notis aliis ab Angelico definitur.

In relatum D. Thomae locum animadversiones aliquot.

Prima.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Quinta.

61. Quamvis quae dicta sunt, ad Aquinatis doctrinam *in libris Sententiarum* intelligendam ubertim sufficiant; non gravabimur bina adhuc subiicere, antequam ad alia transeamus. *Primum* est, ex Angelico, vi transsubstantiationis Christo praeexsistenti additionem non fieri, *quia panis convertitur in ipsum et secundum totum, et secundum omnes partes eius*, ac praeprimis secundum materiam: contra vero in conversione naturali in praeexsistens, huic fit additio, quia materia, quae eadem manet adeoque non convertitur, fit sub praeexsistentis forma, atque ei additur. Igitur, ex D. Tho-

Addenda bina.

Primum.

ma, quod convertitur, quatenus convertitur, non manet seu physice destruitur, sive hoc sit totum, sive pars eius. Hinc vero ulterius sequitur, ex Angelico, de ratione conversionis, ut sic, esse destructionem termini *a quo*, et consequenter positionem per productionem aut effectionem aliam termini *ad quem*, uti habet Theologia recentior. *Alterum* est contra mentem veterum, imprimisque D. Thomae, denominationem *conversionis simplicis* ab adversariis intelligi. *Conversio simplex*, ex D. Thoma, opponitur *conversioni cum additione*, seu illa est qua terminus *ad quem* simpliciter producitur, uti est *in generatione*, non qua praeexsistenti aliquid additur, uti fit *in augmento*. Quapropter conversio eucharistica dicitur plane ab Alberto Magno, a D. Thoma et ab aliis *conversio simplex*, non quod sit una simplex actio, quae materiam immutando, quin destruat, adducit ad hoc, ut sit corpus Christi immutatum; sed quatenus est talis actio qua, destructa aut corrupta substantia panis, Christus in sacramento simpliciter ponitur aut fit, nec ei, prout est in coelo, quidquam additur, sed est omnino idem cum ipso; atque adeo non sunt *duo*, sed una vel alia ratione, uti suo loco declarabitur, ad summum est *bis idem*. Ceterum, uti monent Halensis, Albertus aliique, dici etiam quadantenus potest *conversio non simplex*, sed *cum additione;* quia per simplicem conversionem terminus *ad quem* primo producitur et nullo modo praesupponitur, dum heic Christus praesupponitur, et solum secundo, aut tertio..... fit. Quare sub hoc respectu conversio eucharistica *conversioni cum additione* augmenti aut nutrimenti similis est.

Secundum.

Quid conversio simplex: quid conversio cum additione.

62. Doctrinam, quam huc usque exposuimus, paucis partim proponit, partim insinuat Angelicus in *Quodlibetis*[1] et in *Commentariis in I. ad Corinthios*[2], plenius autem evolvit in duplici *Summa*, *contra Gentiles* scilicet et *Theologica*. In priori Summa orditur, uti fere semper alibi, ab asserenda saltem virtualiter necessitate conversionis substantiae panis in Christi corpus ut, secundum veritatem formae praesertim, Christus in Sacramento incipiat esse. Excluso enim motu locali, prosequitur. « Relinquitur ergo dicendum quod verum corpus Christi esse incipiat in hoc sacramento per hoc, quod substantia panis convertitur in substantiam corporis Christi, et substantia vini in substantiam sanguinis eius »[3]. Hinc vero infert tum substantiam panis et vini *non manere;* tum *non annihilari* aut in praeiacentem materiam resolvi: « Ad utrumque enim, *inquit*, sequitur quod corpus Christi in hoc sacramento esse incipere non posset, nisi per motum localem: quod est impossibile, ut ostensum est »[4]. Quasi diceret: Si substantia panis manet, aut annihilatur in praeiacentemve materiam resolvitur, non convertitur in corpus Christi. Si non convertitur in corpus Christi, Christus non posset incipere esse in Sacramento, nisi per

Asserit Angelicus virtualiter necessitatem conversionis.

Infert substantiam panis non manere, nec proprie annihilari aut in praeiacentem materiam resolvi.

---

[1] D. Thomas, *Quodlibetis 7. et 9.*
[2] *Idem, In I. Cor. c. 11. Lect. 4. et 5.*
[3] *Idem, Contra Gent. lib. 4. c. 64.*
[4] *Idem, Ibidem, loc. ult. laud.*

motum localem. Ergo. Porro maior est verissima. Si enim manet substantia panis, est id, quod erat ante: non est igitur mutata, nec proinde conversa. Item si proprie annihilatur, transit in nihilum, non in aliquid, nec consequenter convertitur. Demum si resolvitur in praeiacentem materiam, missis aliis, non transit in corpus Christi: ergo nec in ipsum convertitur. Minor vero, uti saepe vidimus, constanter in sensu aut absoluto aut hypothetico, iuxta alios et alios, ab Angelico asseritur.

Tradit dogmatis intellectum.

Locus D. Thomae.

63. His S. Doctor partim dogma asseruit, partim stravit viam ad rectam dogmatis intelligentiam capiendam. Subdit enim: « Sciendum tamen est quod praedicta conversio panis in corpus Christi alterius modi est ab omnibus conversionibus naturalibus. Nam in qualibet conversione naturali manet subiectum, in quo succedunt sibi diversae formae, vel accidentales sicut cum album in nigrum convertitur, vel substantiales sicut cum aer in ignem: unde conversiones formales nominantur. Sed in conversione praedicta subiectum transit in subiectum, et accidentia manent: unde haec conversio substantialis nominatur. Et quidem *qualiter* haec accidentia maneant et *quare*, posterius perscrutandum est. *Nunc autem considerare oportet quomodo subiectum in subiectum vertatur* (al. convertatur cod. A. et B.): quod quidem natura facere non potest. Omnis enim naturae operatio materiam praesupponit, per quam subiecta individuantur: unde natura facere non potest, quod haec substantia fiat illa, sicut quod hic digitus fiat ille digitus. Sed materia subiecta est virtuti divinae, cum per ipsam producatur in esse: unde divina virtute fieri potest quod haec individua substantia in illam praeexsistentem convertatur. Sicut enim virtute naturalis agentis, cuius operatio se extendit tantum ad immutationem formae, exsistentia subiecti supposita, hoc totum in illud totum convertitur *secundum variationem speciei et formae*, utpote hic aer in hunc ignem generatum; ita virtute divina, quae materiam non praesupponit sed eam producit, haec materia convertitur in illam, et per consequens hoc individuum in illud; individuationis enim principium materia est, sicut forma est principium speciei. Hinc autem manifestum est quod in conversione praedicta panis in corpus Christi non est aliquod subiectum commune permanens post conversionem, cum transmutatio fiat secundum primum subiectum, quod est individuationis principium. Necesse est tamen aliquid remanere, ut verum sit quod dicitur: *Hoc est corpus meum:* quae quidem verba sunt huius conversionis significativa et factiva. Et quia substantia panis non manet, nec aliqua prior materia, ut ostensum est, necesse est dicere quod maneat id, quod est praeter substantiam panis. Huiusmodi autem est accidens panis. Remanent igitur accidentia panis post conversionem praedictam »[1].

Declaratur

64. Extra controversiam est in hoc loco velle Angelicum dogmatis transsubstantiationis rectam tradere intelligentiam: *Nunc considerare*, inquit, *oportet* QUOMODO *subiectum in subiectum verta-*

[1] *Idem, Ibidem, paulo post.*

tur, ac paulo ante de accidentibus dixerat: QUALITER *haec accidentia maneant et* QUARE, *posterius perscrutandum est.* Vel ex sola autem huius loci lectione obvie intelligitur doctrinam heic traditam eandem esse prorsus cum doctrina *in IV. Distinctionum* contenta, et iisdem fere verbis, utut brevius, expressam. Quapropter uti *Distinctionum* doctrina illa est, quam communius Theologia recentior sequuta est; ita cum hac doctrina etiam omnino consentit. Enimvero heic transsubstantiatio a conversionibus omnibus naturalibus discriminatur, quod hae ad solam formam, vel ad formam et totum aut suppositum pertingunt, atque adeo *formales* dicuntur, et speciem per se in aliam speciem convertunt; illa pertingit usque ad materiam aut ad primum subiectum substantiale, ac porro *substantialis* est, et non solam speciem, sed individuum etiam per se in individuum convertit. Quare illae fieri possunt ab agente naturali; haec nonnisi ab agente primo, cui soli ipsa subiicitur materia. Quemadmodum vero agens naturale per variationem corruptivam formae in subiecto convertit suppositum unius speciei in suppositum alterius; ita Deus per variationem corruptivam totius substantiae non solum suppositum unius speciei, sed ipsum substantiale individuum in aliud individuum convertit: *Cum transmutatio fiat secundum primum subiectum, quod est individuationis principium.* Nihil sane explicite hic docet Aquinas cuiusmodi sit actio, qua Deus hunc panem in hoc Christi corpus transsubstantiat. Sed enim cum, dato illo radicali discrimine, conversionem eucharisticam analogice declaret ad normam conversionum naturalium, omnino ex eius mente esse tenendum est actionem illam esse aliquo modo effectivam aut productivam ipsius corporis Christi in sacramento, ad cuius productionem positionemque sub speciebus, uno vel alio modo subinde declarando, tota substantia panis desinat aut corrumpatur ita, ut terminus ultimus integrae actionis conversivae sit solum Christi corpus sub speciebus praesens. Quare S. Doctor paulo inferius prosequitur: « Accidit igitur in hac conversione contrarium ei, quod in naturalibus mutationibus accidere solet, in quibus *substantia manet, ut mutationis subiectum, accidentia vero variantur* (corrumpuntur plane aut pereunt): hic autem e converso *accidens manet*, et *substantia transit* (seu corruptione variatur, ut exigit oppositio). Huiusmodi enim conversio non potest proprie dici motus, sicut a naturali consideratur, et subiectum requirit; sed est *quaedam substantialis successio*, sicut in creatione est *successio esse et non esse*, ut in secundo[1] dictum est »[2].

65. Expositio huc usque tradita derivata quodammodo est ex Ferrariensi, qui in suo Commentario, inter alia, sequentia habet: « Circa illud, quod dicitur *in consecratione huius sacramenti substantiam panis non annihilari*, considerandum est primo ex doctrina

[1] *Idem, II. Contr. Gent. c. 19.*
[2] *Idem, IV. Contr. Gent. c. 63.*

S. Thomae[1], cum motus a termino *ad quem* accipiat denominationem, ad videndum an aliqua mutatio sit annihilatio necne, videndum est an eius terminus sit *nihil omnino,* vel potius *aliquid modo aliquo;* quia si fuerit omnino nihil, erit annihilatio; si vero fuerit aliquo modo aliquid, non erit annihilatio. — Considerandum secundo quod in denominatione mutationis non oportet respicere ad quemcumque terminum, sed ad terminum principaliter intentum ab agente. Nam mutatio ad esse hominis dicitur hominis generatio, eo quod agens principaliter intendat hominis exsistentiam, licet sint multi alii termini praecedentes et positivi et privativi. Sic etiam ad videndum an aliqua mutatio debeat annihilatio nominari, respiciendum est non ad quemcumque terminum illius mutationis, sed ad terminum principaliter intentum ab agente talis mutationis. In mutatione ergo, qua substantia panis convertitur in corpus Christi, duplex invenitur terminus, scilicet non esse panis et corpus Christi: sed esse sacramentale corporis Christi est terminus principaliter intentus a Deo, a quo principaliter haec conversio fit; non esse autem panis ad hunc terminum ordinatur. Ideo cum esse sacramentale corporis Christi sit aliquid, non autem nihil, talis mutatio substantiae panis non potest dici annihilatio; imo nec ex ipso non esse panis, ad quod dicta mutatio terminatur, tanquam ad dispositionem termini principalis, potest dici annihilatio; quia tale non esse non est omnino nihil, sed est negatio esse panis in corpore Christi sacramentali, in quod conversus est panis. Non enim sufficit ad annihilationem alicuius quod nihil eius maneat in se, vel in alio; sed requiritur quod nihil etiam maneat, in quod sit conversum »[2].

Praecipitur consonantia Summae Theologicae cum reliquis Angelici operibus.

66. Quin divinationi opus sit indulgere, asserere iam licet eandem ab Angelico in *Summa Theologica* doctrinam tradi. Ubi enim semel, aliqua in re, D. Thomae explorata mens est, haec ubique eadem invenitur, nisi forte (quod hic non facit, quamvis aliquando faciat) declaret ipsemet expresse se ea in re sententiam mutasse. In more haud est Angelico Doctori ubi ubi aliquid tangit, id usque plene ac omni ex parte enucleare; sed ea tantum innuere, quae ad praesentem spectant disquisitionem, reliquis ei loco relictis, in quo vel plenior habenda fuit disceptatio, vel ratione alia libuit evolvere. Didicimus enim studiis et experientia nostra nullibi D. Thomam, quod Caietanus aliique non semel arbitrati sunt, *tacite mutasse sententiam:* ast, re eadem ubique retenta, modum ipsam proponendi saepe variasse ut, si quis diligenter inquirat, reperiat ubique sententiae identitatem. A doctrina igitur Summae Theologicae de transsubstantiatione fusius proponenda, post dicta huc usque ius esset temperare. Verum cum ea sit illius operis auctoritas pervagataque apud omnes studiosos notitia, ut reliqua Angelici opera facile vincat; non ingratum erit eandem

---

[1] *Idem, Quodlib. 7. q. 4. — 1. p. q. 45. a. 1. ad 2.um — IV. Dist. 11. a. 2. corp.*
[2] Ferrariensis, *In Contr. Gent. lib. 4. c. 63.*

prorsus rem iis verbis perlegere, quibus in Summa Theologica, breviter quidem, sed concinne proponitur.

Synopsis quaestionis LXXV tertiae partis.

67. De Transsubstantiatione Angelici Praeceptoris sapientia quaestione LXXV. tertiae partis continetur: in qua post constitutam, ex praecepta methodo, quaestione praecedenti sacramenti eucharistiae materiam remotam aut removendam, agit de modo quo huiusmodi materia removetur, et materia proxima sive *in fieri* sive in *facto esse*, in ipso corpore et sanguine Christi sub speciebus per S. Doctorem reponenda, constituitur. Porro modum illum conversione panis in corpus et vini in sanguinem Christi catholica fide edocemur contineri. Hoc ergo fidei dogmate supposito, eius rectam intelligentiam rationemque, seu *quomodo* et *quare sit* S. Doctor vestigat: ex qua recta intelligentia ac ratione dogmatis id, inter alia, commodi capitur, ut quae methodice de materia remota et proxima huius sacramenti intendit, sponte velut sua determinentur. Quapropter transsubstantiationem duplici ratione considerat: primo quidem *absolute*, secundo autem *relative*. Hinc in binas partes prima totius quaestionis divisio. Pars autem prior, seu consideratio absoluta articulos septem priores complectitur; pars altera articulum octavum. Consideratio vero absoluta dupliciter rursum patet: ac primo articulis prioribus quatuor vestigat intrinseca et quasi substantialia constitutiva ipsius conversionis; secundo subsequutis articulis ternis usque ad septimum concomitantia aut quodammodo consequentia seu proprietates. Substantialia vero in conversione sunt termini, tum actio conversiva, qua unus in alium transit. Hinc articulo primo agit de termino *ad quem*, utpote qui et nobilior in se est, et conversionem specificat. Quaerit ergo: *Utrum in hoc sacramento sit corpus Christi secundum veritatem.* Articulis vero secundo et tertio versat terminum *a quo*, et inquirit: *Utrum in hoc sacramento remaneat substantia panis et vini post consecrationem;* sin vero minus: *Utrum substantia panis et vini post consecrationem huius sacramenti annihiletur.* Articulo demum quarto ipsam prae oculis habet actionem conversivam, quaeritque: *Utrum panis possit converti in corpus Christi.* In concomitantibus ex parte termini *a quo* accidentia sunt, ac propterea articulo quinto quaerit: *Utrum in hoc sacramento remaneant accidentia panis et vini post consecrationem;* et quatenus id affirmatur: *Utrum, facta consecratione, remaneat in hoc sacramento forma substantialis panis.* Post haec adest concomitans ad modum proprietatis methaphysicae ipsius totius conversionis, et sic quaeritur: *Utrum ista conversio fiat in instanti.* Convertitur demum S. Doctor ad considerationem relativam, ut analogice loquendi modum in re praesenti definiat, et sic quaerit: *Utrum haec sit falsa:* EX PANE FIT CORPUS CHRISTI.

Praecipua doctrinae capita de conversione eucharistica, ac speciatim de termino *a quo*.

68. His in antecessum de tota quaestione delibatis, ut ad praecipua doctrinae capita deveniamus, de termino *ad quem* docet Angelicus *sola fide* nos certos esse: « Verum corpus Christi et sanguinem esse in hoc sacramento »[1]; de termino vero *a quo* ex ea-

[1] D. Thomas, *Summ. Theol. 3. p. q. 75. a. 1. corp.*

dem fide tuetur in sacramento *non manere:* quod ex necessitate conversionis substantiae panis in ipsum, ut Christus in sacramento sit, aperte confirmat: « Dicendum, *ait*, quod quidam posuerunt, post consecrationem, substantiam panis et vini in hoc sacramento *remanere*. Sed haec positio stare non potest. Primo quidem, quia per hanc positionem tollitur veritas huius sacramenti, ad quam pertinet, ut verum corpus Christi in hoc sacramento exsistat, quod quidem ibi non est ante consecrationem. Non autem aliquid potest esse alicubi, ubi prius non erat, nisi vel per loci mutationem, vel per alterius conversionem in ipsum: sicut in domo aliqua de novo incipit esse ignis, aut quia illuc defertur, aut ibi generatur. Manifestum est autem quod corpus Christi non incipit esse in hoc sacramento per motum localem..... Et ideo relinquitur quod non posset aliter corpus Christi incipere esse de novo in hoc sacramento, nisi per conversionem substantiae panis in ipsum. Quod autem convertitur in aliquid, facta conversione, *non manet*. Unde relinquitur quod, salva veritate huius sacramenti, substantia panis post conversionem *remanere non* potest »[1].

Textus D. Thomae.

Quaestio prior An et quomodo, ex Angelico, necessaria conversio, ut Christus in sacramento incipiat esse.

69. Quaeres fortasse: I. Qua ratione dixerit Angelicus: *Non posset aliter corpus Christi incipere esse de novo in hoc sacramento, nisi per conversionem substantiae panis in ipsum.* — Respondeo: Uti obvie ex superius dictis[2] intelligitur, in exponenda, hac super re, D. Thomae mente non solum Doctores universim, sed illos etiam, qui maxime audiunt Thomistae, esse discissos. Volunt alii S. Doctorem de antecedenti et plane absoluta necessitate conversionis panis in ipsum, ut Christus in eucharistia praesens esse incipiat, esse intelligendum: volunt alii intelligendum esse de necessitate consequenti et hypothetica in praesenti ordine divinae providentiae. Utravis vero ratione necessitas illa declaretur, quaestioni nostrae nec proficiet quidquam, neque officiet. Necessitas enim conversionis naturam ipsam quidditatemque conversionis in suis constitutivis haudquaquam variabit. Necessaria enim erit conversio, prout est natura sua; non hanc aut illam habebit naturam, quia antecedenter consequenterve ad Christum in eucharistia ponendum est necessaria. Non vacat igitur quaestionem illam in praesentiarum penitius rimari. Verum ut, quid nobis videtur, paucis innuamus, sequentia subiicimus.

Doctorum opiniones.

Pro disquisitione nostra quaestio adiaphora.

Iudicium auctoris.

De duplici *Summa*.

70. In duplici Summa verius aut unice verum videtur D. Thomam intelligendum esse de necessitate consequenti et hypothetica iuxta praesentem providentiae ordinem. *Primo* quidem, quia necessitas absoluta et antecedens, si non est omnino et evidenter falsa, quod plures nec sine fundamento contendunt, est abs dubio in se difficillima et non necessaria ad D. Thomam intelligendum, cum necessitas hypothetica et consequens per se sufficiat. Neque enim verum est, quod in superioribus ait Gonetus, in hac hypothesi D. Thomam non efficaciter probaturum contra haereticos

Firmatur primo.

---

[1] *Idem, Ibidem, a. 2. corp.*

[2] Cfr. *Part. II. Sect. 2. § 2. n. 4. seqq.*

in eucharistia substantiam panis non manere. Nam si ex vi institutionis Christi necessaria est conversio, ut eius corpus in eucharistia sit; esto, possit fieri aliter, de facto tamen nonnisi per conversionem panis in ipsum in eucharistia erit: quod haeretici, probata Christi institutione, debebunt admittere. Priori autem hoc admisso, si insuper probetur ad veram conversionem requiri, ut substantia panis non maneat; efficaciter contra illos probabitur in eucharistia substantiam panis non manere. Tum longe facilius est probare contra haereticos in eucharistia ex Christi institutione conversionem esse agnoscendam, quam probare Christum de potentia absoluta non posse aliter, quam per conversionem, fieri praesentem in eucharistia. — *Secundo*, quia exemplum a D. Thoma inlatum ad doctrinam mentemque suam quodammodo declarandam, solam connaturalem necessitatem innuit: *Sicut*, inquit, *in domo aliqua de novo incipit esse ignis, aut quia illuc defertur, aut quia ibi generatur.* Non est autem verisimile voluisse aut potuisse D. Thomam negare, posse ignem absolute in loco aliquo miraculose creari, et sic illuc non deferri, aut in eo generari. — *Tertio*, quia ipse excludit miracula, quae a forma non significantur, ac porro agnoscit aliqua fieri absolute in hoc sacramento posse quae, posita Christi institutione, nec fiunt, nec connaturaliter possunt fieri. Sic ait: « Similiter etiam non est dare unde talis resolutio vel annihilatio in hoc sacramento causetur, cum effectus sacramenti significetur per formam. Neutrum autem horum significetur per haec verba formae: *Hoc est corpus meum* »[1]. Rursum: « Alii dixerunt quod redit substantia panis et vini in ipsa corruptione specierum..... Sed haec positio videtur esse impossibilis..... Nisi forte dicatur redire praedicta substantia, quia Deus de novo creat aliam novam substantiam loco primae. Secundo videtur hoc esse impossibile, quia non est dare quando substantia panis redeat..... Nisi forte dicatur quod in ipso ultimo instanti corruptionis specierum redit non quidem substantia panis et vini, quia illud idem instans est, in quo primo habent esse substantiae generatae ex speciebus; sed materia panis et vini, quae magis de novo creata diceretur, quam rediens, proprie loquendo. Et secundum hoc posset sustineri praedicta positio. Verum quia non rationabiliter videtur dici quod miraculose aliquid accidat in hoc sacramento, nisi ex ipsa consecratione..... »[2]. — *Quarto*, quia, ut iam dictum fuit et mox plenius dicetur, D. Thomas supernaturalem conversionem transsubstantiationemve panis et vini in corpus et sanguinem Christi explicat analogice ad normam conversionum naturalium. Ergo congruum est asserere ipsum intellexisse necessitatem conversionis supernaturalis ad effectum supernaturalem uti, excluso motu locali, intelligebat necessitatem conversionis naturalis ad habendum effectum naturalem, praesentiam realem v. g. ignis in loco,

Secundo.

Tertio.

Quarto.

---

[1] D. Thomas, *loc. ult. laud. a. 3. corp.*

[2] *Idem, Ibidem, q. 77. a. 5. corp.* — Cfr. *Contr. Gent. lib. 4. c. 66. Si quis autem — Ad hanc dubitationem.*

ubi prius non erat. At hanc alteram necessitatem non intelligebat certe, nec poterat intelligere esse antecedentem et absolutam, sed solum consequentem, conditionatam, connaturalem; docet enim millies miracula absolute fieri posse praeter constitutum ordinem cursumque naturae, quamvis iste ordo consequenter, hypothetice, in pluribus etiam connaturaliter necessarius sit. Ergo congruum est asserere ipsum non antecedenter et absolute, sed consequenter, conditionate aut hypothetice, connaturaliter quodammodo intellexisse necessitatem conversionis supernaturalis ad illum effectum supernaturalem.

In IV. Distinctionum.

71. *Dices:* S. Doctor in *IV. Distinctionum* aperte docet necessitatem illam esse absolutam. Ait enim: « Sed quod sit impossibilis (*positio, quae ponit substantiam panis ibi remanere post consecrationem*), patet ex hoc, quod impossibile est aliquid esse nunc, cum prius non fuerit, nihil ipso mutato, vel aliquo in ipsum; nec posset etiam per miraculum fieri, sicut quod esset animal rationale mortale, et non esset homo; aliter enim se habere nunc et prius est idem, quod moveri, vel transmutari. Si ergo corpus Christi verum esset sub sacramento nunc, et non prius, oporteret aliquem motum vel mutationem intervenisse. Sed nulla mutatio est ex parte panis facta secundum hanc positionem. Ergo oportet ut corpus Christi sit mutatum, saltem localiter, ut dicatur quod corpus Christi est hic, quia per motum localiter huc venit: quod omnino esse non potest »[1].

Textus D. Thomae.

Declaratur.

72. *Respondeo:* Nego assertum. *Ad prob.* dico D. Thomam, etiam hic, nonnisi de consequenti, hypothetica, connaturali necessitate loqui; quod aperte patet ex eo, quod nonnisi motum localem et mutationem conversivam meminit, qui non sunt modi omnes possibiles, quibus aliquid fieri praesens potest, ubi prius non erat; sed solum modi connaturales in praesenti providentiae ordine. Si quid discriminis est inter *Summas* et hunc locum, id in eo est, quod hic ex principio remotiori illationem infert, ibi ex propinquiori: sed ibi illud idem principium supponit, quamvis non enuntiet; hic principium enuntiat, et ad eandem devenit conclusionem. In hoc loco S. Doctor sic procedit. Repugnat absolute, ut detur mutatum esse, quin detur aliqua mutatio. At si Christus est realiter praesens, ubi prius non fuerat, datur aliquod mutatum esse; datur enim aliquid aliter se habens nunc et prius. Ergo dari debet aliqua mutatio. Aut ergo in pane, aut in corpore Christi. At non in corpore Christi; quia corpus Christi, connaturaliter loquendo, nonnisi per motum localem posset hic fieri praesens. Hoc autem dici nequit, quia secus deberet simul idem ad diversa loca moveri, deberentque simul diversi motus ac saepe contrarii eidem inesse, et similia absurda alia sequerentur. Ergo in pane. At panis nequit ita mutari, ut hic aut eius loco sit corpus Christi, connaturaliter loquendo, quin in Christi corpus convertatur. Ergo ut hic, ubi prius non erat, sit corpus Christi,

D. Thomas in *IV. Distinct.* procedit ex remotiori principio, sed docet idem, quod in *Summis*.

[1] *Idem, In IV. Dist. 11. q. 1. a. 1. quaestiuno. 1. corp.*

panis in Christi corpus convertatur necesse est. Porro si convertitur, non manet. Ergo. — Hic est D. Thomae discursus, si plene evolvatur. — In *Summis* vero, supposito principio: *Nequit dari mutatum esse, quin in aliquo detur mutatio*, incipit a principio propinquiori ordinis connaturalis: *Non autem aliquid potest esse alicubi, ubi prius non erat, nisi vel per loci mutationem, vel per alterius conversionem in ipsum.* Conclusio vero, aut expressa aut tacita, in utroque loco est eadem.

73. *Quaeres* II. Quomodo intelligendum sit, quod ait Aquinas: *Salva veritate huius sacramenti, substantia panis post consecrationem remanere non potest.* — Respondeo, post reliqua praesertim dicta, rem esse prorsus liquidam, *non remanere* videlicet secundum totam physicam entitatem, et quidem neque in se, neque in alio, neque secundum se totam, neque secundum partes essentiales, atque adeo ita, ut prorsus desinat esse, seu destruatur improprieve annihiletur. Undenam id probamus? Ex eo universim, quod doctrina heic eadem est, ac iisdem fere verbis proposita, ac in *IV. Distinctionum:* quare iisdem etiam probatur argumentis, quibus illam eo loci confirmavimus. Enimvero etiam hic fere articulis singulis, sed praesertim secundo et sexto, Angelicus docet substantiam, materiam, formam substantialem panis *non manere.* Huiusmodi autem locutio, ubi de conversione unius in alterum sermo est, obvio sensu desitionem, corruptionem, destructionem eius, quod non manet, per se significat, non autem talem variationem intimam, qua quod convertitur, quin destruatur ac porro remaneat aliquo modo idem, fiat aliud. — Tum sic dicitur ab Angelico substantia panis non manere, sicut dicuntur positive manere accidentia in hoc, manere item substantia materiae in aliis sacramentis: « Sensu apparet, *inquit*, facta consecratione, omnia accidentia panis et vini remanere »[1]; et: « In aliis sacramentis manet substantia materiae, non autem in hoc »[2]. Atqui accidentia in hoc sacramento et substantia materiae aliorum sacramentorum, in doctrina D. Thomae et vera, manent, quatenus in eadem physica entitate conservantur. Ergo, a contrario, substantia panis in eucharistia non manet, quatenus in physica entitate non conservatur, aut physice perit aut destruitur. — Docet praeterea: « Quod substantia panis vel vini, facta consecratione, neque sub speciebus sacramenti manet neque alibi »[3]: « Quod post consecrationem haec sit falsa: *Substantia panis est aliquid* »[4]: « Quod..... in hac conversione non solum est difficile quod hoc totum convertatur in illud totum, *ita quod nihil prioris remaneat* (quod non pertinet *ad communem modum productionis alicuius causae*); sed etiam habet hoc difficile, quod *accidentia remaneant*, CORRUPTA SUBSTANTIA »[5]. Quomodo

Quaestio altera: Quo sensu dicatur substantia panis, conversione facta, *non manere.*

Responsio auctoris.

Probatur.

Primo.

Secundo.

Tertio.

---

[1] *Idem, Ibidem, a. 5. corp.*
[2] *Idem, Ibidem, a. 2. ad 2um.* — Cfr. *ad 3um.*
[3] *Idem, Ibidem, a. 3. ad 1um.*
[4] *Idem, Ibidem, a. 3. ad 3um.*
[5] *Idem, Ibidem, a. 8. ad 3um.*

autem substantiae panis corruptionem intelligat S. Doctor, ipse nobis declarabit: « Corruptio, *inquit*, est motus ex *esse* in *non esse* »[1]. Rursum: « Ad corruptionem, *subdit*, per se pertinet, quod auferat *esse* rei »[2]. Atqui quod *nullibi* est, quod *non est aliquid* seu nihil est, *cuius nihil remanet*, quod *corruptum* est, seu tetendit ab *esse* in *non esse ablatumque ipsi est esse*, sic non manet, ut desinat esse secundum totam physicam realitatem, aut physice destruatur improprieque saltem annihiletur. Ergo. — Tandem, ne plura sectemur, docet substantiam panis non remanere post conversionem, uti non remanet aer postquam in ignem conversus est; quamvis ex eo, quod sic non remanet, uti ipse aer non dicitur proprie annihilatus, sed conversus; ita substantia panis non dicatur proprie annihilata, sed conversa: « Dicendum quod substantia panis vel vini, facta consecratione, neque sub speciebus sacramenti manet, neque alibi: non tamen sequitur quod annihiletur; convertitur enim in corpus Christi: sicut non sequitur si aer, ex quo generatus est ignis, non sit ibi vel alibi, quod sit annihilatus »[3]. Atqui aer, ut aer, seu prout suppositum aut compositum est, iuxta D. Thomam, non remanet secundum totam physicam entitatem, seu in nihilum sui abit, quatenus proprie dicta ac per se corruptione destruitur. Ergo.

Quarto.

74. Itaque ex Angelico certissime substantia panis, seu terminus *a quo* conversionis eucharisticae sic corrumpitur, ut physice destruatur improprieque annihiletur. Cave tamen inde inferas eam esse proprie annihilatam. Negat hic hanc consequentiam Angelicus, uti negavit *in Contra Gentes* et *in IV. Distinctionum*, uti cum ipso negant Doctorum pars maxima sive veterum, sive recentiorum. « Dicendum, *ait*, quod, quia substantia panis vel vini non manet in hoc sacramento, quidam..... posuerunt quod..... vel resolvatur in praeiacentem materiam, vel quod annihiletur..... Sed nec hoc potest esse. Quia non est dare aliquem modum, quo corpus Christi verum esse incipiat in hoc sacramento, nisi per conversionem substantiae panis in ipsum; quae quidem conversio tollitur, posita vel annihilatione substantiae panis, vel resolutione in praeiacentem materiam »[4]. Ut quisque facillime perspicit, S. Doctor propriam panis annihilationem negat, quia secus tolleretur conversio. Cum enim ea in hypothesi substantia panis desineret per se et directe ex vi actionis annihilativae, si proprie loquamur, et non ex vi actionis conversivae; atque porro actio conversiva, proprie loquendo, locum non haberet, uti postmodum probabitur; dari non posset ipsa conversio, quae de formali actionem ipsam conversivam praesefert, uti mutationes aliae de formali actionem innuunt immutativam. Quapropter ultima et formalis ratio, quare Angelicus propriam substantiae panis annihilationem negat, est non quod non desinat, aut non destruatur, aut in nihilum non

Substantia panis proprie non annihilatur.

Quare ex Angelico.

[1] *Idem, Ibidem, q. 77. a. 4. corp.*
[2] *Idem, Ibidem, q. 77. a. 4. ad 1um.*
[3] *Idem, Ibidem, q. 75. a. 3. ad 1um.*
[4] *Idem, Ibidem, art. 3. corp.*

abeat; sed quod non desinit directe et per se ex vi actionis annihilativae seu negativae, sed ex vi actionis conversivae, seu habetur indirecte ex vi positivae illius actionis, qua ab agente Deo substantia panis in Christi corpus convertitur.

Qui difficultates solvat.

75. Hoc autem constituto fundamento adversas obiectiones facillime disiicit. Concedit, consecratione facta, substantiam panis nullibi esse; negat proprie annihilatam, prout videlicet annihilatio a corruptione distinguitur: *Convertitur enim*, inquit, *in corpus Christi.* — Secundam vero excludit obiectionem quod, cum substantia panis convertatur, atque adeo desinat esse illa actione integra, qua ponitur corpus Christi, nequit resolvi in praeiacentem materiam, quae nulla est. — Excludit tertiam, quia conversiva actio, vi cuius in nihilum indirecte abit substantia panis, ultimum terminum *ad quem* habet positivum, a quo proinde non denominatur annihilatio, sed conversio: « Dicendum, ait, quod licet post consecrationem haec sit falsa: *Substantia panis est aliquid;* id tamen, in quod substantia panis est conversa, *est aliquid:* et ideo substantia panis non est annihilata »[1].

Quaenam sit Angelici doctrina de termino ad *quem*, et de conversione ipsa?

76. Sciscitemur iam S. Doctorem de conversionis eucharisticae termino *ad quem*, atque una de conversione ipsa. In quaestione, quam prae manibus habemus, persaepe legimus: *Panem converti in corpus Christi verum — Christi corpus incipere esse in hoc sacramento per conversionem panis in ipsum*, et similia alia. Quaerimus: Quaenam in his Aquinatis mens sit? Respondemus primo *negative:* Certissime non eam esse, quam ipsi tribuunt adversarii. Iuxta adversariorum sensum actio conversiva sic deberet Christum ponere sub speciebus ut, *quin panis substantiam corrumperet*, ipsam funditus positive variando adduceret ad hoc, ut esset illud ipsum immutatum Christi corpus, quod de Virgine traxit. Atqui demonstratum est actionem conversivam, ex D. Thoma, sic ponere Christi corpus sub speciebus, ut ex ipsa sequatur *propria corruptio substantiae panis*, quamvis non propria annihilatio. Ergo certissime sensus adversariorum non est sensus D. Thomae. Atque hoc unum argumentum in praesentiarum sit satis, praesertim cum, quae afferentur pro positiva responsione, argumenta sensum illum vehementius excludant.

Responsio negans.

Responsio affirmans.

77. Respondemus *positive:* Missis ambagibus, dicimus D. Thomae mentem eam esse, quae Theologiae recentiori communis est, aut certe communior, quaeque ponit actione transsubstantiativa ipsum Christi corpus immediate attingi, imo quodammodo, corrupta panis tota substantia, sub speciebus produci. Docet Angelicus *primo*: « Dicendum quod Deus coniugavit divinitatem suam, id est, divinam virtutem pani et vino, *non ut remaneant in hoc sacramento*, sed ut *faciat inde corpus et sanguinem suum* »[2]. Praeterea: « Licet proprie dicatur quod *ex pane fiat corpus Christi;* non tamen proprie dicitur quod *panis fiat corpus Christi*, nisi secun-

Primo.

[1] *Idem, Ibidem, ad 3um.*
[2] *Idem, Ibidem, a. 2. ad 1um.*

dum quandam similitudinem, ut dictum est in corpore »[1], ratione scilicet accidentium. Ad haec: « In hac conversione non solum est difficile quod hoc totum convertatur in illud totum, ita quod nihil prioris remaneat, *quod non pertinet ad communem modum productionis alicuius causae;* sed etiam..... »[2]. Atqui divinam virtutem facere corpus Christi ex pane, ita ut non remaneat substantia panis; corpus Christi fieri ex pane; totam panis substantiam, nihil de ipsa remanente, converti in corpus Christi esse specialem modum *productionis* causae, quae hic Deus est, idem in re est ac corpus Christi actione conversiva, corrupta panis substantia, immediate attingi, ac quodammodo produci. Probatum enim est, per D. Thomam, panis substantiam non remanere idem esse, ac eam corrumpi; effectio autem *alicuius productiva* illud ipsum, quod producit, immediate attingit, cum hoc sit actio ipsa in termino aut *in facto esse*, quae ab actione formaliter inspecta, seu *in ipso fieri* termini, nonnisi modaliter distinguitur. Ergo.

Secundo.

78. *Secundo* docet Angelicus: « Manifestum est quod omne agens agit, in quantum est actu. Quodlibet autem agens creatum est

Locus D. Thomae.

determinatum in suo actu, cum sit determinati generis et speciei. Et ideo cuiuslibet agentis creati actio fertur super aliquem determinatum actum. Determinatio autem cuiuslibet rei in esse actuali est per eius formam. Unde nullum agens naturale seu creatum potest agere, nisi ad immutationem formae: et propter hoc omnis conversio, quae fit secundum leges naturae, est formalis. Sed Deus est actus infinitus, ut in prima parte habitum est[3]. Unde eius actio se extendit ad totam naturam entis. Non igitur solum potest perficere conversionem formalem, ut scilicet diversae formae sibi in eodem subiecto succedant, sed conversionem totius entis, ut scilicet tota substantia huius convertatur in totam substantiam illius. Et hoc agitur divina virtute in hoc sacramento..... Unde haec conversio *non est formalis, sed substantialis* »[4]. Subinde vero ait: « Cum haec conversio substantialis importet quendam ordinem substantiarum, quarum una convertitur in alteram, est sicut in subiecto in utraque substantia, sicut ordo et numerus »[5].

Declaratur.

79. Uti diximus in locis parallelis *IV. Distinctionum* et *Summae contra Gentiles*, Angelicus hic tradit rectam dogmatis transsubstantiationis intelligentiam, eius nempe: *Quomodo*, et: *quare.*

Quomodo dogmatis.

Ostendit autem *quomodo* sit, declarando in quo ab naturalibus aliis omnibus conversionibus differat: ostendit *quare* sit, afferendo rationem demonstrantem id fieri posse. Ad primum vero quod attinet, hanc ab aliis conversionibus naturalibus differre docet, quod illae *formales* sunt, et successione unius formae post alteram in eodem subiecto seu materia ex actione agentis naturalis obtinent;

---

[2] *Idem, Ibidem, a. 8. ad 1um.*
[2] *Idem, Ibidem, a. 8. ad 3um.*
[3] *Idem, 1. p. q. 7. a. 1. et q. 25. a. 2.*
[4] *Idem, 3. p. q. 75. a. 4. corp.*
[5] *Idem, Ibidem, ad 1um.*

haec contra substantialis est, et successione unius totius substantiae post alteram sub huius accidentibus, uti postea docet, ex actione agentis primi, seu Dei habetur: ceterum, hoc unico discrimine constituto, virtualiter docet hic Angelicus, ac expressius articulis septimo et octavo, eucharisticam conversionem in notis quidditativis cum naturalibus conversionibus genere analogico convenire. Eo igitur modo, analogice loquendo, Deus perficit substantialem conversionem eucharisticam, quo agens naturale perficit conversionem formalem, praesertim *simplicem*, cum qua pressius, ex superius dictis, illa convenit. At conversio formalis, praesertim simplex, perficitur, ex D. Thoma, ab agente naturali quatenus, corruptis supposito et forma termini *a quo*, producitur, ut *quo*, in materia et dependenter ab ipsa, seu educitur ex materia nova forma, atque simpliciter terminus totalis *ad quem*, seu novum suppositum generatur aut producitur. Ergo conversio substantialis seu eucharistica a Deo perficitur quatenus, corrupta tota substantia panis, sub speciebus Christi corpus ratione aliqua producitur. Quod si ita est, actio conversiva, ex D. Thoma, ad Christi corpus, una vel alia ratione suo loco declaranda, immediate terminatur, ipsiusque est aliquo modo productiva. Ergo.

Quare dogmatis.

80. Rationem vero dogmatis S. Doctor derivat hinc quidem ex infinita actualitate et virtute Dei, inde vero quod non datur repugnantia ex parte termini, aut terminorum conversionis: quod utrumque quamvis satis innuatur in corpore articuli, planius edicitur in solutione difficultatum. Ait namque: « Dicendum quod virtute agentis finiti non potest forma in formam mutari, nec materia in materiam; sed virtute agentis infiniti, quod habet actionem in totum ens, *potest talis conversio fieri;* quia utrique formae et utrique materiae est communis natura entis; et id, quod est entitatis in una, potest auctor entis convertere in id, quod est entitatis in altera, sublato eo, per quod ab illa distinguebatur »[1].

Non repugnantia conversionis ex parte terminorum.

81. Heic S. Doctor docet *substantialem conversionem*, prout a *formali* distinguitur, fieri posse aut non repugnare ex parte terminorum, quatenus communicant in communi ratione entis, aut *creati*, ut exponit Caietanus[2], aut *convertibilis*, uti videtur exigere materia subiecta. Nam si unum debet converti in aliud, ex uno debet posse fieri aliud, et aliud debet posse fieri ex uno. Hoc autem non videtur habere locum posse in quocumque ente creato, sed solum in creato ente convertibili: et sic substantiae spirituales, quae ex toto genere suo non possunt fieri ex aliquo, sed solum ex nihilo absoluto, non videntur posse conversionem terminare; uti materia, cuius non est aliud subiectum, nequit proprie *generari*, unde et *ingenerabilis* dicitur, quamvis quia ipsi non repugnat ex toto genere suo fieri *ex aliquo*, tanquam ex termino extrinseco, neque ipsi repugnet *converti.*

Quatenus termini communicant in ratione entis.

82. Verum ad rationem conversionis substantialis requiritur

---

[1] *Idem, Ibidem, ad 3um.*

[2] Caietanus, *In hunc art. 4. — In responsione ad 3.um*

Quatenus auferri potest id, in quo differunt.

plane ut bini termini conveniant in ratione entis convertibilis, sed requiritur etiam ut auferatur id, in quo unum ab alio differt: *Id, quod est entitatis in una* (forma et materia), *potest auctor entis convertere in id, quod est entitatis in altera, sublato eo, per quod ab illa distinguebatur.* De qua ablatione hic sermo est? Abs dubio de ablatione corruptiva totius physicae substantiae termini *a quo.* Intelligitur hoc *primo*, quia, ex doctrina generali D. Thomae, in qualibet conversione terminus *a quo*, quatenus convertitur, debet corrumpi, seu tendere in non esse. *Secundo*, quia, ut vidimus in *Summa Contra Gentiles*, in hac conversione, quae est individui signati in individuum signatum, non solum forma, quae est principium differentiae specificae, debet variari aut destrui, sed debet variari aut destrui etiam materia signata, quae est principium differentiae individualis. *Tertio*, quia sic dicit hic: *Sublato eo, per quod ab illa distinguebatur*, uti in articulo sequenti dicit relate ad accidentia: « Virtute Dei, qui est causa prima omnium, fieri potest, ut remaneant posteriora, *prioribus sublatis* »[1], scilicet ut remaneant accidentia, substantia sublata. Ergo ea ratione, ex D. Thoma debet auferri id, in quo id quod convertitur differt ab eo, in quod convertitur, qua aufertur substantia ab accidentibus eucharisticis. Substantia autem haec aufertur per physicam ablationem. Ergo.

Collectio.

83. Sequitur ex his, per S. Doctorem, ad perficiendam conversionem substantialem oportere prorsus pertingere usque ad ipsam entitatem, ita ut, manente communitate abstracta utriusque termini convertibilis in ratione entis, ut sic, aut entis substantialis, uti loco laudato explicat Caietanus, in nullo prorsus praedicato reali aut physico uterque terminus conveniat: quod cum a Deo fieri possit, quia ut auctor entis potest in totum ens, sequitur conversionem substantialem, ac proinde eucharisticam, Deo non esse impossibilem. Quapropter: *posse Deum in totum ens, ut entis auctorem*, et consequenter posse convertere totam substantiam convertibilem, panem v. g., in totam substantiam, quae ex conversione potest haberi, in corpus Christi videlicet, rationem dogmatis exhibet, non modum conversionis.

Quid exinde pro conversione ipsa.

84. Quin ex reddita hac dogmatis ratione licet argumentum pro modo conversionis aliquatenus confirmare. Ratio enim entis creati aut convertibilis in termino *ad quem*, communis communitate abstracta, non autem reali, cum termino *a quo*, realis videlicet ratio entis corporis Christi, quae abstracte convenit cum ratione entis substantiae panis genere quodam analogico, quamvis realiter se tota differat, ex doctrina D. Thomae, nonnisi *productive* aliquo modo attingi potest a Deo. Terminus enim *a quo*, ex Angelico, debet physice desinere aut corrumpi, atque adeo nequit attingi positiva illa variatione, qua panis substantia non physice destructa adduceretur ad hoc, ut sit corpus Christi immutatum, ut vellent adversarii; actio *adductiva* in re praesenti a S. Doctore ubi-

[1] D. Thomas, *loc. ult. laud. a. 5. ad 1um.*

que excluditur; alius demum modus attingendi rationem entis convertibilis in termino *ad quem*, aut in Christi corpore praeter productionem ex termino positivo *a quo*, ex doctrina D. Thomae, *saltem connaturaliter* non datur. Atqui si reale Christi corpus *productive* aliquo modo attingi debet a Deo in conversione eucharistica, actio conversiva productiva aliquo modo actio sit necesse est, et immediate ad Christi corpus terminata. Ergo.

Ultima ratio.

85. Multa, nimia forsan, de D. Thomae doctrina dicta sunt: liceat tamen aliud afferre argumentum, quo superiora mire confirmentur. Comparat S. Doctor articulo octavo eucharisticam conversionem cum creatione et transmutatione naturali. Scribit: « Dicendum quod haec conversio panis in corpus Christi quantum ad aliquid convenit cum creatione et cum transmutatione naturali, et quantum ad aliquid differt ab utraque. Est enim commune his tribus ordo terminorum, scilicet ut post hoc sit hoc..... et quod praedicti termini non sint simul. Convenit autem conversio, de qua nunc loquimur, cum creatione; quia in neutra earum est aliquod commune subiectum utrique extremorum, cuius contrarium apparet in omni transmutatione naturali. Convenit vero haec conversio cum transmutatione naturali in duobus, licet non similiter. Primo quidem, quia in utraque unum extremorum transit in aliud, sicut panis in corpus Christi, et aer in ignem; non autem non ens convertitur in ens. Aliter tamen hoc accidit utrobique. Nam in hoc sacramento tota substantia panis transit in totum corpus Christi; sed in transmutatione naturali materia unius suscipit formam alterius, priori forma deposita. Secundo conveniunt in hoc, quod utrobique remanet aliquod idem (*et consequenter non convertitur*), quod non accidit in creatione; differenter tamen. Nam in transmutatione naturali remanet eadem materia, vel subiectum; in hoc autem sacramento remanent eadem accidentia »[1]. Atqui, absque controversia, actio creativa et actio naturaliter transmutativa aut conversiva, praesertim ubi de substantiis sermo est, sunt actiones physice productivae, ad terminum *ad quem* immediate terminatae. Ergo etiam actio transsubstantiativa panis in corpus Christi est actio aliquo modo productiva, ad ipsum Christi corpus immediate terminata; comparatio enim identitatem generis ipsius actionis, a qua reliqua pendent, necessario requirit. Eo vel magis quod, cum S. Doctor convenientias discrepantiasque inter tria illa comparata diligentissime persequatur, de discrimine illo, iuxta adversarios, maximo et formalissimo, quod actio transsubstantiativa versaretur immediate circa substantiam panis illam positive variando, ut sit corpus Christi, uti legenti claret, nihil dicit omnino; imo plusquam sufficienter comparatione ipsa innuit oppositum.

Synthesis doctrinae Angelici ex ipso Angelico.

86. Placet ad modum coronidis synthesim exhibere totius doctrinae Angelici *de Transsubstantiatione* quam, omnibus in antecessum discussis, S. ipse Doctor nobis reliquit. Obiicit sibi:

[1] *Idem, Ibidem, a. 8. corp.*

« Omne id, ex quo aliquid fit, convertitur in id, quod fit ex eo. Sed haec videtur esse falsa : *Panis convertitur in corpus Christi;* quia haec conversio videtur esse miraculosior quam creatio mundi, in qua tamen non dicitur quod non ens convertitur in ens. Ergo... ». Respondet : « Dicendum quod in hac conversione sunt plura difficiliora quam in creatione, in qua hoc solum difficile est, quod aliquid fit ex nihilo, QUOD TAMEN PERTINET AD PROPRIUM MODUM **productionis** PRIMAE CAUSAE, QUAE NIHIL ALIUD PRAESUPPONIT. Sed in hac conversione non solum est difficile, quod hoc totum convertatur in illud totum, ita *quod nihil prioris remaneat* (QUOD NON PERTINET AD COMMUNEM MODUM **productionis** ALICUIUS CAUSAE) ; sed etiam habet hoc difficile, *quod accidentia remaneant* **corrupta substantia**..... Tamen verbum conversionis recipitur in hoc sacramento, non autem in creatione, sicut dictum est in corpore articuli »[1]. Ergo, per D. Thomam, in conversione eucharistica totum transit aut convertitur in totum per productionem termini *ad quem* ita, ut nihil remaneat termini *a quo*, seu ut terminus *a quo* omnino corrumpatur, uti expresse dicit et in superioribus probatum est. Haec autem est doctrina Theologiae recentioris, tradens actionem transsubstantiativam immediate attingere corpus Christi ut dum, iuxta communiorem sententiam, Christi corpus quodammodo producitur, substantia panis omnino desinat aut improprie annihiletur. Ergo.

§ V.

Doctrina S. Bonaventurae de Transsubstantiatione.

S. Bonaventura. Unde incipiat.

87. Aggredimur ad S. Bonaventuram. Ipse, uti Commentatores alii Magistri Sententiarum, incipit a constabilienda conversione totius substantiae panis in Christi corpus sine mutatione intrinseca, saltem substantiali, ipsius Christi. Asserit ergo : « In sacramento eucharistiae est conversio panis in corpus Christi, non in partem, sed in totum »[2]. Tum : « Ad aliud, *inquit*, patet responsio; quia totum in totum convertitur, ideo nec fit novum, nec fit maius »[3]. Et : « Ad ultimum, *subdit*, quod obiicitur de cibo et cibabili, dicendum quod panis non convertitur in corpus Christi, sicut cibus in cibabile; nec corpus Christi convertitur in se (*forsan:* convertit in se, *scilicet cibum, uti facit ille, qui cibatur; praesertim cum hoc exigi videatur ab obiectione, ad quam respondet, in qua, praeter alia, dicitur:* Radius non convertit aquam in se. Ergo nec Christus panem in corpus suum); sed Deus convertit, ut ubi erat panis, qui est cibus corporalis, sit corpus Christi, non per

[1] *Idem, Ibidem, a. 8. Obiect. 3. et responsio.*

[2] S. Bonaventura, *In IV. Dist. 11. p. 1. art. unic. q. 1. Conclusio* — Edit. Ad claras aquas.

[3] *Idem, Ibidem, ad 3.um*

mutationem in corpore (*Vat. addit:* Christi) factam, sed in pane in ipsum prius exsistens transeunte »[1].

88. Inquirendum iam est, qua ratione conversionem ipsam transitumque panis in Christi corpus Seraphicus Doctor intelligat. Qua in vestigatione praeceptam methodum sequemur, a termino *a quo* incipientes. De substantia igitur panis docet nullo modo post consecrationem *manere*. Asserit: « Totus panis convertitur in corpus Christi, solis accidentibus remanentibus »[2]. In declaratione et probatione huius assertionis reiicit tum eos *modernos*, qui dicebant remanere materiam; tum eos, qui dicebant remanere formam substantialem. Quapropter, ex hoc capite, transsubstantiationem creationi assimilat, aiendo: « Quia in hac mutatione *nihil commune manet*, assimilatur creationi »[3]. Ubi satis innuit nihil commune manere secundum totam physicam entitatem, quae proinde periit, ac nihilum sit usque adeo atque illud nihilum, quod creationi praecessit. Tum: « Ad illud, *inquit*, quod obiicitur ultimo, *quod habent commune;* dicendum quod commune habent (*panis et corpus Christi*) secundum naturam *praedicationis* (*id est, logice*); sed non secundum naturam *mutationis* (*scilicet physice*). In illa enim mutatione nihil possunt habere commune; quia corpus Christi non potest habere nec novam materiam, nec novam formam; et, si aliquid *maneret*, impossibile esset quod corpus Christi esset idem omnino: *cum autem totum transit*, nulla omnino innovatio nec formatio fit circa corpus Christi »[4]). Adde, quod subinde concedit: « Nihil remanet de pane »[5], post conversionem videlicet; et quod: « Non est hoc, nec aliud »[6]. Haec autem sive obvio sensu accepta, sive trutinae subiecta, uti similia D. Thomae et aliorum Doctorum pronuntiata, liquido ostendunt Bonaventuram intellexisse ex vi conversionis negative mutari panem, ac porro perire.

De termino *a quo* docet *non manere*.

89. Hoc tamen non obstante, negat Seraphicus substantiam panis proprie annihilari. Ac primo quidem, quia perit aut non manet non ex vi annihilationis seu actionis annihilativae, sed ex vi conversionis aut actionis conversivae, quae positiva est actio: « Communiter ponunt omnes, *inquit*, quod non est annihilatio panis, imo in meliorem substantiam commutatio: et ideo transsubstantiatio, non annihilatio, talis conversio est, et sic appellari debet »[7]. Commutatio in meliorem substantiam exhibet plane actionem positivam, sicut terminus talis actionis positivus est. Praeterea negat annihilationem quia, quamvis terminus proximus huius conversionis sit nihil panis, terminus tamen ultimus est aliquid positivum, nempe Corpus Christi. « Ad illud ergo, *inquit*,

Et tamen non proprie annihilari.

Quia ultimus terminus non est nihil, sed aliquid positivum, corpus Christi.

---

[1] *Idem, Ibidem, ad ultimum.*
[2] *Idem, Ibidem, q. 2. Conclusio.*
[3] *Idem, Ibidem, corp.*
[4] *Idem, Ibidem, ad 4.* — Legesis notam Editorum.
[5] *Idem, Ibidem, q. 3. ad 1.um*
[6] *Idem, Ibidem, ad 4.um*
[7] *Idem, Ibidem, q. 3. corp.*

quod obiicitur: Nihil remanet de pane; ergo annihilatur: dicendum quod istud non sequitur; quia annihilatio est *non tantum nihil de re remanere*, sed illud *in nihilum cadere*. Sed hic non cedit in nihil, imo in aliquid melius »[1]. Tum: « Ad illud, quod ultimo obiicitur, dicendum quod illa divisio est insufficiens; quia non sequitur quod sit annihilatum, si non est hoc nec illud; quia haec habet duas causas veritatis: Non est hoc, nec aliud, aut quia cessit in nihil, aut quia transit in aliud: et ratione huius est vera, et hoc non est annihilari »[2]. Itaque eodem pacto res quaelibet: *Non est hoc*, *nec aliud*, sive cedat in nihilum absolutum, sive in aliud convertatur: sed in priori casu dicitur *annihilata*, in altero *conversa*. Ergo Bonaventura per non permanentiam panis in eucharistia physicam panis destructionem impropriamque annihilationem intelligebat, quamvis propriam annihilationem negaret.

Illatio.

Quare forma substantialis dicatur corrumpi, et substantia panis non dicatur annihilari.

90. Ex hoc eodem capite assignat differentiam rationemque, quare forma substantialis dicatur *corrumpi*, non obstante consequuta generatione; substantia vero panis non dicatur *annihilari* quod, etsi in nihilum abit, sequitur tamen aut succedit corpus Christi. Discrimen, ex Bonaventura, in eo est, quod forma proprie non convertitur in formam, uti hic substantia panis convertitur in corpus Christi. Forma enim est id, *quo corrupto*, suppositum convertitur in suppositum per accessionem aut productionem novae formae in materia, aut per eductionem novae formae ex potentia materiae. Sequitur hinc, si forma esset non solum id, *quo* fit conversio, sed etiam id, *quod* converteretur, uti substantia panis est tum *id quo*, tum *id quod* in Christi corpus convertitur: sequitur, inquam, formam etiam dicendam esse *non corrumpi*, sed in aliam formam transire aut converti, uti substantia panis non dicitur annihilari, sed converti. Qua respondendi ratione Seraphicus Doctor satis innuit, quod alii subinde explicite docuere, quaestionem hanc de corruptione vel non corruptione formae in naturali generatione, atque de annihilatione vel non annihilatione substantiae panis in conversione eucharistica, data rei physica destructione, quaestionem esse de solo nomine. En eius verba. Obiectio erat: « Succedens generatio non aufert corruptionem praecedentem. Ergo succedens conversio non aufert corruptionem praecedentem. Sed hic *corrumpitur* materia et forma, et ita totum. Ergo quidquid succedat, nihilominus est annihilatio panis ». Respondet: « Ad illud, quod obiicitur quod posterior generatio non tollit priorem corruptionem etc., dicendum quod verum est; quia forma corrumpitur, quae non cedit in formam contrariam: sed si forma illa converteretur in contrariam, *non diceretur omnino corrumpi*, sed in *aliud transire* »[3]. Qua responsione concedit Bonaventura substantiam panis totam corrumpi in nihilumque abire; negat tamen proprie annihilari, quia convertitur in Christi

Innuit quaestionem esse de nomine.

[1] *Idem, Ibidem, ad 1.um*
[2] *Idem, Ibidem, ad 4.um*
[3] *Idem, Ibidem, ad 2.um* Cfr. *q. 5. praesertim ad 3.um*

corpus, contenditque in generatione formam ipsam non dicendam corruptam si in contrariam formam converteretur, videlicet si non esset id, *quo* fit conversio, sed id, *quod* converteretur.

91. Cum ex Seraphico Doctore teneamus in eucharistica conversione substantiam panis vere ac physice destrui seu in nihilum abire, quamvis proprie non dicenda sit annihilari; inquirendum iam est quid de altero conversionis termino praecipiat, atque porro de conversione ipsa. Audivimus ex ipso Christi corpus incipere esse in eucharistia. Quonam pacto incipit esse? Eo planissime, ex Bonaventura, non quod *de novo Christus fit*, sed quod *fit hic*. Quaerit: « Utrum aequalis, vel maioris virtutis sit panem in corpus Christi convertere, quantae est aliquid de novo creare ». In responsione vero, post alia, habet: « Quantum *ad principium initiale* maioris virtutis est attestativum *creare*, quam *transsubstantiare*, quia ibi ex nihilo, hic operatur in aliquid. — Quantum vero ad *distantiam mediam*, est aequalis virtutis; quia utrobique nihil commune reperitur, nec manet secundum *genus subiectum (aut reale subiectum commune)*, licet secundum *genus praedicabile (id est, secundum abstractam rationem, qua de pane et corpore Christi praedicari potest ea esse ens, substantiam, corpus)* [1] in altero. — Quantum vero *ad terminum finalem;* quia ibi in creatione fit ut, quod *non erat, sit;* in transsubstantiatione *fit ut, quod erat alicubi, sine sui mutatione sit alibi;* illud quidem est maius..... sed istud maius *videtur* » [2].

Quid praecipiat de altero conversionis termino, et de ipsa conversione.

Christi corpus non *fit de novo*, sed *fit hic*.

Ostenditur primo.

92. Quaerit rursum: « Utrum virtus transsubstantiandi sit nobilior virtute concipiendi ». In responsione, inter alia, scribit: « Alio modo possumus loqui de hac duplici virtute, prout dicitur *communicari creaturae*, secundum quod dicitur quod Virgini data est potestas concipiendi, et sacerdoti per verbum potestas conficiendi: et sic, *loquendo simpliciter*, virtus concipiendi est dignior et excellentior: quia subiectum magis nobilitat; maius enim est esse *Matrem Dei*, quam esse *Sacerdotem:* quia etiam *actio* singularior et praeclarior; maius enim est *concipere*, quam *conficere:* quia *terminus* actionis plus accipit a concipiente Matre, quam a conficiente sacerdote. Accipit enim a Matre *humanitatem et esse*, non tantum *esse hic, vel esse ibi;* in consecratione vero, sicut melius patebit, corpus Christi non incipit esse » [3]. Obiecerat autem sibi: « Nobilitas et magnitudo virtutis per actum dignoscitur, et actus per terminum. Sed virtus conceptionis in Virgine terminata est ad corpus Christi passibile et mortale; transsubstantiatio autem ad corpus impassibile et immortale; et hoc, prout est in perfecta aetate, et substantia, et quantitate. Ergo etc. ». Respondet: « Ad illud ergo quod obiicitur de nobilitate corporis Christi, iam patet responsio. Nam corpus Christi in consecratione *non fit (de novo):* quod *si fieret (de novo)*, tunc utique bene con-

Secundo.

[1] Cfr. Editorum notam.
[2] *Idem, Ibidem, q. 2. corp.*
[3] *Idem, Ibidem, q. 2. corp.*

cederem rationem. Sed certe tunc non fit eius *humanitas;* quia facta est in conceptione : non fit *gloria corporis;* quia facta est in resurrectione : non fit perfecta aetas ; quia triginta annorum spatio est perfecta. Unde argumentum deficit ; quia arguit, ac si faceret [1] *(de novo). Sed per consecrationem* NIHIL NOVUM *fit; sed hoc solum fit, ut quod erat in coelo perfectum et gloriosum, virtute transsubstantiandi, idem sine mutatione sit in altari* »[2].

Tertio.

93. Tandem ubi definit modum normasque loquendi in hac materia, sequentia scribit : « Secunda regula est quod omnia verba, significantia *innovationem* circa corpus Christi , sunt false dicta ; quae autem significant *conversionem* et *transitum* , vere dicuntur. Et quia *generari* dicit *innovationem*, *fieri* potest dicere *transitum*, ut cum dicitur : *Hoc fit illud;* ideo cum verbo *fiendi* potest concedi, non cum verbo *generandi.* Et concedendae sunt rationes ad hoc. — Ratio ad oppositum non valet ; quia obiicit de *fieri*, prout dicit alicuius *generationem;* sed non sic accipitur hic. Unde haec est magis propria : *Panis fit corpus* , quam : *De pane fit corpus;* et haec simpliciter est impropria : *Corpus Christi fit;* sed conceditur : *Fit hic* »[3].

S. Bonaventura conversionem panis in Christi corpus declarat per huius affectionem.

94. Quae huc usque allata sunt, satis , ni fallimur , ostendunt S. Bonaventuram inceptionem Christi in Eucharistia transsubstantiationemque panis in eius corpus per effectionem ipsius Christi, non quidem simpliciter, primo, aut *de novo*, sed quatenus *hic* aut *in sacramento* ponitur ille idem, qui in coelo est, declarare. Cuiusmodi vero sit illa effectio, an nimirum *productiva hic*, seu *sub speciebus*, ipsius substantiae corporis Christi; an effectiva *praesentiae* Christi sub speciebus, ac proinde quodammodo *adductiva;* Editores operum S. Bonaventurae difficile putant posse definiri[4]. Non est autem operae pretium de eadem hic longius disceptare. Iuverit tamen ex pluribus, quae ad confirmandam actionem productivam possent afferri, locum illum exhibere, in quo transsubstantiationem cum actionibus aliis productivis Seraphicus confert; nec unquam inde intercedere docet discrimen , quod hae productivae sunt, illa non est ; quin vehementer insinuat in ratione producendi illam cum aliis convenire. Legimus quid discriminis ex ipso intersit transsubstantiativam inter actionem et creationem conceptionemque Filii Dei in utero Virginis Immaculatae. De aliis vero mutationibus sic habet : « Si autem quaeras : « Sub quo genere motus vel mutationis (*transsubstantiatio*) continetur ; dicendum quod haec est mutatio *singularis*, quae nullum simile plenum habet, assimilatur tamen in aliquo. Quia enim in hac mutatione nihil commune manet ; assimilatur *creationi.* Quia vero principium initiale non est nihil, sed aliquid ; ideo dissimilis est *creationi*, et similis *generationi*[5]. Quia vero terminum finalem non habet aliquid *de*

Estne effectio productiva an adductiva?

[1] Cfr. notam Editorum.
[2] *Idem, Ibidem, ad 1um.*
[3] *Idem, Ibidem, Dist. 11. p. 1. q. 6. corp.*
[4] Cfr. *Scholion Editorum, Dist. 11. p. 1. q. 1. fin.*
[5] Cfr. notam ab Editoribus subiectam.

novo factum, sed prius exsistens; ideo est dissimilis *generationi*, et similis *augmento*. Quia vero corpus Christi ex hoc non crescit, sed in pluribus locis exsistit; ideo dissimilis augmento, et similis *loci mutationi*. Quia vero in alio loco exsistit et a proprio non recedit, sed aliquid in ipsum transit; ideo omni motui et mutationi dissimilis est, et est prorsus mutatio *singularis*. *Corruptioni* vero et *diminutioni* nullo modo assimilatur, quia operationes sunt imperfectae, quae non decent divinam virtutem hic operantem. Rursus quia in *alteratione* variantur accidentia sensibilia, et hoc non contingit huic sacramento propter fidem, nec illi assimilatur»[1].

95. Sive vero productiva actio, sive quodammodo adductiva, sine proprio nimirum motu locali uti suo loco declarabitur, ex Bonaventura dicatur esse transsubstantiatio formaliter inspecta; illud omnino stabit transsubstantiationis conceptum rationemque propriam non esse, quam ipsi adscribunt adversarii, sed quae traduce quodam in Theologiam effluxit recentiorem. Quod vel ex solo illo capite colligeretur quod Seraphicus cum Doctoribus aliis principibus uti demonstratum est, admittit physicam destructionem substantiae panis. Cum vero explicite doceat per transsubstantiationem *fieri hic* aut *in sacramento* ipsum Christi corpus, quod in coelo est; et ita quidem, ut substantia ipsa corporis Christi sub speciebus sit; necesse est prorsus intelligere actionem conversivam, per Seraphicum, esse actionem ad ipsum Christi corpus, una vel alia ratione, immediate terminatam. Quapropter ubi de forma sacramenti disserit, sic loquitur: « Notandum quod ista oratio singularis est inter omnes orationes. Aliae enim sunt *indicativae veritatis*, sive exsistentiae; haec autem *id ipsum*, quod figurat, *facit*. Unde est verbum *operativum*, et operativum non *actione successiva*, sed *instantanea;* et operativum non alicuius rei novae vel non exsistentis, sed *terminus eius est ens actu completum et non mutatum; et ad illud quidem terminatur*, ut est alterius *signum*, id est corporis Christi mystici; et hoc totum *facit virtute Verbi increati* adiuncta ministro circa materiam *nihil agenti*..... Quia minister nihil *operatur circa materiam*, nec immutat; ideo nihil plus est de forma. Etenim si minister non tangat, nec frangat; dum tamen intendat et verba dicat, confectum est: non sic est in baptismo »[2].

S. Bonaventura non adversariis, sed recentiori Theologiae favet.

§ VI.

Doctrina Aegidii Romani de Transsubstantiatione.

96. Pauca de Aegidio. Hic ergo in libro, quem inscripsit: *Theoremata de corpore Christi*, praeter multa propria quae in rem nostram non collineant, ad doctrinam Transsubstantiationis quod attinet, communem catholicorum Doctorum sententiam, ex principiis tamen sibi propriis, sequenti ordine proponit.

---

[1] *Idem, Ibidem, Dist. 11. 1. p. q. 2. corp.*
[2] *Idem, Ibidem, Dist. 8. p. 2. a. 1. q. 1. corp.*

Aegidii assertum fundamentale.

97. Asserit theoremate primo: « Primum principium, quod est: Deus summus, omnipotens potest convertere aliquid in aliud praeexsistens, quia immediate attingit materiam, *ut est quid*, et potest agere praeter transmutationem et motum. Igitur virtute eius in corpus Christi converti poterit panis substantia, non obstante quod tale corpus dictae conversioni actualiter praeexstiterit »[1]. In declarationem vero huius theorematis incipit a proponenda fide catholica de conversione substantiae panis in corpus Christi: « Quod formatum est, *inquit*, ex sanguinibus Virginis, quod de Virgine traxit, quod in cruce pependit, quod fuit pro redemptione totius generis humani immolatum »[2].

Obiectio.

Responsio.

98. Huic vero fidei asserto obiicit: In omni conversione datur alicuius productio, quae hic nequit haberi, cum Christus praeexsistat. — Ut hanc obiectionem solvat, non negat plane *in omni conversione aliquid produci;* sed, hoc admisso, conatur ostendere id eucharisticae conversioni nequaquam opponi. Docet ergo Deum, quod actione sua materiam, *ut quid*, et non *ut quantam*, videlicet secundum suam substantiam, et non solummodo secundum suam quantitatem attingit, uti facit agens naturale, posse in una materia producere formam numerice eandem alterius entis exsistentis, v. g. formam huius ignis in aliqua materia. Cum autem, iuxta ipsum, forma materiam indeterminatam de se communemque distinguat et in individuo determinet; haec forma v. g. huius ignis determinabit materiam v. g. aquae huius ad materiam huius ignis, et sic haec aqua erit conversa in hunc ignem, ceteroquin exsistentem. Ratio est quod relate ad Deum, qui attingit materiam, *ut quid*, et non agit per motum, eiusmodi conversio non repugnat neque ex re effecta, neque ex modo faciendi. Quapropter concludit: « Non est ergo inconveniens quod virtute divina, secundum alium ordinem, aliqua res convertatur in aliquid praeexsistens, ut quod hic ignis fiat haec aqua, vel haec materia illa materia. Igitur Sacramentum Eucharistiae, secundum quod ponimus hanc substantiam panis converti in hoc corpus Christi, ex parte conversionis improbare non possumus. Quod autem ex parte alia improbari non possit, in sequentibus apparebit, ubi specialiter ostendemus quod substantia panis convertatur in substantiam corporis Christi »[3].

Collectio Aegidii.

Aegidius explicat conversionis exsistentis in exsistens *per productionem termini ad quem.*

99. Qua ex Aegidii doctrina, quidquid sit de principiorum quibus innititur veritate, illud in rem nostram licet corrivare, ipsum explicare *per productionem termini ad quem* non solum generatim conversionem, sed etiam speciatim conversionem *exsistentis in exsistens:* ut non immerito liceat colligere eucharisticam ipsam conversionem, generica saltem ratione, in productione aliqua corporis Christi ab ipso reponi. Afferamus eius verba: « Unde si ex igne, *inquit*, fiat aqua, potest Deus ex aqua generata illum eundem ignem

---

[1] Aegidius Romanus, *De corpore Christi, Theorema 1.*
[2] *Idem, Ibidem.*
[3] *Idem, Ibidem, sub fin.*

numero, *cuius substantia periit, producere*..... Ex qua differentia sequitur quod, si Deus ex eadem materia potest formam, quae in potentiam materiae cessit, eandem numero *producere*, quod possit, *manente aliqua forma in aliqua materia*, illam eandem *(formam)* de alia materia educere ut, manente forma aquae in sui materia, possit Deus *illam eandem formam numero educere de materia ignis:* quod si fieret, *quia eandem formam numero sequitur eadem materia numero, aqua sic producta ex igne esset eadem numero cum aqua praeexsistente:* propter quod sequeretur ignem esse conversum in aliquid praeexsistens, quia in aquam. Ex quo ulterius sequitur Deum posse unam materiam convertere in aliam materiam, cum possit facere materiam aliquam informari eadem forma numero, qua alia informatur..... »[1]. Sub finem vero, uti constat ex verbis prius laudatis, hanc eandem doctrinam eucharisticae applicat conversioni. Post haec, mirabitur fortasse quispiam, quomodo Aegidium, et in hoc I. Theoremate, et in hoc uno Theoremate, pro se audeant adversarii allegare, cum omnino nihil hic habeat, quod eorum sapiat conversionem, ac contra per corruptionem termini *a quo: Cuius substantia periit*, et per productionem termini: *ad quem: Potest Deus formam producere — educere ex alia materia — Aqua sic producta ex igne* — conversionem explicet.

100. Non repugnantia conversionis eucharisticae modo iam indigitato universim constabilita, eiusdemque per interitionem termini *a quo* et productionem termini *ad quem* (quidquid sit de aliis principiis ab ipso invocatis, quae sane omnia non admittimus) tradita intelligentia; insistendo ordini sibi praestituto, post multa quae disquisitionem nostram non ingrediuntur, speciatim de termino *a quo* sequentia asserit Aegidius: « Cum substantia panis in corpus Christi convertitur, quia totum transsubstantiatur in totum, non est dicendum quod panis materia, vel quod eius forma in nihilum redigatur »[2]. In declarationem vero probationemque huius theorematis, inter alia, scribit: « Non est annihilatum, quia in aliud est conversum »[3]. Quae ratio, uti in aliis Doctoribus expendimus, bina meminit: — α) Non est annihilatum; quia actio conversiva positiva est, non negativa, uti ad proprie dictam annihilationem requiritur: — β) Non est annihilatum; quia ultimus terminus annihilationis proprie dictae est nihilum simpliciter, non aliquid, positivum, uti in praesenti usuvenit.

Non recipimus omnia Aegidii principia.

Negat Aegidius substantiam panis in eucharistia proprie annihilari.

101. Quamvis vero neget in conversione eucharistica terminum *a quo* seu substantiam panis proprie vel annihilari, vel posse dici annihilari; negat etiam nihilominus utcumque *manere*, seu docet cum D. Thoma et ex rationibus D. Thomae ipsam prorsus interire. Et quidem legimus iam in theoremate primo, ubi universim conversionem declarat, terminum *a quo* conversionis perire: *Si ex igne*, inquit, *fiat aqua, potest Deus ex aqua generata illum eundem*

Docet cum D. Thoma substantiam panis interire aut corrumpi.

Probatur.

---

[1] *Idem, Ibidem.*
[2] *Idem, Ibidem, Theorem. 34.*
[3] *Idem, Ibidem, loc. ult. laud.*

ignem numero, CUIUS SUBSTANTIA PERIIT, *producere.* Ubi vero speciatim et ex professo de eucharistia peragit, sic loquitur: « Dicebant (*aliqui*) quod simul cum substantia corporis Christi est in hostia panis substantia..... Sed hoc stare non potest; quia sicut superius probabatur, quod panis substantia annihilari non potest; quia..... si panis substantia esset annihilata, Christi corpus non esset in hostia ex eo, quod aliquid esset conversum in ipsum, et inciperet esse ibidem per motum localem de coelo descendendo: pari ergo ratione, si substantia panis remaneret in hostia, Christus non inciperet esse ibi per conversionem alicuius in corpus eius; quia nihil aliud ponitur converti in corpus Christi, nisi panis substantia. Si ergo illa *maneret*, nihil erit conversum in substantiam corporis Christi »[1]. Ac paulo post: « Sed cum substantia panis convertitur in substantiam corporis Christi, facta hac transsubstantiatione, *non manet* aliqua substantia; quia tota substantia panis convertitur in totam substantiam corporis Christi: manent autem accidentia; quia accidentia panis non convertuntur in accidentia corporis Christi »[2]. Itaque ex Aegidio, secus ac accidentia, non manet substantia panis in eucharistia; quia non illa, sed haec in Christi corpus convertitur. Atqui, uti didicimus ex Theoremate I. ac nuper memoravimus, conversio etiam *exsistentis in exsistens*, ipsi est: Corruptio aut interitus termini *a quo* per productionem in eius materia vel eductionem ex eius materia illius eiusdem formae numero, qua constituitur illud exsistens numero, in quod fit conversio, unde fit ut hoc ultimum, quod est terminus *ad quem*, productum dicatur. Ergo, per Aegidium, etiam in eucharistia substantia panis ideo non manet, quia corrumpitur aut destruitur. Ratiocinatio Aegidii haec est: Substantia panis convertitur. Ergo corrumpitur aut perit; atque adeo: — α) *non manet:* — β) proprie tamen *non annihilatur.*

Confirmatur.

102. Hanc ratiocinationem plenius intelligemus, si animadvertamus, in principiis Aegidii, conversionem eucharisticam locum habere, quatenus Deus producit aut reproducit, actione creationi vel conservationi simili, in materia panis individuam Christi animam illique instantanee dispositae una cum divinitate substantialiter unit. Ex hoc enim sequitur: — α) Corruptio substantiae et formae panis: — β) Determinatio communis et indeterminatae materiae, quae erat sub forma panis, ad materiam determinate individuam corporis Christi: — γ) Christus proinde est *hic* productus, seu incipit esse *hic* per conversionem panis in ipsum; qui panis consequenter nec manet, nec annihilatur[3]. Aegidius plane plura hac in re falsa ex proprio fundo profert: docet tamen ex communi Doctorum catholicorum sententia in eucharistica conversione: — α) Terminum *a quo*, seu substantiam panis interire, quamvis non annihiletur: — β) Terminum *ad quem*, seu Christum aliquo modo pro-

Collectio.

[1] *Idem, Ibidem, Theorem. 40.*
[2] *Idem, Ibidem, loc. ult. cit.*
[3] Cfr. *Theoremata 1. et 33. fin.*

duci ; atque adeo conversionem ipsam in actione aliquo modo productiva esse reponendam.

103. Quod vero tota substantia panis, modo ab ipso proposito, convertitur in totam substantiam corporis Christi, uti D. Thomae, uti Doctoribus aliis, Aegidio est ultima discriminis ratio inter eucharisticam et conversiones alias quaslibet naturales. Ait namque : « Ex hoc autem manifeste patet quod nullum nomen conversionum naturalium potest congrue adaptari huic conversioni. Omnis enim transmutatio naturalis vel est generatio, vel alteratio, vel augmentum, vel loci mutatio. Non autem haec conversio potest dici loci mutatio ; quia Christus non incipit esse in hostia per motum localem, sed ibi incipit esse, quia est aliquid conversum in ipsum. Neque potest dici augmentum ; quia ex eo, quod Christus incipit esse in hostia, nullum augmentum suscipit. Nec potest dici generatio : quia in omni generatione materia manet tanquam commune subiectum : hic autem non manet panis materia. Nec potest dici alteratio ; quia in alteratione non solum materies, sed etiam manet forma substantialis : hic autem nec materia panis manet, nec eius substantialis forma ; sed tota substantia panis, tam materia quam forma, convertitur in substantiam corporis Christi. Debet ergo haec mirabilis conversio proprio nomine vocari *Transsubstantiatio ;* quia in ea, manentibus accidentibus, fit conversio substantiarum ; quia substantia panis non manet, sed convertitur in substantiam corporis Christi : manent tamen accidentia panis, quod declarare volebamus »[1]. Aegidius ergo quam a superioribus Doctoribus, imprimisque a D. Thoma, hauserat doctrinam communem, eandem falsis quibusdam de materia communi ac individua respersam in Theorematis *De corpore Christi* exhibet ; in communibus autem cum recentiori Theologia ad amussim consentit.

Discrimen inter transsubstantiationem et conversiones naturales ex Aegidio.

Finalis conclusio.

§ VII.

Doctrina Capreoli, Paludani, Aureoli de Transsubstantiatione.

104. Heic sane liceret sistere. Arbitramur autem neque non opportunum, neque futurum iniucundum afferre aliqua ex paulo post magna illa luminaria subsequutis Capreolo, Paludano, Aureolo, ut tum priorum Doctorum intelligentia planior evadat, tum pateat in theologico transsubstantiationis sensu, saltem quoad praecipua puncta, intercisionem fuisse nullam, atque cum veteri recentiorem Theologiam perpetuo nexu colligari.

Ingressio.

105. Capreolus, ut D. Thomae doctrinam de transsubstantiationis termino *a quo* contra Scotum et Durandum tueatur, sequentia scribit : « Desitio substantiae panis, talis qualis fit in eucharistia, secundum propriam rationem distinguitur ab annihilatione, *non quidem ut desitio est, sed ut talis desitio ;* nec terminus eius est *nihilitas panis*, sed *non panis*, qui est substantia corporis Christi.

Capreolus.

Quî, ex Capreolo, panis desitio ab annihilatione differat.

[1] *Idem, Ibidem, Theoremat. 40.*

Vel, dato quod nihilitas panis esset proximus terminus, non tamen ultimus illius desitionis; cum illa desitio sit *quasi dispositio ordinata ad positionem corporis Christi a principali activo huius conversionis, scilicet Deo.* Annihilatio vero *proprie dicta* habet pro principali termino *nihilitatem annihilati*, et non est dispositio ad positionem alicuius positivi; vel, si ipsam comitatur aliqua positio, hoc est per accidens et praeter intentionem agentis.—Ad confirmationem ibidem factam dicitur quod corruptio differt ab annihilatione proprie dicta non solum quia aliquid corrupti manet, scilicet materia; nec solum quia negatio, ad quam est, est negatio in subiecto apto, vel (*seu est*) privatio; sed etiam quia est dispositio ad generationem positivam. Non tamen sequitur quod sit mutatio positiva de proximo et inductive, licet possit dici positiva ultimate et dispositive; quia non omne disponens ordinatum ad inductionem positivi est positivum, cum multae sint dispositiones negativae: sic in proposito de desitione panis. Tertium membrum divisionis statim (*modo*) positae sufficit ad distinguendam eam ab annihilatione proprie dicta. Rursus quia licet nihil panis desinentis maneat actu in se vel in alio; manet tamen illud, in quod conversus est, scilicet corpus Christi, in quo etiam aliqualiter manet panis *in potentia obedientiali*[1], ut ex corpore Christi secundum esse sacramentale in eucharistia possit per Dei potentiam panis redire: ut sicut, pane desinente esse sub speciebus, corpus Christi incipit esse sub iisdem; sic e contra, corpore Christi desinente esse sub illis, iterum redeat substantia panis sub iisdem, ut postea dicetur. Et sic iterum negatio, ad quam est desitio substantiae panis, posset aliqualiter dici privatio, et negatio non quidem in subiecto apto, sed in accidentibus manentibus, in quibus manet aptitudo non quidem naturalis, sed obedientialis ad iterato informandam substantiam panis »[2].

Qui ab annihilatione differat corruptio.

An in sacramento maneat panis in potentia obedientiali?

106. Ad haec, definiturus in quo subiective sit transsubstantiatio, refert: « Dicitur tertio quod argumentum contra factum non valet; quia cum dicitur quod impossibile est quod aliquod accidens sit in illo subiecto etc., dicitur quod probatio illa optime concludit de accidente mere positivo, sed non de accidente pure negativo, vel principaliter includente negationem; cuiusmodi est

In quo, ex Capreolo, subiective sit transsubstantiatio.

---

[1] Quod heic dicitur a Capreolo *de potentia obedientiali* non admittitur a Ferrariensi et aliis Thomistis et, ut videtur, recte. Cfr. Ferrariensem, *Contra Gentiles, lib. 4. c. 63. Considerandum secundo.....*

[2] Capreolus, *In IV. Dist. 11. q. 1. ad argum. Scoti contra 2.am Conclusionem, ac praecise ad primam improbationem responsionum D. Thomae, quam Scotus conatur.* — Parilia subinde habet Capreolus *contra 2.am Confirm. Scoti*, et *contra argumenta Durandi*, inter quae haec etiam subdit: « Ex quibus patet eum (*D. Thomam, cuius verba refert ex 3. p. q. 77. art. 5. corp.*) sensisse quod substantia panis conversa redire non possit, nisi corpus e converso vertatur in substantiam panis. Quia autem reputat hoc impossibile, non contrariatur praedictis. Nam bene est impossibile *secundum potentiam Dei ordinatam*, non autem *secundum absolutam* ». En etiam Capreolus *impossibile* D. Thomae intelligit tantum de potentia ordinata, uti vidimus Suaresium cum Caietano et aliis Angelicum intellexisse.

transsubstantiatio, quae includit prioritatem panis respectu corporis Christi sub speciebus, et desitionem substantiae panis in inceptione praesentiae corporis Christi sub speciebus. Illa autem prioritas, cum sit respectus positivus, est subiective in pane toto tempore prolationis verborum sacramentalium praeter ultimum eius instans, in quo tempore adhuc est substantia panis sub speciebus, sed in ultimo instanti dicti temporis desinit panis esse sub speciebus, et incipit corpus Christi esse sub iisdem: et sicut inceptio est subiective in corpore Christi, ita et desitio dicitur esse subiective in pane, licet tunc panis non sit; quia desitio, cum sit accidens negativum, non requirit subiectum exsistens, imo non exsistens; nec requirit sustentans, imo cadens, cum non sit ibi realis inhaerentia, nec sustentatio, sed sola denominatio rationis... »[1]. Quae, uti clarum videtur, mire numero superiori dicta confirmant.

Colligitur doctrina. Capreo i

107. Quin plura ex Capreolo exscribamus, quae attulimus satis sunt superque, ut perspiciamus ipsum et recentioris Theologiae communiorem doctrinam tradere, et D. Thomam, cuius sensum declarat ac tuetur, eo intellexisse modo, quo intelligit Theologia recentior. Si enim in conversione eucharistica substantia panis sic desinit, ut corrumpatur, quamvis non annihiletur; et transsubstantiatio, prout dicit desitionem panis, in pane cadente subiective sit, prout dicit inceptionem corporis Christi, sit subiective in Christi corpore; transsubstantiatio, ex Capreolo ac porro ex D. Thoma, formaliter inspecta ad Christi corpus immediate terminatur, ac talis est actio, qua ex positione corporis Christi sub speciebus substantia panis corrumpitur. Haec autem est doctrina recentioris Theologiae.

Paludanus.

108. A Capreolo citatus Paludanus sic habet: « Ista conversio non est annihilatio; quia non est versio in nihil, sed in aliquid, licet id, in quod est conversio, non acquirat ex conversione novam formam, sicut cum aer vertitur in ignem per generationem; nec novam materiam, sicut cum cibus convertitur in cibatum; sed sicut *quando est corruptio sine generatione*, ut quando lux corrumpitur, ipsa forma non annihilatur, sed convertitur in subiectum, non sic quod subiectum ex luce generetur, nec quod aliquid lucis addatur essentiae subiecti, sed transit in subiectum cedens in essentiam eius: et quamvis non sit plus in potentia huius partis, in quam cadit, quam alterius; dicitur tamen in istam partem converti et transire. Sic dicitur substantia converti in corpus Christi et transsubstantiari, et haec substantia in illam transire, non quia in illa fiat nova forma substantialis, aut materia, sed per simplicem transitionem in illam, quia relinquit in illa novum effectum, ut statim dicetur »[1]. Addit Capreolus: « Quomodo autem relinquat novum effectum, recitatum est prius in solutione primi argumenti Durandi contra primam conclusionem (*D. Thomae*) ». Iste autem effectus est potentia obedientialis ad *reconversionem*. Hinc

---

[1] *Idem, Ibidem, in solutione argum. Scoti post 3.am conclus.*

[2] Paludanus, *apud Capreolum loc. ult. cit.*

Collectio ex Paludano.

patet Paludanum cum Capreolo admittere in conversione eucharistica, ex mente D. Thomae : — α) Corruptionem substantiae panis, quae cadit in essentiam huius partis panis, atque adeo in nihilum reale, relicta obedientiali potentia ad reditum per reconversionem : — β) Simplicem eius transitionem in corpus Christi. Simplex autem transitio aut conversio, uti legimus apud D. Thomam, sonat in positionem simpliciter, seu sine augmento, termini *ad quem*, et consequenter aliqualem eius effectionem, saltem *hic:* quae bina cum recentioris Theologiae doctrina omnino concordant.

Aureolus.

109. Subiicimus pauca ex Aureolo, ut appareat continuatio doctrinae Halensis et aliorum ex ordine Seraphico. Statuit Aureolus : « Prima propositio est quod transsubstantiatio est duplex mutatio, et una tantum actio. — Secunda propositio est quod ista actio non est subiective in pane. — Secundam partem illius propositionis, videlicet quod transsubstantiatio sit unica actio . . . . . probo..... Quando duae mutationes sic se habent, quod ad positionem unius sequitur necessario positio alterius, illae sunt necessario ab agente per eandem actionem..... Sed istae duae mutationes a pane in non panem, et a non corpore in corpus sunt necessario connexae, sic quod una necessario comitatur aliam..... Et ratio est, quia tale hoc demonstratum non est nisi unius substantiae, et necessario est alicuius; quia substantia concurrit necessario ad illud. Ergo si desit ab una substantia, eo ipso necessario transit in aliam, et e converso: et ideo ad mutationem de non corpore in corpus sequitur necessario per modum sequelae mutatio de pane in non panem »[1]. Hoc loco Aureolus conversionem formaliter in actione reponit ex qua, dum ponitur corpus Christi sub speciebus, desinit esse seu mutatur in non panem panis, qui ibi erat et quidem per modum sequelae necessariae, ex actione ipsa conversiva derivandae. Nonne haec est recentioris Theologiae communior sententia?

Transsubstantiatio duplex mutatio, et unica actio.

Panis mutatur in non panem.

Quare, ex Aureolo, substantia panis non annihilatur.

110. Speciatim vero de termino *a quo*, de substantia videlicet panis, quam docet desinere aut corrumpi, ita ut evadat non panis, ut probet non proprie annihilari, excludit in antecessum aliorum probationes, tum subdit : « Ultimo pono quintam propositionem, quae est secundum communem opinionem Doctorum, et est specialiter modus moderni Doctoris Subtilis, quod panis non est annihilatus, quia aliquid eius maneat quocumque modo praedicto, sed *quia non desinit esse per actionem annihilativam.* — Probo 1.°: Res non dicitur annihilata ex hoc solum, quia nihil eius manet, sed ex hoc, quod desinit per annihilativam actionem. Hoc non in casu. — 2.°: Annihilatio non est mutatio, quae sit sequela alterius mutationis, sed est praecise sola negatio manutenentiae Dei. Sed desitio panis est sequela alterius mutationis.....; sequitur (*enim*) ad illud, scilicet quod accipit quod sit corpus Christi; per hoc enim, quod (*hoc demonstratum*) vi transsubstantiationis capit quod

[1] Aureolus, *In IV. Dist. 11. q. 2. a. 1.*

sit corpus Christi, desinit per modum sequelae esse panis »[1]. Aureolus igitur in desitione panis corruptionem eius et nihilum agnoscit, annihilationem vero negat, idque iisdem rationibus, ac Doctores reliqui principes.

111. Tandem positionem termini *ad quem* sequenti concipit pacto: « Transitum illum, *inquit*, quem fides vult haberi..... puto utique esse possibilem, et satis intelligibilem, ubi licet *nihil fiat in corpus;* tamen *corpus per modum termini fit alteri*, scilicet ei, quod exprimitur per hoc demonstratum determinatum ad situm »[2]. Itaque etiam Aureolus positionem corporis Christi exponit per actionem circa ipsum immediate exercitam: *Corpus fit alteri.* Atque haec sint satis. Quomodo explicat positionem termini *ad quem.*

§ VIII.

Doctrina veterum quorundam discordium de Transsubstantiatione.

112. Dominicus Sotus in suis Commentariis in Magistrum Sententiarum de nostra quaestione loquens ait: « Secunda opinio est hic Caietani, qui concedit quidem ..... totam substantiam panis transsubstantiari in corpus Christi, modo tamen et intellectu difficili, et creditu, nescio an dixerim, impossibili..... Itaque sensus huius opinionis est quod, facta consecratione, verum est dicere: res, quae erat panis, modo est corpus; quemadmodum in praedicationibus accidentium concedimus quod ipse, qui modo infirmatur, postea erit sanus..... Primo ergo animadvertendum quod, secundum hanc opinionem, non modo panis non annihilatur, verum neque ipse, neque ulla eius pars desinit esse simpliciter, sed res ipsa manet facta corpus Christi. Et hanc censent opinionem esse S. Thomae, atque adeo certam, ut de illa ambigere nemo debeat »[3]. Hanc autem opinionem non solum quibusdam sui temporis Professoribus in scholis, sed signate adscribit Caietano, Thomae Waldensi, Henrico Gandavensi, Magistro Sententiarum, Innocentio III.; tum Ambrosium ipsum ea fuisse in sententia videtur suspicari. Post haec, Caietano relicto, alios plus minus in suum sensum conatur interpretari. Dominicus Sotus.

113. Quid de istis sentiendum est? Mittamus Ambrosium, de quo suo loco erit sermo. Vidimus Magistrum, etsi obscurius loquutum, in re tamen, quam tradidit, Doctoribus aliis praestravisse doctrinam. Innocentius III. non in loco a Soto citato, sed ubi directe: *De modo Transsubstantiationis* agit, scribit sequentia: « Quaeritur autem, utrum ante consecrationem sit concedendum: *Panis erit corpus Christi;* vel post consecrationem: *Id quod panis fuit, est corpus Christi.* Quod inde videtur, quoniam qui sacerdos fit, erit sacerdos; et qui sacerdos est factus, sacerdos est..... Innocentius III.

---

[1] *Idem, Ibidem, q. 3. a. unic.*
[2] *Idem, Ibidem, Dist. 12. q. 4. a. 2. sub finem.*
[3] Sotus, *In IV. Dist. 9. q. 2. a. 4. Secunda opinio.*

Nam et si panis nec erit corpus Christi, nec aliud, panis ibi nihil erit, et ita panis annihilatur. Ergo nec fit corpus Christi, nec aliud. Si vero dicatur quod panis erit corpus Christi, statim infertur aliud fore corpus Christi, quod nec fuit natum, nec passum..... Propter haec et alia, quae circa praesentem articulum subtiliter magis, quam utiliter possent inquiri, non desunt, qui dicunt quod ea ratione dicitur panis mutari, vel converti seu transsubstantiari, sive transire in corpus Christi, quod corpus Christi sub eisdem accidentibus loco panis incipit esse, sicut dicitur a grammaticis quod *a* mutatur in *e*, cum a praesenti formatur praeteritum, *ago egi ;* quia loco huius litterae *a* ponitur haec littera *e*. Quidam autem expresse dixerunt *quod ipsa panis essentia vere mutatur in corporis Christi substantiam ; nec redigitur panis in nihilum, quia desinit esse quod fuit, sed mutatur in aliud, quoniam incipit esse quod non fuit.....* Quamvis id, quod fuit panis, sit corpus Christi ; non tamen corpus Christi est aliquid, quod fuit panis, quoniam id, quod fuit panis, est aliud omnino, quam fuit ; sed corpus Christi est omnino idem, quod fuit »[1]. Quae Innocentii verba subsignavimus adversariorum sententiam sat clare videntur innuere ; quod plenius longe intelligitur ex reliquis, quae eodem loco Innocentius disputat. Ast vero hanc sententiam Innocentius, clare saltem, non amplectitur ; sed, hac et altera de panis annihilatione relatis, primo quidem neutram reprobat, quamvis iuxta secundam obiecta solvere conetur ; subinde vero, *formali substantialique conversione* declarata, tandem concludit : « Sed desinamus scrutari scrutinium[2], quoniam : *Perscrutator maiestatis opprimetur a gloria*[3] »[4]. Itaque, sin minus Innocentii erat opinio, sententia adversariorum simul cum altera de panis annihilatione, temporibus Innocentii, in Ecclesia celebrabatur.

Tradit adversariorum opinionem una cum sententia de panis annihilatione.

Henricus Gandavensis.

114. Quid de Henrico sentiendum sit, expresse nos ipsemet docebit. Postquam enim dixit panem non esse annihilatum, sed conversum, ac porro esse *aliquid*, subdit : « Ut videlicet id, in quod conversum est ; ut verum sit dicere quod : *Id, quod fuit substantia panis, sit corpus Christi ;* aut, si hoc non concedatur, saltem oportet concedi quod, secundum aliquem modum mirabilem et forte nobis pro hac vita non intelligibilem, verum sit dicere quod : *Id aliquid, quod est corpus Christi, sive aliquitas corporis Christi, ut ita liceat loqui, sit aliquid eius, quod fuit substantia panis ;* et, per hoc, etiam esse corporis Christi sit, secundum eundem modum, eius quod erat substantia panis »[5]. Heic autem primum omnium animadvertendum est Innocentium non concessisse : *Corpus Christi est aliquid, quod fuit panis ;* dum Henricus concedendum esse contendit : *Quod id aliquid, quod est corpus Christi..... sit aliquid eius, quod fuit substantia panis.* Qua concessione Henricus, clarius

[1] Innocentius III., *De sacro altaris mysterio, lib. 4. c. 20.* — Migne.
[2] *Psal. 63. 7.*
[3] *Prov. 25, 27.*
[4] Innocentius III., *Op. et loc. laud.*
[5] Henricus Gandavensis, *Quodlibeto 11. q. 4.* — Cfr. *Quodlib. 9. q. 3.*

quam Innocentius, videtur admittere reale aliquid panis identificatum Christi corpori in eucharistia haberi.

115. Succedat Thomas Waldensis. Hic, si attente legatur, obscurus quidem est valde, sed tandem in superiorum sententiam videtur inclinare. Probat primum, et quidem optime, in eucharistia, peracta consecratione, non remanere substantiam panis[1]. Tum ex Ambrosio et Hugone transsubstantiationem declarat atque, inter alia, scribit: « Si obiicis per illud praedictum Ambrosii: *Ut sint, quae erant, et in aliud commutentur:* Sunt ergo panis et vinum, quae erant; falleris. Sed ea coniunctim accipe, quae coniunxit Ambrosius, nec falleris. Non dixit: *Ut sint, quae erant*, et ibi quievit; sed copulatam propositionem satis sapienter intexuit dicens: *Ut sint, quae erant, et in aliud transmutentur:* intendens quod *de rebus exsistentibus, sine annihilatione sui, ipsae in alienas essentias commutentur cum omni desitione sui* »[2]. Subsignata haec ultima verba Innocentii verba parce detorta, aut certe sententiam videntur referre: *Quidam expresse dixerunt quod ipsa panis essentia vere mutatur in corporis Christi substantiam; nec redigitur panis in nihilum, quia desinit esse quod fuit; sed mutatur in aliud, quoniam incipit esse quod non fuit.* Quamvis autem res liquida haudquaquam sit; nostro tamen iudicio, Waldensis adversariorum sententiae videtur favere.

Thomas Waldensis.

Obscurus.

Favet adversariis,

116. Superest, ut aliquid de Caietano dicamus. Si vera loqui fas est, utrum Caietano ea insit sententia, quam ipsi Sotus superius attribuit; an vero, uti non semel in more habet, subtili quodam sub adspectu rem proponat, ac sortilegis prope verbis in communi aliorum Theologorum stet sapientia, non sine fundamento licet dubitare. Si loco superius laudato corripitur a Soto, in bonum sensum explicatur et defenditur a Valentia[3], et Vasquez[4]. Ceterum ipsum Caietanum audiamus. Praemittit bina. Primum est conversionem substantialem fieri in instanti, ita ut unum et idem instans sit *primum non esse termini a quo*, et *primum esse termini ad quem.* Alterum est: *Quod erat panis ante consecrationem, iam corpus Christi est post consecrationem; quia sermo Christi creaturam mutat;* quae sunt Ambrosii verba a Caietano relata. Post haec subdit: « Ex his simul iunctis et perspicaciter consideratis habemus actionem transsubstantiativam circa panem versari, et in panem terminari hoc modo, videlicet quod, in instanti conversionis panis in corpus Christi, quod erat panis, ut sic, id est secundum esse panis, habet rationem termini *a quo;* et rursus quod erat panis, quod iam est corpus Christi, ut incipiens esse corpus Christi, habet rationem termini *ad quem;* ita quod terminus *ad quem* non est corpus Christi absolute, sed, *hoc, quod erat panis, esse corpus Christi,* ut patet exponendo pro illo istanti, quo

Caietanus.

De eius mente licet dubitare.

Caietani loquutiones difficiles.

---

[1] Thomas Waldensis, *De Sacramento Eucharistiae c. 35. seqq.*
[2] *Idem, Ibidem, c. 48.*
[3] Valentia, *In 3.am p.em D. Thomae, Disp. 6. q. 3. puncto 3.*
[4] Vasquez, *In 3.am p.em D. Thomae, Disp. 181. c. 10.*

ista transsubstantiatio simul fit et facta est »[1]. Rursum: « Et hinc suspiciendo coniicere potes quod non oportet, propter novam hanc actionem, mutationem aliquam effici in substantia corporis Christi; quia quod erat panis, de novo est corpus Christi non per mutationem corporis Christi, sed per mutationem panis in corpus Christi »[2]. Haec et plura alia eodem loco habet Caietanus, quae ipsum Doctoribus aliis modo laudatis viderentur accensere.

Quinam Caietani sensus?

116. Verum haec verba loquutionesque sunt. Quid per haec intelligit Caietanus? Loquatur ipsemet: « Ubi, *inquit*, videre potes in eo, quod est panis ante consecrationem, efficaciam habere consecrationem, seu divinam actionem quantum ad vim utriusque termini *a quo* et *ad quem*. Quoniam actio conversiva *acquirit ei*, quod erat panis, *esse corpus Christi*, convertendo id in corpus Christi; et *ad hoc comitatur deperditio termini a quo*, dum quod simul convertitur et conversum est in corpus Christi, *desinit esse panis* »[3]. Quaerimus: Quomodo, ex Caietano, actio conversiva acquirat ei, quod erat panis, esse corpus Christi; et quomodo hoc comitetur deperditio panis? Scribit: « Scito distingui conversionem in formalem et substantialem; et naturales appellari formales non ea ratione, quia forma convertitur in formam; sed quia *secundum deperditionem unius*, et *acquisitionem alterius* dicitur totum categorematice converti in totum, ut cum dicimus quod aer conversus est in ignem »[4]. Itaque, ex Caietano, sic intelligendum est ei, quod erat panis, acquiri esse corpus Christi, et hoc comitari deperditionem panis; quomodo in naturalibus conversionibus acquiritur una forma et alia deperditur. Eadem enim ratione in utriusque generis conversione loquitur Caietanus, uti ex verbis evidens est; tum, uti subinde dicit, eucharistica conversio ad normam conversionum naturalium est analogice intelligenda et explicanda, et sic fuit a D. Thoma intellecta et explicata[5]. Atqui in naturalibus conversionibus una forma acquiritur, quatenus ab agente vel in materia producitur, vel ex materia educitur, aut certe utcumque in materia ponitur; alia vero forma deperditur, quatenus ab ultima dispositione vel a nova forma contraria a materia expellitur, et sic corrumpitur in nihilumve abit. Ergo, per Caietanum, in eucharistia pani acquiritur *esse corpus Christi*, et concomitanter deperditur *substantia panis*, quatenus per divinam actionem conversivam Christi corpus ponitur, et substantia panis corrumpitur in nihilumve abit. Haec autem est doctrina Theologiae recentioris.

Aperitur et probatur primo.

Probatur secundo.

117. Arguit Durandus apud Caietanum: Si totum converteretur in totum ita, ut materia panis converteretur in materiam corporis Christi, et forma in formam, substantia panis vere annihilaretur. « Et probatur sequela. Primo..... Secundo, quia si in corruptione

[1] Caietanus, *In 3.am p.em D. Thomae, q. 75. a. 4. Pro solutione harum.*
[2] *Idem, Ibidem.*
[3] *Idem, Ibidem.*
[4] *Idem, Ibidem. Ubi scito distingui.*
[5] *Idem, Ibidem, Duplex propterea necessitas.*

materia desineret esse, quemadmodum et forma, iam non esset corruptio, sed annihilatio. Sed in hoc modo conversionis tam materia, quam forma panis desinit esse. Ergo est vera annihilatio »[1]. — Respondet Caietanus: « Ad secundum negatur consequentia: quoniam, ut iam patet, plus requiritur ad annihilationem, *quam desinere esse materiam et formam.* Et potes ad utrumque argumentum et similia altius respondere dicendo: Quod esse nihil, non esse aliquid, desinere esse, et si quid huiusmodi significatur, contingit dupliciter. Uno modo *per se*, et sic verificantur omnia assumpta: alio modo *concomitanter ad conversionem in aliud*, et sic omnia sunt falsa. Et quia, in proposito, panis concomitanter ad conversionem sui in corpus Christi non est aliquid, est nihil, desinit esse, et non per se est nihil, non est aliquid, desinit esse, ideo non annihilatur; annihilatio enim per se est ad nihil, ad non aliquid, est ad non esse »[1]. Caietanus ergo agnoscit veram substantiae panis destructionem aut corruptionem, etsi negat proprie dictam annihilationem. Atqui si hoc, doctrina Caietani nequit esse doctrina, quam Sotus ipsi tribuit, utpote quae necessario requirit, ut panis non destruatur, sed funditus solummodo positive varietur; contra vero est apertissime doctrina recentioris Theologiae, et aliorum summorum Doctorum, quos in superioribus laudavimus.

Caietani loquutiones difficiles declarantur.

118. Quid ergo intelligit Caietanus, quando tot modis et innumerabilibus verbis repetit conversionem hanc efficere, ut: *Id, quod erat panis, sit corpus Christi?* Intelligit primo actionem conversivam non esse actionem quasi discretam circa panem aut circa corpus Christi; sed esse actionem quasi coniugatam, quae utrumque terminum attingit. Hac ratione dixit terminum ad quem huius conversionis non esse corpus Christi, sed esse: *Id, quod erat panis, esse corpus Christi.* Atque hinc vult secundo, quamvis totus panis concomitanter desinat, et Christi corpus immutatum ponatur; in hoc tamen transitu unius in alterum salvari praedicata metaphysica generica aut communia pani et corpori Christi, ratio v. g. entitatis, substantiae etc., non salvari praedicata specifica et distinctiva, v. g. specifica panis ratio. Quare vult tertio, ratione illorum praedicatorum communium posse dici metaphysice: *Id, quod erat panis, est corpus Christi*, vel: Substantia, *quae erat panis, est substantia, quae iam est corpus Christi*, seu panis et corpus Christi conveniunt metaphysice in ratione entis et substantiae. Contendit quarto hanc esse D. Thomae mentem, dum ait: Auctor entis potest convertere quod est entitatis in una re in id, quod est entitatis in alia, sublato eo, per quod ab invicem distinguebantur. Lege, sodes, totum commentarium articuli quarti. Et quidem speculationes praecedentes Caietano dignae sunt. Quod vero quarto loco dicit de mente D. Thomae, nobis verum non videtur. D. Thomas, uti constat ex dictis, non de metaphysicis intentionibus, sed de physica et reali conversione loquitur. In *Summa*

[1] *Idem, ibidem, Demum arguit Durandus.*

contra Gentiles praesertim expresse declaravit ex vi huius conversionis auferri tum panis formam, qua *specifice*, tum panis materiam, qua *numerice* aut *individualiter* termini *a quo* et *ad quem* inter se distinguebantur; idque posse fieri et fieri de facto actu infinito agente, qui non solum formae, sed etiam materiae auctor est.

SECTIO IV.

De evolutione Theologici intellectus circa dogma Transsubstantiationis, et de opinionibus variis Theologorum.

Dogmatis Transsubstantiationis intellectus theologicus non quaerendus ante haeresim Berengarianam.

1. Ex iis, quae de catholici intellectus initio in superioribus monuimus [1], sponte, dixerim, fluit intellectus Theologici pressiori sensu usurpati de dogmate Transsubstantiationis non esse initia ante haeresim Berengarianam saec. XI., imo ante saec. XII. inquirenda. Quod enim de ipso transsubstantiationis dogmate sub finem saec. XII. scripsit Alanus de Insulis: « Dicunt quidam quod in primitiva Ecclesia ita omnibus patebat transsubstantiari panem in corpus Christi, quod nulli dubium erat, cum Christus hoc esset in Evangelio testatus, nec super hoc in primitiva Ecclesia ulla haeresis pullulavit, ad quam reprimendam opus esset mentionem fieri de hoc in aliquo symboli articulo » [2]; pari aut fortiori iure de ipsius dogmatis theologico intellectu pressius usurpato dicendum est. Nihil plane illius temporis Theologos, qui iidem et Patres erant, urgebat ut specialis huius dogmatis theologicum intellectum plenius evolverent. Quapropter eo, quem acceperant, fidei intellectu contenti, hunc scriptis suis commendarunt, iuxta decentissimum divinae providentiae ordinem, a subsequuturis Theologis expoliendum. Ad haec, Theologia ipsa, qualis nunc concinnatur, tunc temporis praeformabatur solummodo, saec. tandem XII. ab incunabulis exsultura [3]. Non ante ergo ipsam exortam dogmatis cuiusque, ac porro nostri, initium theologici intellectus pressiori sensu potest constitui.

Prima quasi lineamenta sensus theologici ab Innocentio III. posteris transmissa.

2. Saeculis ergo XI. et XII., dum cum Berengarianis Scriptores catholici proeliabantur, ac Theologia, qua in posterum ornaretur, vestem induebat, deformatus quodammodo est de Transsubstantiatione theologicus ille sensus, quem prae omnibus aliis illius aevi scriptoribus Innocentius III. nobis transmisit. Intellexerunt aliqui verbis consecrationis panis substantiam annihilari et Christi Corpus sub panis speciebus constitui, atque sic conversionem substantiae panis in Christi corpus absolvi. Intellexerunt alii conversionem substantiae panis transsubstantiationemque in Christi corpus fieri per hoc quod, quin annihilaretur, sic realis panis sub-

---

[1] Vide supra *p. 1. Sect. 2.*

[2] Alanus, *Contra Haereticos lib. 1. c. 59.*

[3] Wirceburgenses, *Principia Theologica. Disp. 3. c. 2. a. 1. n. 227.*

stantia positive mutaretur, ut substantialiter evaderet ipsa essentia corporis Christi. Relege Innocentium III.[1]

Nova quaedam sententia a Magistro sententiarum relata.

3. Cum haec hinc inde agitarentur, quidam alii in eam iverunt sententiam, ut panis substantiam in corpus Christi converti arbitrarentur, quatenus Christus ex vi consecrationis sic fieret sub speciebus panis, ut nunc sub iisdem speciebus simul essent substantia panis et Christi corpus: et substantia quidem panis esset sacramentum, corpus autem Christi res sacramenti. Discimus hoc a Magistro Sententiarum[2], qui positionem hanc uti haereticam omnino traducit et explodit, ac Doctoribus aliis eandem ut haeticam excludendi auctor fuit. De modo autem conversionis ipse nihil penitus definit, fateturque illi definiendo se imparem esse. Refert sententiam annihilationis substantiae panis, et non reprobat. Utitur vero alia sententia ab Innocentio relata non ut modum conversionis declaret, sed ut constituat conversionem hanc non esse *formalem* sed *substantialem*, modumque loquendi, qui substantialem hanc conversionem servet, stabiliat.

Post Magistri tempora quadruplex Theologorum sensus.

4. Post Magistri tempora quadrupliciter divisa est Theologorum mens circa dogma transsubstantiationis. Alii, relicta fere resolutione substantiae panis in praeiacentem materiam, perstiterunt in annihilatione substantiae panis ad positionem corporis Christi, uti ex Doctoribus supra relatis colligitur, et de Nominalibus certo constat. Alii voluerunt substantiam panis non proprie annihilari, sed destrui et quodammodo corrumpi ad positionem corporis Christi, et sic in Christi corpus converti, uti Halensis, Albertus M., D. Thomas, S. Bonaventura aliique. Alii tuiti sunt proprie dictam corruptionem substantiae panis, ut in Christi corpus converteretur; quatenus, cessante forma panis, panis materia Christi anima informaretur, et in Christi corpus panis converteretur. His, uti constat ex dictis, quodammodo Aegidius Romanus accensendus est, accensendus vero simpliciter Durandus[3]. Alii demum contenderunt perire materiam panis in huius conversione in Christi corpus, sed formam substantialem cum accidentibus remanere. Horum meminit D. Thomas[4]; de his vero et de immediate praecedentibus sic scribit S. Bonaventura: « Opinio aliquorum fuit, quam tamen Magister non ponit, *quia modernorum est*, vel etiam quia non multum est probabilis, quod non totus panis secundum substantiam transit, sed aliqua pars essentialis remanet. Constat enim quod accidentia remanent secundum *esse* et *operationem*. Quia videtur quod remanent secundum *esse*, fuerunt qui dicerent quod remanet etiam *materia*, quae illa sustinet, et transit forma. Sed hoc nihil est, quia materia non est nata sustinere accidentia, nec esse in actu nisi cum forma. Alii videntes quod accidentia habent *operationem*, et omnis operatio ortum habet a forma substan-

S. Bonaventurae testimonium.

---

[1] Cfr. Sect. praeced. n. 112.
[2] Magister Sententiarum, *IV. Dist. 11. n. 4.* — Ed. Migne.
[3] Durandus, *In IV. Dist. 11. q. 2. n. 6. et q. 3. n. 5.*
[4] D. Thomas, *Summ. Theol. 3. p. q. 75. a. 6.*

tiali, dixerunt quod transit materia, et remanet *forma*. Sed hoc iterum nihil est, quia forma non operatur, nisi in materia »[1].

Obsoletae statim ac natae opiniones aliquae.

5. Duplex haec ultima opinatio, ut primum fere nata est, obsolevit. Quod idem dicendum est de minoribus aliis, quae vix nomen reliquerunt; videlicet tum de illa, quae statuebat remanere in eucharistia panis *subsistentiam* quaeque, ut ferunt, placuit Godefrido de Fontibus; tum de illa, quae volebat remanere panis *exsistentiam*, quaeque Dominico Bannez communiter tribuitur[2].

Vices sententiae ab Innocentio III. secundo relatae.

Illa vero prima opinio, quae panem non destrui, sed positive mutari, dum in Christi corpus convertitur, adstruebat, non quidem continenti traduce ad nos transmissa fuit, sed tamen refloruit in Henrico Gandavensi, ac facile in Thoma Waldensi, et temporibus Dominici Soto in privatis divinarum rerum Doctoribus; temporibus vero nostris in aliquibus Doctoribus quos, quia non cum ipsis sed cum communi sententia nobis res est, non putamus nominandos.

Opiniones Rosminii et Baymae.

Heic memorandae solummodo sunt recentissimae opiniones Rosminii et Baymae in superioribus relatae, quae licet essent catholicorum Doctorum, ab Ecclesia tamen fuerunt reprobatae.

Catholicorum Doctorum sententiae.

6. Ex his licet colligere catholicorum Doctorum sententias de transsubstantiatione panis et vini in Christi corpus et sanguinem.

Ad binas classes revocantur.

Hae ad duas supremas classes possunt commodissime revocari; quarum altera ponit panem, dum convertitur in Christi corpus, non *simpliciter* sed *secundum quid* solum desinere; altera, e contra,

Prima classis bipartita.

desinere *simpliciter*. Prior illa bifariam patet. Nam Rosminius coniicit panem desinere esse panem et converti in corpus Christi quatenus, quamvis remaneat secundum totam physicam substantiam, fit tamen terminus principii sentientis ipsius Christi, et sic evadit aut convertitur in Christi corpus. Desinit ergo esse panis et convertitur in Christi corpus *per solam denominationem extrinsecam*, quatenus qui prius erat et dicebatur panis, nunc dicitur Christi corpus, quia a Christo ut suum corpus aut ut ad se pertinens sentitur. — In opinione vero Baymae panis desinit et convertitur in Christi corpus solum *modaliter*, quatenus amittit metaphysicam rationem substantiae, quia a Christi corpore sustentatur ad modum supernaturalis accidentis, et supernaturalem quandam in ipso nanciscitur exsistentiam, totam tamen suam physicam naturam substantialem retinendo.

Classis altera tripartita.

7. Altera item classis in triplicem diffluit sententiam. Volunt enim Doctores aliqui panem sic desinere esse *simpliciter*, dum convertitur in corpus Christi, ut *substantialiter*, et quidem *physice*, desinat esse panis, quatenus *per positivam ipsius mutationem*, aut variationem intimam, sic fiat aliud, ut haec substantialis entitas panis per positivam illam mutationem adducatur ad hoc, ut iam sit substantialis entitas corporis Christi. — Alii vero, ex opposito, volunt panem *simpliciter* desinere, dum convertitur in Christi corpus, ut *proprie* et *presse annihiletur*, adeo ut conversio panis in

[1] S. Bonaventura, *In IV. Dist. 11. a. un. q. 2. corp. p. 1.*

[2] Cfr. *Scholion Edit. Op. S. Bonav. ad Claras aquas IV. Dist. 11. p. 1. a. un. q. 2.*

corpus Christi sit: Simultanea annihilatio substantiae panis et positio corporis Christi sub speciebus ex vi verborum consecrationis; aut, ut alii loquuntur, sit: Talis divina actio, qua panis annihilatur, ut ponatur corpus Christi sub speciebus, vel qua ad positionem corporis Christi sub speciebus substantia panis annihilatur. — Doctores vero reliqui catholici, tum veteres tum recentiores, statuunt panis substantiam, in eius conversione in Christi corpus desinere quidem *simpliciter*, ast non *proprie annihilari*, sed annihilari tantum *improprie*, id est, *destrui* aut etiam *corrumpi*, quatenus ex vi illius integrae actionis supernaturalis, qua Christi corpus sub speciebus ponitur, modo subinde declarando, concomitanter perit panis substantia in nihilumque abit.

Quare Rosminii et Baymae sententiae commemoratae.

8. Rosminii et Baymae sententiae non ea ratione commemoratae sunt, quasi vero ex iisdem catholicus dogmatis transsubstantiationis intellectus possit debeatve proficere; sed quod, cum catholicorum hominum sententiae sint, et sint recentissimae, et ab Ecclesia sint positive reprobatae, aequum erat ut in hac nostra catholica *Disquisitione* convenientem castigationem invenirent. Sententiae vero aliae tres in Ecclesiae sinu libere sane possunt adhuc defendi; superest tamen videndum earum quaenam melius cum Ecclesiae scitis componatur, catholicumque transsubstantiationis dogma plenius declaret, efficaciusque tueatur. Colligimus autem ex huc usque dictis sententias illas binas, quae transsubstantiationem explicant vel per desitionem panis ex vi mutationis positivae ipsius physicae substantiae panis, aut per *proprie dictam annihilationem*, paucorum relative Doctorum esse; sententiam vero tertiam, quae inter utramque media quodammodo incedit, sic veterum et recentiorum Theologorum suffragium sibi comparasse, ut morali quadam aestimatione ipsius Theologiae Catholicae sententia iure possit meritoque nuncupari, certo vero certius sententia communissima, *in communibus placitis*, apud Doctores Catholicos sit dicenda.

Generalis collectio critica.

TERTIA PARS — SCHOLASTICA

SECTIO I.

DE REALI PRAESENTIA CHRISTI IN EUCHARISTIA

Ingressio.

1. Quandoquidem conversio eucharistica seu transsubstantiatio, ut in doctrina fidei est, sic locum habet, ut ex vi ipsius Christus sub panis vinique speciebus sistatur praesens, substantia vero panis non maneat; quaerunt sat communiter Theologi principes: — α) Quid sit, aut quid significet Christum sub speciebus esse realiter praesentem: — β) Quid sit, aut quo sensu dicatur panis substantia sub iisdem non remanere: — γ) Tandem quid conversio ipsa in se sit, aut quo pacto ex vi ipsius sub speciebus desinat panis vinique substantia, adsit Christus.

Quid sit realis Christi praesentia in eucharistia.

2. Ad realem Christi praesentiam quod attinet, bina apud Theologos certa sunt, aut communi satis consensione admittuntur. Primum est realem Christi praesentiam in eucharistia, adaequate seu concrete inspectam, complecti ipsam substantiam corporis et sanguinis Christi; sine substantia enim individua corporis et sanguinis Christi certum est omnibus non haberi illam Christi praesentiam, quam fidei documenta omnia superius relata, imprimisque Tridentinum, apertissime nobis declararunt.[1] Alterum est realem illam Christi praesentiam, in concreto acceptam, includere etiam *esse sacramentale*, in habitudine quadam ad species consecratas generatim reponendum. « Per hoc, *inquit Angelicus*, quod dicimus ipsum (*Christum*) esse sub hoc sacramento, significatur quaedam habitudo eius ad hoc sacramentum »[2]. Et rursum: « Quibus (*speciebus*) cessantibus, desinit esse corpus Christi sub eis, non quia ab eis dependeat, sed quia tollitur habitudo corporis Christi ad illas species »[3].

Includit ipsam Christi substantiam.

Et eius habitudinem ad species.

In ratione signi et signati.

3. Huiusmodi vero habitudo, esse Christi sacramentale constituens, sita est: — α) Ex primaria Christi intentione in ratione *sacramenti*, seu *signi et signati*, quatenus species panis et vini signum sunt ipsius Christi, constituti in ratione cibi et potus, uti ex Scripturis et Patribus, et ex multiplicibus Ecclesiae definitionibus apud catholicos omnes ratum est[4]. — β) In ratione *continentis et contenti*, uti laudato saepe capite *Firmiter* aperte loquitur

Continentis et contenti.

---

[1] Cfr. *supra Part. 1. Sect. 2.*

[2] D. Thomas, *Summ. Theol. 3. p. q. 76. a. 6. corp.*

[3] *Idem, Ibidem, ad 3um.*

[4] *Joann. 6, 48. seqq. — Matth. 26, 26. seqq. — Marc. 14, 22. seqq. — Luc. 22, 19. seqq. — I. Cor. 11, 23. seqq.*

Lateranense IV., et alia passim Concilia et Patres: quatenus etsi species proprie non sunt locus corporis et sanguinis Christi; tamen aliquo modo ad ipsum uti locus ad locatum comparantur eo ex capite, quod Christus occupat, ad modum plane substantiae aut spirituum uti inferius dicetur, eandem illam spatii realis partem, quam circumscriptive species ita occupant, ut sint quoddam quasi vas circa ipsum. Ad rem D. Thomas: « Comparatio Christi ad species, sub quibus est . . . . . habet aliquam similitudinem cum illo modo, quo aliquid dicitur esse in loco, secundum quod esse in loco est esse in aliquo separato extra substantiam suam, quod non est causa eius. Et secundum hoc etiam Innocentius dicit corpus Christi *esse in pluribus locis, quod continetur sub pluribus speciebus* »[1]: — γ) In ratione habitus, seu *velamenti et velati*, ut loquitur Martinus V. in articulis, de quibus suspecti de haeresi Wicleffi erant interrogandi. En Martini verba: « Item, utrum credat quod, post consecrationem sacerdotis, in sacramento altaris *sub velamento panis et vini*, non sit panis materialis et vinum materiale, sed idem per omnia Christus, qui fuit in cruce passus et sedet ad dexteram Patris »[2]: — δ) In ratione *inter sese aliquo modo unitorum.*

D. Thomas.

Velamenti et velati.

In ratione unitorum.

4. Sed enim postrema haec habitudo pleniorem exigit declarationem. Principio quidem aliqua unio inter Christi corpus et species consecratas admittenda est: quae communis est cum D. Thoma Theologorum omnium doctrina, uno forsan Durando excepto, uti apud Vasquez potest videri[3]. Enimvero unio aliqua necessaria est ad ea explicanda, quae apud Patres et in praedicatione Ecclesiae communissima sunt. « Quia hominum consuetudo fert, *inquit Damascenus*, ut panem edant, vinumque et aquam bibant; idcirco *coniuncta* cum illis sua divinitate (συνέζευξεν ἀυτοῖς τὴν ἀυτοῦ θεότητα), haec corpus et sanguinem suum fecit, ut per usitata et naturae consentanea assurgamus ad ea, quae supra naturam sunt »[4]. Quae Damasceni verba D. Thomas sic exponit: « Dicendum quod verbum Damasceni intelligendum est quantum ad species, quibus corpus Christi divinitati unitum *modo ineffabili coniungitur* »[5]. In Summa autem Theologica S. Doctor paulo aliter, et facile magis ad Damasceni mentem, verba eadem declarat. — Legimus in capite: « Hoc est, quod dicimus, quod omnibus modis approbare contendimus, sacrificium Ecclesiae confici duobus, duobus constare, visibili elementorum specie, et invisibili D. N. I. C. carne et sanguine, et sacramento et re sacramenti, id est, corpore Christi; sicut persona Christi constat et conficitur ex Deo et homine »[6]. Ac rursum: « Ego Berengarius ..... ore et

Admittenda est aliqua unio inter Christi corpus et species.

[1] D. Thomas, *In IV. Dist. 10. q. 1. a. 3. quaestiunc. 1. ad 1um.*

[2] Cfr. *Bullam Martini V.* Inter cunctas, vel Denzinger, *Enchiridion Symbolorum* etc. *Artic. 16.*

[3] Vasquez, *In 3.am p.em D. Thomae, Disp. 190. c. 4.*

[4] S. Ioannes Damascenus, *De fide Orthodoxa, lib. 4. c. 13.*

[5] D. Thomas, *In IV. Dist. 11. q. 1. a. 1. quaestiunc. 1. ad 1.um* — Cfr. *Summ. Theol. 3. p. q. 75. a. 2. ad 1um.*

[6] *De Consecratione, Dist. 2. cap. 48.* Hoc est. — Ed. Friedberg.

corde profiteor..... panem et vinum, quae in altari ponuntur, post consecrationem, non solum sacramentum, sed etiam verum corpus et sanguinem D. N. I. C. esse, et sensualiter non solum sacramentum, sed in veritate manibus sacerdotum tractari, frangi, et fidelium dentibus atteri »[1]. Ad rem vero Suaresius scripsit: « Secundum fundamentum sumitur ex quadam veluti communicatione idiomatum inter species et corpus Christi. Nam visis, tactis, fractis, aut motis speciebus, dicitur corpus Christi videri, tangi, frangi, moveri. Ergo nascitur hoc ex aliqua unione, sicut ex simili communicatione inter humanitatem et Verbum colligunt SS. Patres unionem inter illa: unde comparant saepe hanc compositionem ex carne Christi et accidentibus panis cum illa unione ex carne et Verbo..... Et hoc maxime convincit communicatio in motu. Nam, motis speciebus, movetur per accidens corpus Christi: quod non posset..... consequi, nisi..... coniunctio *(aliqua)* inter ea intercederet. Simile argumentum sumi potest ex eo quod, corruptis speciebus, statim desinit esse ibi corpus Christi, quia amittit unionem (*cum illis*), sicut desineret substantia panis, cui corpus successit..... Denique ratione huius unionis vere et proprie designatur corpus Christi dicendo: *Hoc est corpus meum;* quia illud pronomen proprie non designat, nisi quod realiter continetur, et coniungitur cum his accidentibus sensibilibus »[2].

Suarez.

Cuiusmodi sit haec unio.

5. Si quaeras: Cuiusmodi haec unio sit, moralis nimirum ex solo Dei decreto derivanda, an vero physica et vinculo aliquo reali consistens? Si autem aliquo modo physica sit, an efficienter tantum, an etiam formaliter intelligenda? Si demum formaliter, uti aliquibus videtur, an ea recipi tantum dicenda sit in ipsis speciebus, an in Christi corpore, an in utrisque? Non conveniunt Theologi: nobis autem in praesentiarum satis sit haec innuisse. Praeter unionem moralem, seu praeter decretum Dei volentis ut Christus sacramentaliter non sit, nisi ubi sunt species consecratae, atque adeo ipsam quasi specierum conditionem sequatur, nobis unio aliqua physica placet omnino; sive quia eam, si plenius inspiciantur, probare videntur argumenta, quibus unionem aliquam generatim constabilivimus; sive quia praesens providentiae ordo habet, ut effectus determinati, praeter universalem causam aut divinam voluntatem, determinatas aut particulares causas sibi vindicent. Huiusmodi autem physica unio non illa est, quam *formalem* dicunt quaeque, praeter alia inconvenientia, permitteret Christum denominari ab accidentibus album, rubrum, rotundum, sapidum etc.; sed illa, quam dicunt *efficientem*, eo solo sensu intelligenda, quod Christus instrumentali et immediata efficientia Humanitatis suae, prout hic est, connaturaliter ac porro *indistanter* concurrit cum Deo ad species sine subiecto conservandas, atque sic contactu quodam virtuali cum ipsis unitur. Verum hac super re prudenti lectori iudicium esto. Consuli possunt pro sua quisque

---

[1] *Ibidem, cap. 42.* Ego Berengarius. — Ed. Friedberg.

[2] Suarez, *In 3.am p.em D. Thomae, q. 75. Disp. 47. Sect. 3. n. 2.*

sententia Theologi decertantes, imprimisque Suaresius[1], Vasquesius[2], Lugo[3], Bellarminus[4], Coninck[5], Mastrius[6], aliique ab ipsis laudati.

An praeter substantiam corporis Christi et esse sacramentale, realis Christi praesentia in eucharistia aliud includat.

6. Praeter bina istaec, praeter substantiam nimirum corporis et sanguinis Domini, et esse sacramentale seu eius habitudinem ad species consecratas, quae ab omnibus, una vel alia ratione, agnoscuntur ad realem Christi praesentiam in eucharistia intelligendam, disputatur: Num aliquid aliud illa praesentia complectatur, et quidnam illud sit. Qua in quaestione non una est Doctorum sententia. Gonetus[7] atque, uti videtur, facile concedet Valentia[8], aliique contendunt realem Christi praesentiam, praeter illa bina, includere etiam modum aliquem instrinsecum substantialemque, seu ad praedicamentum substantiae reducibilem, superadditum corpori Christi, vi cuius Christus vel exsistit in eucharistia ad modum substantiae, non autem quantitatis, vel saltem fit radicaliter aptus, ut cum accidentibus uniatur ac, seclusa inhaerentia, eadem sustentet. Hi volunt in *modo* huiusmodi intrinseco substantialique praesentiam illam esse formaliter reponendam. — Praeter hos alii, quos suppresso nomine refert Suaresius[9], docuere realem Christi praesentiam in eucharistia illis duobus iam declaratis addere *actionem*, qua Christus active seu efficienter conservat species sine subiecto: actionem vero hanc formam esse dicunt vel formalem rationem, qua proprie uti esse quodammodo in loco, ad modum videlicet spirituum, sic praesentia Christi eucharistica definitur. — Post hos veniunt qui illis duobus dictis addunt, *respectum quendam indistantiae aut propinquitatis* ad alia corpora vel ad spatium reale, uti loquuntur Scotus[10], Durandus[11], quin etiam Valentia[12], Bellarminus[13], ac communiter Nominales. Utrum vero Doctores hi per illiusmodi respectum intelligant relationem ipsam praedicamentalem indistantiae aut propinquitatis; an vero fundamentum talis relationis in *modo aliquo*, sive extrinseco sive intrinseco Christi corpori, constituendum, merito potest disputari. Hoc alterum, saltem de Scoto, nobis videtur longe probabilius.

Doctorum opiniones ternae.

Opiniones aliae binae, ac praecipuae.

7. Supersunt opiniones binae hac in re facile praecipuae. Prima statuit praesentiam illam, praeter dicta, includere formaliter modum physicum accidentalem de praedicamento *Ubi*, vel ad illud reducibilem, intrinsecus afficientem ipsam substantiam corporis

Sententia prior.

---

[1] Suarez, *loc. mod. laud.*
[2] Vasquez, *In 3.am p.em D. Thomae, Disp. 190. cc. 3. 4.*
[3] Lugo, *De Sacramento Eucharistiae, Disp. 6. Sect. 1. et 2.*
[4] Bellarminus, *De Eucharistia, lib. 3. c. 18.*
[5] Coninck, *In 3.am p.em D. Thomae, q. 75. a. 4. Dub. 2.*
[6] Mastrius, *In IV. Sententiarum, Disp. 3. De Ven. Euch. Sacr. q. 10. a. 1. seqq.*
[7] Gonet, *De Eucharistia, Disp. 5. a. 3.*
[8] Valentia, *In 3.am p.em D. Thomae, De Eucharistia Disp. 6. q. 3, puncto 3.*
[9] Suarez, *In 3.am p.em D. Thomae, q. 75. Disp. 47. Sect. 2. n. 3.*
[10] Scotus, *In IV. Dist. 10. q. 1. a. 1.*
[11] Durandus, *In IV. Dist. 11. q. 1.*
[12] Valentia, *loc. ult. laud.*
[13] Bellarminus, *loc. ult. laud.*

Christi, et modaliter seu ex natura rei ab ea distinctum, vi cuius corpus Christi ordinatur ad species, quasi ad quendam locum, sensu superius declarato, et consequenter ad eam partem spatii realis, quae constituit locum specierum. Huiusmodi autem modus cum hinc quidem sit effectus proprius motus localis, inde vero hunc sortiatur formalem effectum, ut vi ipsius res sit *hic* et non *alibi;* ac consequenter sit fundamentum relationum distantiae aut propinquitatis ad reliqua corpora, tum quod aliquid dicatur esse supra, infra, dextrorsum, aut sinistrorsum et huiusmodi cetera, rectissime habetur ceu forma praesentiam realem ultime constituens. Porro spatium, ad quod proxime vel remote intrinsecus ille modus aut forma rem praesentem ordinat, est spatium possibile seu, uti veteres loquebantur, *imaginarium* quod, cum immotum sit aut ceu immotum concipiatur, commensurare potest *immobiliter* corpus: quod ad rationem loci Aristoteles requisivit. Sententia sic declarata, praecisis peculiaribus dissidiis, valde communis est inter Doctores Societatis, Suaresium[1], Lugonem[2], Becanum[3], etc.; tum eandem tuetur Mastrius[4], qui plures alios pro ipsa allegat.

Sententia altera.

8. Altera sententia docet realem praesentiam eucharisticam de formali innuere modum quendam extrinsecum substantiae corporis et sanguinis Christi, de praedicamento *Ubi* vel ad illud reducibilem, in eo sistentem quod corpus et sanguis Christi, sine ulla intrinseca modificatione, subsint determinatis aliquibus punctis fixis spatii realis possibilis aut imaginarii, uti pro superiori sententia illud declaravimus; qui modus extrinsecus fundamentum sit subsequutarum relationum localium ad corpora circumstantia. Hanc sententiam (quidquid sit de modo unionis cum aliquo corpore, ceu necessario in substantiis spiritualibus aut parilibus, ut esse suo modo possint in loco, quae ceteroquin unio hic adest ex dictis) in substantia docet Vasquez[5], et ab ea in re P. Coninck[6] nequit dissentire, quamvis in modo loquendi Nominalium sententiam videatur praeferre. Quin Nominales ipsi, et quicumque alii respectum extrinsecum meminere, hoc ipsum in re plane docent. Nam eo ipso, quod datur indistantia, aut propinquitas, aut coniunctio cum aliquo corpore in determinata parte spatii realis actualis, iam res illa subest tribus saltem punctis fixis spatii immobilis, et consequenter commensuratur, non quidem semper commensuratione quantitativa sed proportionata pro diversa rei natura, atque extrinsecos respectus locales acquirit.

D. Thomae doctrina.

9. Postrema haec sententia vel D. Thomae sententia esse dicenda est, vel eius doctrinae omnino conformis. Angelicus enim non solum praedicamentum *Ubi* inter extrinseca accidentia univer-

---

[1] Suarez, *In 3.am p.em D. Thomae, q. 75. Disp. 47. Sect. 1. et 2.*
[2] Lugo, *De Eucharistia, Disp. 5. Sect. 4. seqq.*
[3] Becanus, *De Sacramentis. c. 17, q. 12.*
[4] Mastrius, *In IV. Sententiarum, Disp. 3. De Ven. Sacr. Euchar. q. 10. a. 1.*
[5] Vasquez, *In 3.am p.em D. Thomae, Disp. 190. c. 3. n. 34. seqq.*
[6] Coninck, *In 3.am p.em D. Thomae, q. 75. a. 4. Dub. 1. et 2.*

sim enumerat, uti notum est; sed ubicumque agit de loco, ac praesertim in praesenti materia, de ipso agit ceu de accidente aut modo non intrinseco, sed extrinseco. « Dicendum, *ait*, quod accidentia corporis Christi sunt in hoc sacramento, sicut supra dictum est, secundum realem concomitantiam. Et ideo illa accidentia corporis Christi sunt in hoc sacramento, quae sunt ei intrinseca. *Esse autem in loco est accidens per comparationem ad extrinsecum continens:* et ideo non oportet quod Christus sit in hoc sacramento, sicut in loco »[1]. Item: « Mobile secundum locum *non est in potentia ad aliquid intrinsecum in quantum huiusmodi, sed solum ad aliquid extrinsecum*, scilicet ad locum »[2]. Rursum: « Aliquando denominatur aliquid ab eo, *quod est extra ipsum*, uti a loco dicitur aliquid esse alicubi »[3].

Quaestionis de reali praesentia plenior propositio.

10. Sciendum iam est a Doctoribus variis ex iis qui, praeter substantiam corporis Christi et esse sacramentale, unam vel aliam formalitatem requirunt ad complendam rationem realis praesentiae Christi in eucharistia, ulteriorem quandam quaestionem moveri. Fundamentum huius controversiae est duplex Christi praesentia, ad *species* scilicet et ad *locum specierum*, seu ad spatium reale. Disputatur ergo: An una tantum eademque forma sit, qua Christus simul dicitur praesens speciebus et spatio reali; an vero formae sint binae, altera pro praesentia ad species, altera pro praesentia ad spatium reale. Qui vero cuiusque rei praesentiam realem in modo aliquo intrinseco de praedicamento *Ubi* universim constituunt, in praesenti quaestione si unicam formam tuentur, unicum etiam agnoscunt *Ubi;* si binam, duplex. Qui demum duplici aut forma aut *Ubi* delectantur, novum inter sese ineunt certamen: Utra illarum formarum praesentiam sacramentalem proprie aut presse constituat; illane, qua corpus Christi *ordinatur quasi localiter ad species*, an vero illa, qua *ordinatur ad spatium reale.* His super quaestionibus videri possunt auctores laudati, imprimisque Mastrius, qui clariori ratione controversiam totam proponit.

Auctoris iudicium.

11. Ut de propositis opinionibus breviter, ac quantum satis est ad conversionem eucharisticam intelligendam iudicium feramus, simulque perspici possit D. Thomae, quam nostram facimus, sententiae veritas, pauca in antecessum praemittenda sunt. Ac primo quidem praesentiam localem generatim esse: *Exsistentiam entis in aliquo loco.* Esse enim praesens praesefert eam entis rationem, qua dicitur esse hic, vel ibi, vel alibi. Esse autem hic, vel ibi, vel alibi idem est ac esse aut exsistere in aliquo loco. — Praesentia vero haec multiplex esse potest, prout exsistentia ipsa in loco, aut modus essendi in loco multiplex est, v. g. praesentia quantitativa, substantialis, sacramentalis, alia.

Praemittenda.

Quid et quotuplex localis praesentia.

12. Generali hac supposita notione et divisione praesentiae localis, si inquiratur remotissima ratio aut prima radix talis prae-

[1] D. Thomas, *Summ. Theol. 3. p. q. 76. a. 5. ad 3.*
[2] *Idem, Ibidem, 1. p. q. 110. a. 3. corp.*
[3] *Idem, Contra Gentes, lib. 2. c. 13.*

Prima radix praesentiae localis.

sentiae, ea *in ipsa rei entitate* reponenda est. Res enim quaelibet eo ipso, quod est, alicubi est aut esse aliquo modo potest. Hoc sensu generatim verum est, quod de corporibus scripsit Augustinus: « Spatia locorum tolle corporibus, nusquam erunt, et quia nusquam erunt, nec erunt »[1]. Si enim ens quodlibet nullibi est neque actu, neque aptitudine aut, si de Deo sermo sit, plenissima sufficientia, revera non est. Hoc eodem sensu ait Angelicus: « Dicendum quod quanto, prout quantum est, non debetur proprie locus, nec per consequens potentia ad *Ubi;* sed prout habet determinatam naturam »[2]. Ceterum eorum, quae naturaliter enti insunt aut competunt, prima radix, una vel alia ratione, in ipsa eius quidditate, aut communi aut individua, universim invenitur. — Si vero inquiratur ratio remota aut minus proxima talis exigentiae, ea dignoscitur *in entitate materiali.* Esse enim in loco presse innuit vel habere esse per partes, vel posse ratione aliqua sic habere, aut saltem concipi sic esse. Ratio vero propria quare ens habeat esse per partes aut possit habere, vel saltem sic concipi, in materia vel quasi materia iure reponitur. — Si tandem inquiratur propria et proxima ratio praesentiae localis, ea in entis quantitate sita est. Esse enim in loco proprie est loco commensurari, vel posse commensurari, aut saltem sic concipi. Huiusmodi autem commensuratio, tota quanta est, proprie quantitati debetur. Rationem utramque praesentiae localis, remotam videlicet et proximam, paucis complexus est D. Thomas inquiens: « Corporale (nimirum *substantia corporalis*) per essentiam suam, quae circumlimitata est quantitatis terminis, determinata est ad locum, et per consequens virtus et operatio eius in loco est; sed spiritualis substantia, quia omnino absoluta a situ et quantitate est, habet essentiam suam non omnino circumlimitatam loco »[3]. Defectu autem utriusque vel alterius rationis saepe negat D. Thomas formas et substantias spirituales esse *per se* in loco[4]; idemque negat de corpore Christi in hoc sacramento, quia in eo non est ad modum quantitatis, sed ad modum substantiae[5].

S. Augustinus.

D. Thomas.

Ratio remota.

Ratio proxima.

Locus ex Philosopho.

13. Monendum secundo est locum definiri a Philosopho, ubi ait: « Eius, quod continet, terminus immobilis, primus, idipsum est locus »[6], seu est: *Superficies prima commensurans locatum immobiliter.* Verum superficies haec prima potest esse vel ipsius *locati*, quae dici solet *superficies extima*, vel superficies prima *locantis*, seu corporis continentis ambientisve. Priori in casu locus est *intrinsecus*, qui proinde definiri potest: *Superficies extima commensurans locatum immobiliter:* in altero, locus erit *extrinsecus*, et recte definietur: *Superficies prima corporis ambientis commensurans loca-*

Locus intrinsecus.

Locus extrinsecus.

---

[1] S. Augustinus, *Ad Dardanum, Epist. 187.* (al. 57.) *c. 6. n. 18.* — Migne.

[2] D. Thomas, *In II. Dist. 2. q. 2. a. 2. ad 3um.*

[3] *Idem, In I. Dist. 37. q, 2. a. 1. corp.*

[4] *Idem, Summ. Theol. 3. p. q. 76. a. 6. ad 1um.*

[5] *Idem, Ibidem, a. 5. corp.*

[6] Aristoteles, *Physicorum, 4, 6.* — Τὸ τοῦ περιέχοντος πέρας ἀκίνητον πρῶτον· τοῦτ'ἔστιν ὁ τόπος. Φυσ. Ἀκροασ. Δ. ς.

tum immobiliter. Ex quibus potest intelligi Aristotelicam loci definitionem esse proprie loci extrinseci, qui ceteroquin, tanquam *famosius analogatum*, presse et primo locus appellatur.

Quaesita bina.

14. *Quaeres* fortasse 1.°: *Quid commensurationis nomine in loci definitione veniat?* Respondeo generatim venire, ut inter locum et locatum detur *adaequatio*; speciatim vero, ut detur *adaequatio quantitativa* inter totum locum et totum locatum, interque partem loci et respondentem locati partem. Locus enim, ex Philosophi et D. Thomae doctrina[1], mensura quaedam est extrinseca, quae consequenter in quantitatum quadam aequalitate stricte debet collocari. — *Quaeres* 2.°: *Quid commensuratio immobilis?* Respondeo commensurationem immobilem dici, non quod superficies, sive extima locati sive prima corporis ambientis in sua entitate individua, atque adeo *materialiter*, locatum commensurat, quin ulla ipsius intercidat mutatio; sed quod commensurat *formaliter immote*, nimirum ita ut locatum quibusdam punctis fixis intelligatur subesse. Ratio prioris partis est, quod potest mutari superficies sive extima, sive prima corporis ambientis, quin mutetur locus: sic mutatur aer circumstans aut aqua fluens circa fixam cautem, quin haec dicatur locum mutare; et posset auferri ultimum stratum corporis alicuius immoti, quin hoc mutasse vel pristinum locum amisisse censendum sit. — Ratio secundae partis est, quod sic solemus communiter locum et localem praesentiam designare, ut si puncta fixa sint magis vel minus determinata, magis etiam vel minus locus et praesentia localis determinata sint. Hac ratione quaerenti: *Ubinam sit aliquis?* respondemus: *In Europa*, *Romae*, *domi*, *in cubiculo* etc., indicando limites spatii aliquos qui, uti a mathesi edocemur, tribus punctis datis possunt absolute definiri.

Difficultas

15. Sed enim difficultas est, cum omnia in motu sint, quaenam puncta ceu fixa habenda sint vel possint haberi. — Respondeo tamen: *Proxime* haberi ceu fixa puncta relative tantum fixa, seu fixa relate ad rem, cuius locum circumscribant oportet, etiamsi, absolute loquendo, ipsa quoque in motu sint, uti de facto in motu sunt corpora omnia. *Remote* vero puncta fixa intelligebantur a veteribus in spatio possibili seu, uti ipsi loquebantur, *imaginario*, quatenus tale spatium eo ipso, quod praescindit ab actuali exsistentia, et in sua quidditate consideratur, in se immobilitatem absolutam vel exhibet vel potest exhibere. Nobis autem nunc aliter intelligendum et loquendum est, ut puncta fixa intelligantur in nostro systemate planetario et, supposita lege attractionis universalis, in toto systemate aut spatio mundano. In communi hominum usu puncta relative fixa per se usurpantur: recursus vero ad spatium possibile aut imaginarium metaphysicorum est, qui rerum rationes ultimas vestigant. Hoc pacto rectissime intelligitur quod, iuxta notiones astronomicas et cosmographicas suorum temporum, ex Philosopho docuit Aquinas. Postquam enim

[1] D. Thomas, *In V. Metaphysicorum*, *Lect. 13.*

D. Thomas.

veterem quandam opinionem exclusit: « Quod locus sit quoddam spatium, sive dimensiones per se exsistentes », prosequitur: « Unde alia opinio est eius (*Philosophi*) quod locus sit superficies corporis continentis, non quidem in quantum est huiusmodi corporis, quod immediate continet (alioquin sequeretur quod corpus quiescens non semper esset in eodem loco, puta si homo staret in fluvio, per cuius decursum semper renovarentur diversae superficies aquae circa ipsum); *sed superficies corporis immediate continentis habet quod sit locus ex ordine ad primum continens: unde accipitur idem locus secundum eundem situm ad primum continens, et propter hoc locus est immobilis* »[1].

Collectio ex dictis.

16. Hinc in ente praesertim corporeo et connaturaliter exsistente considerari potest: — α) Ipsum ens corporeum, ut sic, quod est *locabile* aut *locatum:* — β) Aliquid, vi cuius exigit esse alicubi, ipsa nimirum entitas praesertim materialis ac quantitas, seu eius *ubicatio in actu primo:* — γ) Superficies extima seu ultima ipsius corporis locati, quatenus commensurat immobiliter corporis entitatem, seu *locus intrinsecus:* — δ) Superficies prima corporis ambientis commensurans immobiliter corpus in ea contentum, seu *locus extrinsecus:* — ε) Quo posito, resultat in corpore satisfactio exigentiae, ut alicubi sit, quam ex vi entitatis quantitatisque habet, seu *Ubicatio in actu secundo*, quae tandem complet praesentiam localem. Quapropter praesentia localis, uti apud omnes ratum est, presse et proprie competit corporibus, quemadmodum corporibus proprie competit in loco esse; per analogiam autem ad localem corporis praesentiam intelligimus et declaramus localem aliam praesentiam quamlibet sive substantiae, ut sic, sive substantiae spiritualis, sive alterius entis ad modum substantiae aut spiritus exsistentis. In omni enim vero ente habetur primo quidem ipsum ens, seu *locabile;* eius quidditas exigens occupare suo modo locum, seu *ubicatio in actu primo;* entitatis huius aut limes, aut omnimoda illimitatio, quae vices quodammodo gerit *loci intrinseci;* occupatio loci alicuius aut impletio quae, si de spiritibus sermo sit ac praesertim de Deo, magis est continere corpus ambiens quam ab ipso contineri; quae tamen ratio est quare hic aut ibi spiritus sit, ac proinde ipsum immobiliter quodammodo commensurat, seu *ubicatio in actu secundo*, ac ipsa localis praesentia. Quapropter localis praesentia, cum entis quidditativae perfectioni, a qua radicitus exigitur, proportionata sit; si haec perfectio sit limitata, limitata etiam erit localis praesentia; erit, contra, illimitata aut immensa, si quidditativa perfectio illimitata sit et consequenter immensa. Ad haec, quandoquidem reale ens omne necessario *unum* est (est enim *unitas* passio entis, *ut sic)*, atque porro est necessario in se indivisum, et consequutione metaphysica divisum a quolibet alio; *uni* enti *una* etiam, saltem naturaliter, debetur localis praesentia adaequata imo, nisi si ens in plura discindatur, etiam inadaequata discontinua, quamvis in spiritibus

[1] *Idem, Quodlibeto 6. q. 2. a. 3. corp.*

aut etiam in substantia materiali ut substantia, una vel altera ratione prout in ipsa partes entitativae admittuntur vel non, tota ipsa substantia occupare possit suo modo locum continuum adaequatum aut inadaequatum, et praesentia ipsa localis possit, continue semper seu cum indivisione entis in se, esse adaequata aut inadaequata. Sic tota anima humana, quae habet unam continuam praesentiam adaequatam in toto corpore, habet etiam tota in singulis membris continuam unam praesentiam inadaequatam[1].

Localis praesentia.

17. Ex parte subiectorum et ex propria ratione locum occupandi praesentia localis alia est aut dici potest *circumscriptiva*, alia *definitiva*, alia *sacramentalis*, alia *immensa*. Prima corporum naturaliter aut circumscriptive exsistentium in loco est, vi cuius corpus sic uno loco continetur, ut totum corpus totum locum occupet, et pars partem, nec extra illum locum corpus, naturaliter saltem, sit. Altera creatorum spirituum *definitive* in loco exsistentium naturalis praesentia est, qua creati spiritus sic uni loco affiguntur, ut quisque eorum totus sit in toto loco et totus pariter in qualibet loci adaequati inadaequative parte, ita tamen ut extra illum simul *naturaliter* non sit, saltem probabilius. Tertia Christo Domino in eucharistia exsistenti competit, cuius praesentiae sacramentalis vi, uti fide edocemur, Christi verum corpus, quamvis naturaliter exigeret exsistere circumscriptive; supernaturaliter tamen exsistit ad modum spirituum, ut totus Christus in tota, et totus in qualibet hostiae aut vini consecrati parte sit, sed ita sit, ut neque hostiam vinumque determinatum sibi vindicet, nec in una hostia aut calice consecrato sit, ut non possit esse sacramentaliter in omnibus aliis hostiis calicibusque, qui ubique locorum simul consecrentur. Quapropter praesentia sacramentalis Christi *ratione subiecti* convenit cum veris corporibus, quia Christus verum corpus est; *ratione modi exsistendi*, sine actuali scilicet extensione ad locum, quamvis non sine aptitudinali, atque ita ut totus Christus sit in tota hostia, et totus in qualibet hostiae parte, differt a praesentia corporum circumscriptiva, et convenit cum definitiva praesentia creatorum spirituum; *ratione* non definitionis ex sua natura nec ad locum determinatum, nec ad unum locum, differt ab utraque praesentia circumscriptiva corporum, et definitiva spirituum, et quodammodo accedit ad realem praesentiam Dei in locis omnibus. Quarta demum praesentia *immensa* est propria Dei, qui sic infinita sua essentia totus praesens est locis omnino omnibus, ut sine ulla sui mutatione praesens necessario esset locis omnibus possibilibus, si actualia fierent, quemadmodum in *Tractatu De Deo Uno* ab catholicis omnibus et ab aliis recte sentientibus docetur[2]. Corpora igitur connaturaliter in loco sunt *circumscriptive;* creati spiritus *definitive;* Christus Dominus in eucharistia *sacramentaliter;* Deus ubique locorum *immense*[3]. Hisce autem praeiactis:

Corporum.

Spirituum.

Christi in eucharistia.

Dei.

---

[1] Cfr. Suarez, *De Angelis, lib. 4. cc. 10. 11.*

[2] Piccirelli, *De Deo Uno et Trino in 1.am p.em D. Thomae, q. 8. § 1. n. 200. seqq.*

[3] Suarez, *In 3.am p.em D. Thomae, q. 75. Disp. 48. Sect. 3. n. 5.*

Assertio prior.

18. Dico primo: *In quocumque vero ente praesentia localis non est modus aliquis intrinsecus ipsius entitati superadditus; sed est modus solummodo extrinsecus in eo reponendus, quod ens est intra quaedam puncta fixa spatii aut realis, aut possibilis.* — *Prob.* 1.° Praesentia localis convenit non solum creaturis, sed etiam Deo; fide enim et ratione, Deus est ubique realiter atque immense praesens. Atqui in Deo nullum dicit modum perfectionemve intrinsecam infinitae suae essentiae quodammodo superadditam, ac formali conceptu nostro praecisivo et inadaequato ab ipsa distinguendam; sed solum modum illum extrinsecum iam declaratum. Ergo etiam in aliis veris entibus non dicit modum intrinsecum, sed solum modum extrinsecum. *Consequentia* patet. Localis enim praesentia, utut analogice, in praecisa ratione praesentiae, usque adeo locum habet in Deo, ac in creatis omnibus. Quamvis autem in Deo illa ut infinita et essentialis debeat considerari, in creaturis vero ut accidentalis et limitata; debet tamen divina praesentia localis considerari uti causa exemplaris cuiuscumque praesentiae creatae. Si ergo in Deo localis praesentia realis aut actualis nullam dicit perfectionem intrinsecam, ne formali quidem conceptu nostro inadaequato et praecisivo ab essentia distinguendam, sed solam denominationem extrinsecam; nullum modum intrinsecum, sed solum extrinsecum dicet etiam in creaturis. *Prob. min.* Deus localiter praesens ubique dicitur, quatenus cum sua immensitate aut essentia exigat replere omnia loca, dum haec loca sunt, ab ipso essentialiter replentur; et Deus dicitur *esse hic*, aut *esse ibi*, quatenus loca diversa sunt et limitata, non vero quasi ipse aliter *hic sit*, aliter *ibi:* ad eum modum, quo dicitur *fuisse*, *esse*, aut *futurus esse*, non quod ipse *in suo nunc aeterno* aliter sit; sed, cum aeternitas tempora omnia suo *nunc* complectatur, referendo ad ipsum nostri temporis differentias, dicimus: *Deus est*, *fuit*, *futurus est*. Esse igitur actu in loco, uti esse in tempore sunt pro Deo denominationes extrinsecae, ac nullam dicunt specialem perfectionem intrinsecam, distinctam formali conceptu saltem inadaequato ab exigentia replendi omnia loca, quae ipsi competit ratione suae essentiae et immensitatis. Parili igitur ratione, ut creaturae locum realem occupent, aut praesentiam localem habeant, nihil aliud in ipsis requiritur praeter suam proportionatam entitatem et exigentiam essendi alicubi, quae omni vero enti competit, uti in praenotandis declaravimus.

Probatur 1.°

Probatur 2.° diversimode.

19. *Prob.* 2.° *diversimode.* In omni vero ente praesentia localis id est, quo formaliter ipsum dicitur esse *hic*, aut esse *ibi*. Atqui ad hoc nullus requiritur modus intrinsecus, et modus extrinsecus revera sufficit; secluso enim quocumque modo intrinseco, si res sit intra haec determinata puncta spatii realis aut possibilis, *hic* erit et non *ibi*, futura *ibi* si cum sua sola entitate intra illa puncta spatii constituatur. Ergo. — Praeterea ad intelligendam et declarandam praesentiam localem adsignari certe debet fundamentum relationum localium distantiae, propinquitatis, exsistentiae dextrorsum vel sinistrorsum, intra vel extra sphaeram activitatis alicuius

causae etc.; est enim, omnibus consentientibus, localis praesentia harum omnium relationum fundamentum proprium. Atqui ad fundandas locales relationes satis est modus ille extrinsecus, et intrinsecus non requiritur; quia eo ipso, quod sub his punctis spatii res sit et non sub illis, sine alio addito, distat vel propinqua est, est ad dexteram vel ad sinistram, sursum vel deorsum relate ad aliam, quae intra alia puncta, vel sub aliis punctis fixis continetur. Ergo. — Ad haec, praesentia localis est effectus motus translatitii. Atqui motus translatitius nullum in mobili producit modum intrinsecum, sed solummodo modum extrinsecum superius declaratum. Ergo praesentia localis nullus est modus intrinsecus, sed solummodo modus extrinsecus. *Prob. min.* Motus localis, cum per se mechanice oriatur et mechanicum agens sit, non est physice productivus, sed tantum acquisitivus extrinseci termini, uti Angelicus, ducibus experientia et ratione, saepissime docet: « Mobile secundum locum non est in potentia ad aliquid intrinsecum, in quantum huiusmodi, sed tantum ad aliquid extrinsecum [1]. Atqui quod non est physice productivum, sed tantum acquisitivum extrinseci termini, nequit producere modum intrinsecum, qui physica quaedam esset entitas, sed tantum modum extrinsecum. Ergo. — Tandem si motus localis esset physice productivus, et locus formaliter esset modalis entitatula, haec in singulis sive punctis, sive partibus spatii a mobili acquisiti deberet physice amitti, et physice de novo produci. Hoc autem videtur ioculare. Ergo [2].

20. *Dices:* Praesentia localis in ente est aliquid reale, quod de novo fit, et quod, integro ipso manente, saepe potest amitti. Quod huiusmodi est, reale quid, ac saltem modaliter distinctum ab ipso ente dicendum est. Ergo praesentia localis in ipsis entibus praesentibus est aliquid reale ab ipsis modaliter distinctum, ac proinde est intrinsecus realis modus. Ita Suaresius [3]. — *Respondeo:* Distinguo maiorem per partes. Praesentia localis est aliquid reale, *Dist.* Intrinsecum, *Neg.* Extrinsecum, *Conc.* Praesentia localis est aliquid reale, quia aliquid revera est in rerum natura. At non est aliquid intrinsecus afficiens ens praesens, uti probatum est, sed afficiens extrinsecus; uti esse vestitum v. g. aliquid reale est: at vestis non est intrinseca vestito, sed solum extrinseca; a qua tamen reali forma vestitus realiter denominatur. — Item: Est aliquid, quod de novo fit, *Dist.* Per veram et physicam productionem, *Neg.* Per mechanicam aut meram translationis resultantiam, *Conc.* Responsio patet ex argumentis thesis. Praesentia enim localis de novo fit, quatenus res de novo per motum localem sub haec puncta constituitur, et remanet. — Est aliquid quod, integro ipso manente, potest amitti, *Dist.* Per mutationem intrinsecam, *Neg.* Per mutationem extrinsecam, quatenus sub aliis spatii punctis fixis ponitur, *Conc.* Si vera loqui fas

Obiectio.

Solutio.

---

[1] D. Thomas, *Summ. Theol. 1. p. q. 110. a. 3. corp.*
[2] Cfr. Coninck, *In 3.am p.em D. Thomae, q. 75. a. 4. Dub. 1.*
[3] Suarez, *In 3.am p.em D. Thomae, q. 75. Disp. 47. Sect. 1.*

est, amissio praesentiae localis, ente integro substantialiter manente, uti ex probatione thesis intelligitur, non solum non probat quod intendunt adversarii, sed potius probat oppositum. Ipsa enim infinities quasi repetita amissio et productio novae entitatulae sine causa proportionata, efficacissimum argumentum est ad ostendendum realem illam entitatulam asseri quidem, sed de facto non dari, uti de iure non est necessaria. *Contrad. min.* quoad tria maioris membra et, sub datis distinctionibus, *Neg. consequentiam.*

Assertio altera.

21. Dico secundo: *Realis Christi praesentia sacramentalis, qua praesentia est, nequit formaliter constitui neque in modo substantiali de praedicamento substantiae; neque in supernaturali Christi actione aliquo modo conservativa specierum in se, efficienterque unitiva Christi cum speciebus; neque in relatione praedicamentali, formaliter inspecta; neque in modo intrinseco accidentali de praedicamento* **Ubi**; *sed reponenda est in modo extrinseco accidentali ad praedicamentum* Ubi *formaliter pertinente.*

Probatur 1.ª pars.

22. *Prob. 1.ª pars*, quae est fere omnium Doctorum contra Gonetum, Valentiam et paucos alios. Nam 1.° haec sententia minus videtur congruere cum documentis fidei superius relatis[1], quae docent panem converti in Christum eundem illum, qui in coelis est; et ex quibus summi Theologi veteres tradiderunt Christum poni in hoc sacramento substantialiter immutatum, uti ex dictis in parte secunda huius disquisitionis est manifestum. Haec autem sententia statuit Christum poni *modaliter* utique, sed tamen *substantialiter* mutatum. — Nec quidquam valet, quod affertur ex D. Thoma dicente: « Corpus Christi non est in hoc sacramento, sicut in loco, sed *per modum substantiae* »[2]. Vult enim S. Doctor Christum non esse in eucharistia cum actuali extensione in ordine ad locum, uti connaturaliter exigeret eius quantitas, sed illo praesentiae modo, qui competit substantiae: quae quamvis remotissime praesentiam aliquam localem exigat; non tamen sibi determinat praesentiam aut circumscriptivam aut definitivam aut immensam, nec determinat in quo huiusmodi praesentia sita sit[3]. Ex tota autem D. Thomae doctrina dicendum est Christum esse in hoc sacramento *per modum substantiae*, quatenus est sine actuali extensione in ordine ad locum, et sic quodammodo refertur *ad primum continens*, uti in praenotandis fuit declaratum.

Primo ex Conciliis.

Praeoccupatur difficultas ex D. Thoma.

Probatur secundo.

23. Praeterea 2.° praesentia sacramentalis nullo modo constituit substantiam corporis Christi, nec eam intrinsece perficit, nec ad substantiale complementum corporis Christi ordinatur; tota enim est ad hoc, ut Christus dicatur esse *hic*, aut esse *ibi*, videlicet sub hisce aut sub illis speciebus consecratis in hoc loco, vel illo: quod certe substantiale quid non est. Atqui quod corporis Christi substantiam non constituit, nec intrinsece perficit, nec ad substantiale complementum ordinatur, dici nequit aliquid substantiale,

---

[1] *Vide supra, P. 1. Sect. 2. praesertim § VIII.*

[2] D. Thomas, *Summ. Theol. 3. p. q. 76. a. 5. corp.*

[3] Cfr. Suarez, *In 3.am p.em D. Thomae q. 76. a. 5. Commentarius.*

nec modus substantialis, uti ex generali doctrina de modis intelligitur. — Ad haec, modus Gonetianus, quo Christus dicitur *indivisibiliter* esse in hoc sacramento, supernaturalitatem utique praesentiae Christi declarat, sed praesentiam ipsam non constituit; et plane Christus ad modum substantiae est hic, aut ibi praesens. Modus vero P. Valentiae, cum respiciat unionem ac sustentationem accidentium, non ordinat Christum ullo modo ad locum, nec consequenter praesentiam sacramentalem formaliter potest constituere, cum Christus indifferenter hic aut ibi possit cum accidentibus uniri, atque ea sustentare.

24. *Prob. 2.ª pars.* In hac secunda parte nos non negamus Christum uniri efficienter cum speciebus, atque eas humanitate sua, tanquam instrumento coniuncto, in seipsis aut sine subiecto physice conservare; quod et superius admisimus, et cum D. Thoma, Suaresio et Doctoribus aliis pluribus, in *Tractatu De Incarnatione* universim admittimus de omnibus effectibus supernaturalibus praesentis ordinis providentiae; sed negamus in tali actione posse eucharisticam Christi praesentiam formaliter, qua praesentia est, constitui. Ratio vero breviter est, quod etiamsi Christi corpus aut humanitas nihil ageret sub speciebus, uti quidam dicunt de facto, non propterea sub illis consecratis substantialiter non esset, cum *per se* esse alicubi prius sit, quam ibi agere. Tum alicubi agere non ordinat formaliter agens ad spatium, sed ad terminum actionis. Non igitur constituit praesentiam, quae per se agens ad spatium ordinat. Tandem praesentia sacramentalis fit aut resultat ex vi et efficacia verborum, quibus hic ponitur corpus Christi. Unio autem effectiva et sustentatio specierum habetur ex actione ipsius Christi circa species. Ergo.

Secunda pars declaratur.

Probatur.

25. *Dices:* Christi corpus praesens est in eucharistia ad modum substantiae aut spirituum. At spiritus, ex D. Thoma, sunt formaliter in loco per actionem aut operationem. Ergo etiam Christi corpus. — *Respondeo: Conc. mai.* sensu nuper declarato. Ad minorem vero dico negari non posse D. Thomam, ubicumque agit de Deo et de Angelis, docere eos esse in loco *per contactum virtutis, per virtutem, per operationem*[1]. Quo vero pacto loquutiones hae sunt intelligendae, ne Thomistae quidem ipsi inter se conveniunt, uti videri potest sive singillatim apud ipsos, sive collectim apud Em. Card. Mazzella[2]. Volunt alii eas esse intelligendas *de operatione et virtute in actu secundo:* contendunt alii esse intelligendas *de operatione et virtute in actu primo*, seu de principio operationis; qui intellectus, in re, ne hilum quidem abluderet *a contactu entitativo* aliorum Doctorum. Non vacat hanc litem dirimere. Sit satis ipsum D. Thomam quasi reflexe mentem suam pandentem audire. Scribit enim: « Qualiter Angelus sit in loco corporeo considerari potest ex modo, quo corpus est in loco. Est enim corpus in loco *per contactum loci.* Contactus autem corporis est

Obiectio.

Responsio.

D. Thomas

[1] D.Thomas, *Summ.Theol, 1. p. q. 8. a. 2.—In I. Dist. 37. qq. 1. 2. et 3. a. 1. c. etc.*
[2] Mazzella, *De Deo Creante. Disp. 2. a. 4. n. 322. seqq.*

per quantitatem dimensivam, quae in Angelo non invenitur, cum sit incorporeus; sed loco eius est in eo *quantitas virtualis*. Sicut ergo corpus est in loco *per contactum dimensivae quantitatis;* ita Angelus est in loco *per contactum virtutis*. Si quis autem velit virtutis contactum *operationem vocare* propter hoc, quod operari est proprius effectus virtutis, dicatur quod Angelus est in loco *per operationem:* ita tamen quod per operationem non intelligatur *sola motio*, sed *quaecumque unitio*, qua sua virtute se corpori unit, *praesidendo*, vel *continendo*, vel *quocumque alio modo* »[1]. Ex quibus satis intelligitur Angelicum, etiam quando *operationem* memorat, non excludere sed includere contactum virtutis in actu primo, seu *contactum entitativum* cum corpore, quod loci habet rationem. Corpus autem cum, ex S. Doctore, loci rationem habeat, quatenus *ad primum continens* refertur, fit ut ex eius doctrina spiritus dici debeant esse *hic* vel *ibi*, quatenus cum ab hoc vel illo corpore secundum suam substantialem entitatem operationemque sunt indistantes, ab ipso corpore in ordine ad spatium commensurantur quodammodo immobiliter, atque ita suam ubicationem in actu secundo localemve praesentiam *hic* aut *ibi* habent. Idem igitur dicatur de corpore Christi in eucharistia realiter praesente.

Tertia pars probatur ex Suaresio.

26. *Prob. 3.ª pars ex Suaresio*, eius probatione paululum immutata. Praesentia eucharistica, inquit eximius Doctor: « Imprimis non potest esse relatio rationis; quia ostensum est hanc praesentiam esse aliquid reale. Deinde nec potest esse relatio realis. Primo, quia est fundamentum relationum realium propinquitatis et distantiae, quae sine mutatione terminorum resultant in corpore Christi, facta in eo hac praesentia. Illa autem nullum habet fundamentum ex quo resultet, *sed est terminus aut motus localis huc, aut productionis rei in hoc loco aut in hac parte spatii.* Rursum non habet terminum realem, a quo essentialiter pendeat. Nam maxime a speciebus. At vero licet de facto, destructis his speciebus, corpus Christi amittat hanc praesentiam; tamen non est id essentiale. Posset enim Deus, destructis speciebus, immutatum conservare corpus Christi vel sub aliis speciebus, vel sub nullis; nulla enim repugnantia vel contradictio in hoc intelligitur, sicut videre licet in duobus corporibus, si divina potentia intime sibi invicem praesentia per penetrationem constituantur »[2].

Obiectio.

27. *Dices:* Christus nequit *hic* esse aut praesens esse, quin alicui, speciebus v. g. sit praesens; praesentia enim localis aut quasi localis, qualis est praesentia eucharistica, necessario requirit locum, adeoque aliquid, cui exhibeatur. Esse autem alicui praesens est formaliter relatio, cum in hoc detur principium, terminus et fundamentum, cum quo relatio identificatur, atque porro, ipsis positis, resultat. Ergo. — *Respondeo: Dist. mai.* Christus nequit esse *hic, tanquam in loco intrinseco*, quin alicui sit praesens *Neg. mai. Tanquam in loco extrinseco, Subd. mai. Materialiter et mobi-*

Responsio.

---

[1] D. Thomas, *Quodlibeto 1. q. 3. a. 4. corp.*

[2] Suarez, *In 3.am p.em D. Thomae, q. 75, Disp. 48. Sect. 2. n. 6.*

liter, ac proinde consequenter, *Conc. mai. Formaliter et immobiliter*, seu primo et per se, *Neg. mai.* Ratio vero addita procedit de loco extrinseco materialiter, non formaliter inspecto, uti ex praenotandis intelligitur. Ad *minorem*. Esse alicui praesens est formaliter relatio, *Dist. Constituens praesentiam*, *Neg. min. Consequens praesentiam*, *Conc. min.* Et, sub datis distinctionibus, *Neg. Consequentiam.* Res dicitur *hic* aut praesens in loco formaliter quidem, quatenus subest determinatis punctis spatii realis aut possibilis; materialiter autem, quatenus aut extima sua aut ambientis superficie tangitur quodammodo: quae, ut diximus, analogice locum etiam habent in spiritibus et in iis, quae in loco sunt ad modum spirituum, uti est Christus in eucharistia. Rem autem esse *hic*, tanquam in loco intrinseco, nullum dicit terminum correlatum, nullam proinde relationem. Rem vero esse *hic*, tanquam in loco extrinseco, dicit primo et per se ipsam intra haec spatii puncta contineri, quod absolutum est; secundario vero contingere aut quantitate aut virtute rem aliam, vicissimque contingi, quod relativum est. Prius illud constituit praesentiam localem et est fundamentum relationis propinquitatis ad corpus ambiens, quae exinde consequitur. Itaque non relatio aut ordo Christi ad species, et vicissim, eucharisticam Christi praesentiam constituit, sed contra sequitur ex eo, quod Christus ibi realiter est speciesque suo modo contingit.

Declaratur.

28. *Prob. 4.ª et 5.ª pars.* Sententiae in quarta et quinta parte thesis contentae eo solo differunt, quod prima vult modum de praedicamento *Ubi*, formaliter complentem eucharisticam Christi praesentiam, esse intrinsecum corpori Christi ab eoque modaliter distinctum; altera vult illum modum esse extrinsecum. Prima fundamentis utitur in assertione de praesentia locali univèrsim a nobis disiectis. Non opus igitur est eam ulterius impugnare. Notamus bina. Primum est, sententiam illam multiplicare entia sine necessitate; siquidem modus extrinsecus de praedicamento *Ubi* sufficit ad eucharisticam Christi praesentiam explicandam, ad fundandasque relationes locales, quae Christo *vere*, *realiter*, *substantialiter praesenti* in eucharistia possunt competere. Alterum est, sententiam illam admittere mutationem intrinsecam accidentalem in corpore Christi, prout est in sacramento: quod etsi non opponitur doctrinae fidei de identitate Christi in coelo et in sacramento, quae doctrina de substantiali identitate et immutabilitate intelligenda est; tamen sententia altera, quae solam modificationem ac proinde mutationem extrinsecam agnoscit, doctrinam illam plenius tuetur. Tandem modus extrinsecus de praedicamento *Ubi*, ex doctrina Philosophi et D. Thomae a nobis declaratus[1], satis est ad eucharisticam Christi praesentiam explicandam quae, qua talis seu qua praesentia est, ad praesentiam localem referenda est, cum ex vi ipsius Christus dicatur esse *hic*, aut *ibi*, et suscipiat reliquas locales denominationes. Praesentia tamen euchari-

Quarta et quinta pars declarantur et probantur.

[1] Cfr. D. Thomam, *In V. Metaph. Lect. 9.*

Praesentia eucharistica supernaturalis.

stica, quatenus includit ipsum Christum; et quidem totum in tota hostia, et totum in qualibet hostiae parte, ut fides habet, ac proinde ad modum non quantitatis, sed substantiae aut spirituum, imo supra modum ipsius substantiae et spirituum, quatenus non uni loco definitur, sed in locis syncategorematice infinitis potest haberi; et insuper est terminus aliquo modo ipsius transsubstantiationis; est simpliciter supernaturalis, ac omnipraesentiae aut immensae praesentiae Dei unice cedit.

Generalis conclusio de reali Christi praesentia in eucharistia.

29. *Conclusio generalis.* — Quapropter realis praesentia Christi in eucharistia, ex doctrina fidei et rationis theologice declarata, meminit: — α) Realem ipsam corporis et sanguinis Christi, seu ipsius Christi substantiam eandem illam, quae in coelo est cum omnibus suis intrinsecis perfectionibus, sed sine *actuali* extensione in ordine ad locum, quamvis non sine *aptitudinali:* — β) Esse sacramentale, seu eius habitudinem ad species consecratas in ratione *signati et signi*, *contenti et continentis*, *velati et velantis*, in ratione denique *moraliter* aut, verius, *physice efficienterque unitorum:* — γ) Modum quendam extrinsecum de praedicamento *Ubi*, consistentem in hoc, quod Christus cum suo esse sacramentali intra determinata puncta aut sub determinatis punctis spatii realis possibilisve continetur. Sequitur hinc Christum non duplici, sed una eademque extrinseca forma, seu ut contentum sub iisdem punctis fixis, praesentem esse speciebus et corporibus reliquis, atque ad spatium reale quodammodo referri, cum eadem puncta fixa spatii realis aut possibilis ad ista omnia revera sufficiant. Adaequata haec realis praesentiae Christi eucharisticae notio in documentis fidei ac praesertim in Tridentinis definitionibus partim explicite, partim implicite continetur; realis demum haec praesentia, adaequate inspecta, est realis terminus *ad quem* ipsius *Transsubstantiationis*, uti subinde erit videndum.

SECTIO II.

DE NON PERMANENTIA SUBSTANTIAE PANIS ET VINI IN EUCHARISTIA.

Inquirendum de altera conversionis termino *a quo*.

1. Agendum iam est de altero eucharisticae conversionis termino, nimirum *a quo*, qui proprie et formaliter dicitur *conversus*, cum ipse sit qui in alterum, seu in terminum *ad quem* transeat, dum hic dicitur esse id, in quod alterius facta conversio est. De huiusmodi termino, qui in praesentiarum panis est vinumque aut substantia panis et vini, ex *Regula fidei*, in parte prima huius Disquisitionis declarata, certum omnino est *ipsum quoad totam suam non solum metaphysicam rationem, sed etiam physicam realitatem substantialem, peracta consecratione, in eucharistia non manere; et id quidem ex vi conversionis in Christi corpus et sanguinem.* Quid vero meminerit totam panis vinique substantiam *non manere*, aut *desinere esse* sub speciebus; et qua ratione id locum habeat, in quaestione est.

2. Ipsum autem *non manere aut desinere* substantiae panis et vini, uti ex praemissa critica vestigatione ceu ratum debet haberi, tripliciter a catholicis Doctoribus fuit intellectum et declaratum. *Primo* quidem, *per negationem puram* aut *negativam mutationem simpliciter*, id est, *per proprie dictam annihilationem*, aut per desitionem substantiae panis *in nihilum simpliciter*. *Secundo*, *per negationem non puram*, aut *per mutationem quodammodo privativam*, id est, *per destructionem corruptionemve*, seu per desitionem cessationemque substantiae panis *in aliud;* non tamen ita, ut hoc aliud sit *subiectum*, uti evenit in corruptione pura, in qua forma desinit *in potentiam subiecti;* sed ut illud aliud sit *terminus*, cum quo in ratione aliqua generica metaphysice conveniat, quatenus desitio illa aut negative ad illius termini positionem disponat, aut ipsius termini positionem sequatur. *Tertio* demum *per mutationem simpliciter positivam*, aut *per intimam variationem.* Panis enim substantia desinere dicitur ex vi actionis agentis primi aut Dei, qua sic intrinsece variatur ut, quin destruatur, adducatur ad hoc, ut iam non sit ipsa, sed sit illud, in quod conversa est, Christi corpus immutatum et gloriosum. Qui vero Doctores unam aliamve inierint viam in intelligenda panis vinique desitione eucharistica, in eadem critica vestigatione dictum est.

Non manere substantiam panis tripliciter intellectum a Theologis.

per negationem puram.

per privationem.

per mutationem positivam.

3. *Quomodo* autem desineret substantia panis per proprie dictam annihilationem facillime intelligitur, nimirum per simplicem ipsius non conservationem. Quî autem hoc ad veram conversionem sufficiat, est revera difficile. — Quomodo vero desinat physice tota panis substantia per intimam variationem, fateor, non satis intelligitur, nec a suis patronis plenius explicatur, cum in hoc maxime dicant mysterii Transsubstantiationis rationem propriam consistere. Dicitur quidem Deus posse hoc facere, quia actione sua attingit totum ens; atque hoc satis esse superque ad mysterium accipiendum, quasi vel res, quae asseritur, esset in se evidenter possibilis, vel saltem esset certo revelata, vel demum esset evidenti consequentia cum revelatione connexa, quatenus demonstraretur non posse aliter transsubstantiationem intelligi. Haec autem difficillime evincentur.

Quomodo non maneat aut desinat substantia panis in via annihilationis.

In via intimae variationis positivae.

4. Ad declarandum igitur modum, quo substantia panis totaliter desinit in eucharistica conversione, superest via media, quam communissime, ut diximus, ingressa est Theologia vetus et recentior, seu Theologia catholica. Haec via est, quae dicitur *privationis* aut *corruptionis*, non quidem naturalis, quae requireret subiectum, quod forma inducenda, suppositis novis dispositionibus, privaretur, vel abscedente priori forma proprie corrumperetur; sed supernaturalis, quae locum habet ex hoc, quod tota substantia panis destruitur aut non conservatur ad modum cuiusdam dispositionis negativae, ut sub eius accidentibus ponatur corpus Christi; vel destruitur aut non conservatur in uno et eodem instanti sive concomitanter ad positionem corporis Christi, sive ut sequela positionis eiusdem corporis sub accidentibus panis. Quamvis vero qui hanc viam ineunt Theologi, in hac generali notione conveniant;

In via privationis.

Opiniones variae.

ubi ventum est ad pressius hunc privationis corruptionisve modum declarandum, quod opinantibus proprium est, in contraria studia scinduntur, uti ex dicendis clarius patebit.

Prima opinio derivans desitionem panis ex decreto Dei.

5. Qui ad veram conversionem putant sufficere nexum moralem inter terminum *a quo* desinentem et terminum *ad quem* positum, derivandum ex libera Dei voluntate, docent in conversione eucharistica totam panis substantiam desinere ad positionem corporis Christi sub speciebus ex vi decreti Dei nolentis conservare substantiam panis, posito quod ibi corpus Christi ponatur; quemadmodum intelligitur ex forma huius sacramenti et ex congruentibus rationibus aliis, quas ad panis desitionem adstruendam afferunt[1]. Et quidem quod haec explicatio absolute sufficiens sit, ut panis desinat esse ad positionem corporis Christi; imo quod de facto sit ultima ratio, quare esse desinat, videtur esse clarum et facile. Legimus enim: *Quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? aut quod a te vocatum non esset, conservaretur?*[2] Nam ut aliquid perseveret passive in esse, requiritur omnino, ut Deus illud velit, et influat illud esse, quod dicitur perseverare. Si igitur Deus hoc nolit, esse illud creatum desinet. Praeterea negari nequit, quaecumque in sacramentis obtinent, ex Christi voluntate et institutione ultimo pendere. Ex eadem igitur voluntate est, ut panis cum Christi corpore (cuius oppositum, seclusa conversione ex eadem voluntate pendente, possibile esse omnino supponimus) non conservetur, seu desinat esse. — Sit vero necne huiusmodi desinendi modus ad propriam conversionem physicam, qualem doctrina fidei, imo ipsa divina fides eucharisticam conversionem esse docet, revera sufficiens; atque porro sit necne decretum Dei *ratio proxima*, quare panis desinat, ut minimum dicam, incertum est valde. In praesenti autem proximae rationes physicae ad totius substantiae panis desitionem explicandam plane non desunt.

Sufficiens absolute, et ut ultima ratio.

Incertum num sit ratio proxima.

Explicatio physica triplex.

6. Alii ergo Doctores communius nituntur explicare totius substantiae panis desitionem ex vi conversionis eius in corpus Christi modo aliquo physico. Praecipui vero sunt tres. Primus, communis valde inter Thomistas, statuit illam eandem actionem physicam, quae ex pane uti ex termino a quo, utique extrinseco, producit tali modo, id est indivisibiliter seu ad modum substantiae, sub speciebus Christi corpus, eam esse natura sua ut, dum Christum ponit, panem expellat. Legimus in hunc sensum scribentes Ferrariensem et Caietanum. Adstipulantur Gonetus[3], aliique. — Sed enim iste modus, nisi amplius declaretur et quodammodo compleatur, non videtur revera sufficiens. Enimvero actio conversiva, quatenus est productiva corporis Christi sub speciebus, in tantum esset expultrix substantiae panis, in quantum haec sub iisdem speciebus cum corpore Christi repugnaret. At non

Prima Thomistarum.

Videtur insufficiens.

[1] Mastrius, *De Sacramento Eucharistiae Disp. 3. q. 13. n. 327. seqq.* — Coninck, *In 3.am p.em D. Thomae q. 75. a. 4. Dub. 4. n. 145. seqq.*

[2] *Sap. 11, 28.*

[3] Gonet, *Clypeus etc. De Eucharistia, Disp. 4. a. 2. nn. 24. 27. 28. a. 4. nn. 76. 80.*

repugnat. Nam non repugnat ratione substantiae; substantia enim per sese substantiae alteri non opponitur. Quare Deus simul est in et cum creatis substantiis omnibus; et substantia, etiam corporea, saltem supernaturaliter, esse potest penetrative cum altera substantia, quin una alteram expellat. Non repugnat ratione subiecti communis, quod hic non datur. Non repugnat ratione loci; quia saltem modus definitivus essendi in loco non excludit exsistentiam circumscriptivam alterius corporis in eodem loco, uti communiter Thomistae fatentur. Non intelligitur ergo unde actio productiva corporis Christi sub speciebus debeat esse per sese expultrix substantiae panis.

Praeoccupatur difficultas et res tota declaratur.

7. Video dici posse actionem conversivam, eo ipso quod est productio ex aliquo tanquam ex termino *a quo*, esto heic solum extrinseco, praeseferre duplicem quasi actionem inadaequatam, qua una totalis actio, quae conversiva vel conversio activa formalisve dicitur, integratur. Inadaequatae vero huiusmodi actiones sunt altera quidem negativa, altera positiva. Actione negativa *in eodem instanti reali*, sed vel *natura prius*, quam ponatur corpus Christi, panis substantia non amplius conservatur, et sic desinit ceu *ultima dispositio*, ut ibi sit corpus Christi; vel non conservatur substantia panis *natura simul* aut *natura posterius*, quam Christi corpus positum est, et sic desinit tanquam *complementum* aut *sequela* illius actionis, quae dicitur conversio activa vel formalis: prout videlicet quis tueatur in conversione omni, etiam naturali, formam aut terminum formalem *a quo* vel expelli eo ipso, quod agens inducit dispositiones, ac praesertim ultimam, ad novam formam ad novumque terminum totalem *ad quem;* vel expelli ex repugnantia sive formali, sive exigitiva aut causali ipsius novae formae iam positae, aut novi termini totalis *ad quem.* Actione vero altera inadaequata, sed positiva, in illo eodem instanti reali, in quo natura sive prius, sive simul, sive posterius habetur panis desitio, Christi corpus producitur, aut certe quacumque ratione ponitur. Hoc enim totum innuit productio ex alio, aut unius in aliud conversio. Atque modus iste ad panis desitionem explicandam invectus, prout a nobis ad suorum auctorum mentem est declaratus, non est improbabilis, quamvis forsan in re nostra sit inadaequatus.

Explicatio Card. de *Lugo.*

8. Alium modum hanc eandem rem explicandi invexit Card. de Lugo inquiens: « Omissis variis sententiis, in declaranda hac repugnantia (*inter utrumque terminum a quo et ad quem*) breviter dicendum est: Corpus Christi, ut substans speciebus, ex natura rei pugnare cum substantia panis; quia, ut substans, includit sustentationem accidentium in genere causae efficientis, quae causalitas ex natura rei petit quod accidentia non pendeant a substantia panis, et per consequens quod panis non substet iam illis accidentibus, ne detur duplex causalitas adaequata circa eundem effectum. Nam, esto, haec divinitus non repugnet; repugnat saltem connaturaliter, et sine novo miraculo. Quare ex suppositione prioris miraculi, quod accidentia conservantur a corpore Christi, con-

naturaliter sequitur ablatio alterius causalitatis, qua illa accidentia conservabantur a substantia panis »[1]. Hanc sententiam, quibusdam additis quae non videntur necessaria, suam fecit recentissime P. Lahousse[2]. — Iste dicendi modus, supposita probabilitate unionis effectivae inter Christi corpus et accidentia, quam superius constituimus, ac data sustentatione ipsorum accidentium per influxum instrumentalem corporis Christi, supplentis vicem substantiae panis sine imperfectione inhaerentiae, probabilis est. Non videtur tamen plene satisfacere, quia panis desitio ad ipsam conversionis rationem omnino requiritur. Conversio autem natura prius detur opus est, ut Christi corpus sub speciebus sit atque, loco substantiae, sustentare possit accidentia.

Probabilis est.

Sed non plene satisfacit.

9. Atque eadem instantia urgeri potest contra modum alterum, abs dubio probabilem, ad panis desitionem declarandam a Suaresio traditum. Asserit eximius Doctor: « Substantia panis expellitur per realem actionem, qua accidentia ab illa separantur, et per se constituuntur..... Duo..... sunt..... explicanda. Primum est, qualis sit haec actio, et quis terminus eius per se. Nam separatio unius ab alio videtur tantum consistere in carentia unionis, quae non potest esse terminus actionis positivae »[3]. Docet autem: — α) Positivam illam actionem esse posse, qua producatur in accidentibus ac praesertim in quantitate *modus physicus per se essendi;* qui modus, cum ex natura rei repugnet inhaerentiae, hanc excludet, ac porro cessabit unio accidentium cum substantia, seu accidentia a substantia separabuntur. Quandoquidem autem modus iste physicus, utut probabilis ac Suaresio probabilior, certus tamen non est; docet: — β) Dici posse: « Quod terminatur (*illa actio positiva*) solum ad conservandam entitatem ipsorum accidentium absolute et sine dependentia a subiecto per modum creationis, etiamsi illis nullum positivum modum superaddat. Et in hoc modo explicandi non est dubium quin talis actio interveniat de facto, ut infra etiam quaestione LXXVII. (*D. Thomae*) demonstrabimus »[4].

Probabilis Suaresii explicatio difficultati obnoxia.

10. Secundus iste explicandi modus, quamvis a Suaresio probabilis dicatur, ipsi tamen videtur insufficiens, idque suo modo conatur ostendere. Et quidem si severe verba Suaresiana intelligantur, rationes ab ipso allatae ad tres revocantur. 1.ª Actio conservativa accidentium in se est actio terminata ad ipsorum entitatem. Huiusmodi actio per se non excludit actionem sustentativam substantiae et inhaerentiam accidentium; quia idem effectus potest haberi duplici actione totali, praesertim naturali una, et altera supernaturali. — 2ª Actio et effectus naturalis non excluditur actione et effectu supernaturali; et sic scientia infusa non excludit per se acquisitam. — 3.ª Modus inhaerentiae est distinctus

Instantia quaedam Suaresiana non cogens.

---

[1] Lugo, *De Sacramento Eucharistiae, Disp. 7. Sect. 7. n. 106.*
[2] Lahousse, *De Eucharistia, prima pars, c. 3. a. 2. § 3. n. 105. seqq.*
[3] Suarez, *In 3.am p.em D. Thomae, q. 75. Disp. 50. Sect. 6. n. 7.*
[4] *Idem, Ibidem, loc. laud.*

ab entitate accidentis, et propria actione conservatur. Non excluditur ergo per se ab ipsa conservatione entitatis accidentium independenter ab influxu substantiae. — Verum, etiam praescindendo a duplici actione adaequata, quae connaturaliter repugnat et, si non repugnat supernaturaliter, sine probatione non est de facto admittenda; praescindendo item a distinctione vel indistinctione modi inhaerentiae, de qua disputatur; si dicatur, uti dicendum videtur, actio illa per modum creationis tendere non solum ad conservandam *absolute* entitatem accidentium sufficienti influxu, sed etiam ad eam conservandam ut *in se et per se;* non solum non necessarius erit substantiae influxus, atque adeo, utut naturalis, facta illa hypothesi, consequenter non dabitur; sed etiam ex parte termini positivi actio illa repugnabit influxui sustentativo substantiae et ipsi inhaerentiae accidentium, quae requirunt, ut accidentia *in substantia* sint, et non sint *in se et per se.* Esse enim *in se et per se* contradictorie *in re* opponitur τῷ esse *in alio et per aliud.* Accidentia autem in eucharistia ex vi divini influxus et Christi in se et per se conservantur. Excludunt igitur necessario τὸ esse in substantia et per substantiam. *Modus* autem essendi *in se* et *per se* non necesse est, ut sit physicus seu physica entitas, cum modus metaphysicus, qui eo ipso habetur, quod entitas accidentium non in substantia et per substantiam seu cum dependentia ab ipsa, sed ut in se et per se seu independenter a substantia conservatur, revera sufficiat. Ergo. Dato autem huiusmodi modo, dataque repugnantia, connaturaliter sequetur accidentium a substantia separatio, seu corruptio unionis inter utrumque, ac subinde connaturalis corruptio ipsius substantiae. Verum haec longiorem exigerent declarationem quae, si Deus dederit, in nostro *Tractatu de Eucharistia* invenietur. Satis sit hic ultimam ipsius eximii Doctoris conclusionem exscribere: « Prior ergo modus, *inquit*, videtur solidior: quamvis, cui posterior placuerit, poterit illum sustinere »[1].

Ostenditur.

11. Supposita ergo, uno vel alio modo, separatione accidentium a substantia panis, huius desitionem sequenti pacto demonstrat eximius Doctor: « Alterum, *inquit*, explicandum..... erat: Quomodo separatis accidentibus a substantia, statim ex natura rei naturaliter desinat esse. Quod per principia philosophica declarandum est, vel quia, remotis accidentibus, tolluntur dispositiones necessariae ad conservandam unionem formae substantialis cum materia, et ideo statim tollitur illa unio, et consequenter desinit esse forma substantialis, quae a materia dependebat; et quia haec actio non est talis, ut per eam introducatur alia dispositio vel forma in materia, consequenter etiam fit desitio ipsius materiae, quae sine forma naturaliter esse non potest; vel certe quia etiam est naturale materiae, ut sine quantitate conservari non possit: per hanc autem actionem privatur omni quantitate. Potest autem hoc explicari vel per modum dependentiae, quia scilicet materia pen-

Data separatione accidentium a substantia panis, facile declaratur quomodo desinat.

[1] *Idem, Ibidem, loc. laud.*

det aliquo modo vel in aliquo genere causae a forma vel quantitate sua; vel per naturalem quandam connexionem et connaturale debitum, quia videlicet ita postulat materia naturalem modum exsistendi cum quantitate et forma ut, si omnino illis privetur, non debeatur illi conservatio naturalis sub alio exsistendi modo: quomodo dici potest animam naturaliter esse non posse sine intellectu et voluntate, ita ut, si illis privetur, naturaliter etiam postulet privari esse suo et conservatione in rerum natura »[1].

In hoc etiam explicandi modo videtur substantia panis expelli, postquam transsubstantiatio facta est.

12. Uti iam praemonuimus, iste etiam explicandi modus eandem patitur difficultatem, ac praecedens. Videtur enim substantia panis expelli postquam transsubstantiatio facta est: et tamen eius desitio ad ipsam conversionis rationem omnino requiritur. Si namque substantia panis desinit, quia ab ipsa separantur accidentia; et accidentia separantur ratione modi, physici aut metaphysici parum nunc refert, standi in se et per se; hic autem modus habetur etiam per influxum corporis Christi; ergo Christus est in eucharistia et transsubstantiatio facta est, antequam desinat substantia panis. — Nisi forte quis dicat actionem conversivam incipere quodammodo a constituendis accidentibus in se et per se, ac porro ab iis a substantia panis separandis ut, desinente ex hac separatione panis substantia ad modum dispositionis cuiusdam ad Christi corpus producendum ponendumve sub speciebus, simul seu eadem adaequata actione Christi corpus ibidem ponatur. Hoc autem quamvis difficultati alicui, ceteroquin solubili, obnoxium sit, si quis una doceat accidentia ab ipso Christo in se et per se conservari; analogiam tamen quandam habet cum illa doctrina, quae statuit formam veterem expelli ex vi dispositionum, ac praesertim ultimae, in materia introductarum ut, illa expulsa, in eodem instanti reali novam formam ex materia agens educat.

Innuitur nodi solutio.

Assertio prior.

Superiores modi tres non se mutuo excludunt, sed se mutuo complent. Probatur 1.ª pars.

13. Si quid in praesenti controversia nobis videtur candide liceat aperire; dico: I. *Superiores modi tres non se mutuo excludunt, sed se mutuo complent. Prob. 1.ª pars.* Ex regula fidei a nobis iam declarata et ex gravissimorum Theologorum auctoritate omnino tenendum est panis substantiam in eucharistia desinere ex vi actionis conversivae; desinit enim, quia in Christi corpus convertitur. Actio autem conversiva modos illos tres seu rationes desitionis substantiae panis non excludit, sed potius includit. Ergo etiam ipsi modi seu rationes desitionis substantiae panis non se excludunt. *Prob. min.* Actio conversiva in praesenti oeconomia sacramentali a Christo instituta, uti ex dictis facillime colligi potest, includit tum influxum terminatum ad positionem corporis Christi ex pane, tanquam ex termino extrinseco; tum influxum terminatum ad ipsa panis accidentia, haec conservantem non solum in eorum positiva entitate, sed etiam in hac entitate ut *in se et per se stante*, seu ipsa *in se et per se* active sustentantem; sive id totum fieri dicatur a solo Deo; sive a Deo dependenter ab humanitate Christi, prout est in coelo, tanquam ab instrumento con-

Quid ex Christi institutione includat actio conversiva?

[1] *Idem, Ibidem, loc. laud. n. 8.*

iuncto; sive, quoad influxum in accidentia, in primo signo a Deo et Christo, prout est in coelo, in secundo vero, prout est in sacramento; sive demum in ipso primo signo a Deo et Christo, prout est in sacramento; haec enim omnia fieri possunt, uti ex mox dicendis intelligetur. Actio autem huiusmodi necessario includit remotionem non conservationemque substantiae panis, tum quia Christus, indivisibiliter quidem, sed vere, realiter, substantialiter, et *productive ex panis substantia* poni debet sub speciebus; tum quia sub speciebus *sustentare debet in se et per se accidentia;* tum demum quia hac sustentatione posita, *accidentia, ac imprimis quantitas, a substantia panis separantur*, et huic connaturaliter non debetur amplius conservatio in rerum natura. Ergo actio conversiva, inspecta Christi institutione, non solum modos illos tres rationesve desitionis substantiae panis non excludit; sed etiam, si adaequate spectetur, illos includit omnino. Quapropter ipsi modi in se non se excludunt, sed in concreta saltem seu adaequata Christi institutione sese includunt.

14. *Prob. 2.ª pars.* Si primae desitionis rationi secunda non addatur, et tertia secundae, non satis patet ex vi conversionis physice desinere panis substantiam; patet autem clare, si illa additio fiat. Ergo illi modi non solum non se excludunt, sed etiam se mutuo complent. *Decl. et prob. ant.* Si solum diceretur: *Substantia panis desinit, quia convertitur, aut quia Christus producitur quodammodo ex pane, tanquam ex termino extrinseco*, videretur illa desitio refundenda non solum *remote*, sed etiam *proxime* in decretum Dei; id quod nexum non physicum et ex natura rei aut ex conditione obiecti, sed moralem et ab extrinseco principio manantem inter conversionis terminos constitueret. Nam cum actio productiva corporis Christi sub speciebus, et quidem indivisibiliter, ex parte termini producti non repugnet substantiae panis, uti iam probatum est; si secum coniunctam debet deferre actionem inadaequatam removentem substantiam panis; id erit, ut haec actio dici possit conversio aut conversiva. Hoc autem solam agentis Dei voluntatem, decretumve solum videtur praeseferre: *Volo hoc ponere unaque illud removere, ut dicar unum in alterum convertisse.* — At si actioni conversivae terminus inadaequate duplex, adaequate unus, quem demonstravimus, ex institutione Christi respondeat, statim patebit proxima ratio et conditio obiecti exigentis panis desitionem, atque de facto, ex vi conversionis, desitionem causantis. — Neque ad hoc satis est sola ratio Lugoniana. Nam si substantiae panis non sustentanti accidentia non debetur connaturaliter conservatio, quod caret connaturali fine sustentandi, potest tamen ipsi esse debita ratione sui ipsius esse. Si enim res est propter operationem aut munus; non tamen unice propter hoc. Hoc ergo cessante fine, non cessat tota ratio conservationem exigens; praesertim cum substantia panis sua quantitate et aliis accidentibus instructa, quamvis non necessario aut non amplius connaturaliter sustentaret accidentia: manendo tamen cum ipsis unita, posset adhuc connaturales omnes alias operationes

Probatur 2.ª pars. De modo Thomistico.

De modo Lugoniano.

exercere, quas faciebat, dum sustentabat, aut *sola* sustentabat accidentia. Saltem desitionis substantiae panis necessitas clara non videtur, ubi miraculose tantum cessat partialis ratio conservationem exigens. — At si addatur, uti revera est, vi conversionis sustentationisque accidentium *in se et per se* substantiam panis a sua quantitate et reliquis accidentibus separari; tunc deficiente connaturali operatione omni, deficiente connaturali munere, imperfectoque ipso eius esse manente, nullo ex capite connaturaliter conservationem exiget, atque adeo connaturaliter non conservabitur, seu ex vi adaequatae actionis conversivae desinet. Modi ergo illi tres non solum non se mutuo excludunt, sed etiam se mutuo complent.

De modo Suaresiano, aut simili.

Assertio altera.

Probatur.

15. Dico secundo: *Tribus hisce modis substantia panis desinit ex vi conversionis eius in Christi corpus. Prob.* ex dictis. Desinit, quia ponitur indivisibiliter Christi corpus sub speciebus, ut eas in se et per se sustentans, atque porro excludens inhaerentiam unionemque specierum cum substantia, et exigens non conservationem substantiae panis. Hic autem, uti partim ex fide catholica, partim ex doctrina fidei rationibusque aliis edocemur, est effectus conversionis transsubstantionisve active inspectae. Ergo substantia panis desinit ex vi conversionis eius in Christi corpus.

Collectio ex dictis, et totius doctrinae declaratio.

16. Colligimus ex dictis actionem conversivam, uti terminum inadaequate duplicem (remotionem substantiae panis, et positionem corporis Christi sub speciebus), adaequate unicum (passivam conversionem substantiae panis in Christi corpus) habet de facto; sic una adaequate cum sit, actionem duplicem inadaequatam, negativam alteram, alteram positivam includere. An autem, quatenus partialiter respicit accidentia et subsequutam panis desitionem, considerari debeat uti dispositiva ad positionem corporis Christi, uti declaratum est; an vero uti concomitans vel consequens eius positionem, quatenus eo ipso quod Christus voluit esse sub speciebus, ab ipso *in se et per se* sustentatis ex vi conversionis, debuit velle ponere talem actionem physicam, quae in eodem instanti reali esset positiva ipsius *ut conservantis species in se et per se*, atque adeo talem, ut in illo eodem instanti, *vel natura simul vel natura post*, exigeret substantiae panis desitionem et connaturaliter illam expelleret; potest probabiliter utrumque defendi. Uterque hic explicandi modus seorsim inspectus analogiam praesefert cum alterutro modo explicandi expulsionem formae praecedentis in formalibus conversionibus ad introductionem novae. Prior autem modus congruit magis sententiae statuenti accidentia conservari in se et per se tantum a Deo; alter vero sententiae docenti ea in se et per se conservari vel in primo signo tantum a Deo, in secundo a Deo et Christi corpore, vel in ipso primo signo a Deo et Christi corpore.

Signa rationis in conversione eucharistica in ordine ad desitionem substantiae panis.

17. Iuxta hanc ultimam sententiam quam, inspectis omnibus, veram putamus, sequentia rationis signa includeret conversio. In *primo* concipitur elici actionem *positivam* corporis Christi, ut in se et per se accidentia sustentantis: in *secundo*, haberi terminum

immediatum huius actionis, corpus nempe Christi ex vi illius actionis *positum*, ut actu in se et per se accidentia sustentans: in *tertio*, cessare influxum sustentativum substantiae panis relate ad accidentia, atque haec a substantia panis separari: in *quarto*, non amplius conservari et desinere panis substantiam, ab ipso Christi corpore, prout sub accidentibus ponitur, quasi formaliter expulsam: et sic tota in uno instanti reali absolvitur conversio. Atque haec ad desitionem substantiae panis ex conditione ipsius obiecti proxime explicandam, uti etiam ad nexum physicum inter utrumque conversionis terminum rite intelligendum videntur sufficere.

SECTIO III.

DE CONVERSIONE EUCHARISTICA AUT TRANSSUBSTANTIATIONE THEOLOGORUM PRINCIPUM SYSTEMATA VARIA.

1. Quamvis communior doctrina de transsubstantiatione a catholicis Theologis, ac prope ab ipsa Theologia catholica, in scholis recepta quoad substantialia, dixerim, placita una sit eademque; ubi pressius ea definienda est, quod vidimus factum de eius terminis singillatim inspectis, in ipsa conversione intelligenda et declaranda instauratum invenimus. Enata hinc systemata varia, magis minusve inter sese prima fronte opposita sed quae, si penitius inspiciantur, ad bina praecipua possunt revocari. Proponenda haec in antecessum sunt non quidem seorsim omnia, sed quae proprium privumque quid praeseferre videantur, ut tandem liceat de transsubstantiatione adaequate inspecta nostram sententiam exhibere, in parte quarta huius Disquisitionis polemice ac theologice demum propugnandam. Atque hac quidem in re primum quodammodo locum sibi vindicat P. Vasquez, quasi a Theologis ceteris in speciem segregatus.

Proponenda de transsubstantiatione Theologorum principum systemata.

§ I.

Systema P. Vasquez.

2. Tradit P. Vasquez: « Rationem formalem transsubstantiationis neque esse mutationem, neque productionem alicuius rei, sed *relationem quandam ordinis inter substantiam, quae desinit, et eam in quam desinere dicitur*, ut inferius explicabitur. Ex quo fit, ut haec conversio aut transsubstantiatio habeat aliquid commune cum aliis actionibus et mutationibus, sed nulli omnino assimiletur. Fit etiam, ut terminus *ad quem* huius conversionis et transsubstantiationis sit tota substantia corporis et sanguinis Christi »[1]. Post haec conatur ostendere hanc suam doctrinam esse praecipuorum Doctorum veterum, imprimisque D. Thomae et Scoti. Sed

Ex P. Vasquez transsubstantiatio est formaliter relatio ordinis inter substantias.

Contendit P. Vasquez doctrinam suam esse praecipuorum Doctorum veterum,

[1] Vasquez, *In 3.am p.em D. Thomae. Disp. 181. c. 11. n. 116.*

quae affert, si quid probant, id unice est agnitam aliquo sensu fuisse a Doctoribus illis relationem ordinis et successionis substantialis aut substantiarum in transsubstantiatione; sed non eam ab ipsis in hac relatione unice aut formaliter fuisse collocatam, uti ex eorum doctrina in secunda huius Disquisitionis parte amplissime exposita fit manifestum. Atque, missis ceteris quae dici possent, D. Thomas docet huiusmodi ordinis et successionis relationem cum creatione et transmutatione naturali esse prorsus transsubstantiationi communem[1]: Scotus vero tum hoc idem tuetur, tum conversionem, ut sic, in aliquo priori ad praesentiam sacramentalem et actionem adductivam reponit, quam tamen actionem ad praesentem transsubstantiationem requirit[2], uti apud plerosque omnes ratum est. Quomodo ergo hi poterant vel unice, vel formaliter in illa relatione transsubstantiationem agnoscere?

Incassum tamen.

D. Thomas.

Scotus.

Conversio tota pendet a Christi verbis.

3. Ut vero hanc, quae ipsius, non aliorum, sententia est, aliqua ratione declaret, notat: — α) Totum hoc transsubstantiationis negotium pendere a Christi verbis, quae: « Vera esse debent; vera autem esse non possunt, nisi efficiant corpus et sanguinem Christi sub speciebus, et destruant panem..... Est igitur in hoc sacramento duplex mutatio aut quasi mutatio, altera, qua corpus et sanguis Christi fit praesens; altera, qua desinit panis: neutra autem est formaliter conversio et transsubstantiatio, sed utraque est fundamentum illius »[3].

Datur duplex mutatio, sed neutra est conversio.

In verbis formae unum Christi corpus significari vere, ac porro ut exigens desitionem panis.

4. Notat: — β) Quod ex vi praesentis institutionis: « In forma, qua nunc utimur ad consecrandum, illa duo sic se habent, ut unum tantum significetur, nempe corpus aut sanguis Christi praesens (neque enim verba consecrationis significant desitionem panis et vini, ut patet); ita tamen, ut vera significatio corporis et sanguinis Christi praesentis necessario postulet desitionem panis et vini, ut disputatione praecedente, capite 4. probavimus; ac proinde desitio necessario consequatur corpus Christi praesens, prout illis verbis significatur. Quo fit, ut sacerdos utens illis verbis vere dicatur efficere praesens corpus et sanguinem Christi, et *ipso corpore praesente vere significato, destruere panem* »[4].

Ad conversionem requiri nexum oppositionis inter terminos ex modo efficiendi.

5. Notat: — γ) Ut unum dici possit converti in aliud requiri, ut habeat connexionem oppositionis cum illo, ita ut positio unius sit desitio alterius, et secus. Haec autem oppositio non necessario esse debet ex ipsa terminorum natura; sed neque sufficit ut sit ex solo decreto Dei volentis destruere unum ad positionem vel conservationem alterius; neque sufficit alia connexio extrinseca v. g. temporis, vel loci; sed requiritur connexio oppositionis ex ipso modo efficiendi. Iam vero, in hypothesi, oppositio non est inter panem et Christi corpus per sese, sed optime prout significantur verbis formae; siquidem nequit Christi corpus vere

[1] D. Thomas, *Summ. Theol. 3. p. q. 75. a. 8. corp.*
[2] Scotus, *In IV. Dist. 11. q. 1.*
[3] Vasquez, *In 3.am p.em D. Thomae, Disp. 181. c. 12. n. 134.*
[4] *Idem, Ibidem, n. 125.*

significari, nisi panis destruatur. Itaque illa verba, vi suae significationis, primario quidem ponunt Christi corpus, secundario autem aut ex consequenti panem expellunt. Quapropter concludit: « Ex his, quae praemisimus, facile intelligi et explicari potest modus huius conversionis, et ratio formalis illius. Nam sicut in naturalibus hoc ipso, quod aliquid corrumpitur ab agente naturali vi actionis naturalis, quia producitur forma contraria, id, quod corrumpitur, dicitur converti in id, quod producitur; eodem modo id, quod in hoc sacramento destruitur, nempe panis et vinum, transire et converti dicuntur in corpus et sanguinem Christi, quia fit veluti forma opposita et quasi formaliter expellens et destruens ipsum panem et vinum, ut explicatum est »[1].

Praeoccupatur difficultas.

6. Ut autem sponte exoriturum praecaveat difficultatem, statim monet, quamvis in conversione naturali actio ad conversionem ipsam formaliter pertineat, non tamen in hac ad conversionem pertinere, etiamsi, inquit, diceretur Christi corpus sub speciebus produci aut conservari. Ratio est quod huiusmodi, esto, productio, in praesenti, ex accidenti tantum se ad conversionem habet. Cum enim Christi corpus per sese substantiae panis haudquaquam opponatur, nec eam expellat; neque actio, esto, ipsius productiva ei opponetur, eamve expellet. Actio autem conversiva termini *a quo* debet esse expultrix. Itaque quod heic panem expellit, atque adeo convertit, est veritas verborum in Christo significando, quae praescindit ab ipsius Christi productione, conservatione, adductione etc.

Quod panem expellit, est veritas verborum formae.

Quid demum conversio eucharistica?

7. « Ceterum videamus, *ait*, quid sit formaliter conversio nostro concipiendi modo. Est autem in conversione naturali productio unius termini, et corruptio alterius. In conversione vero, quae fit in hoc sacramento, est *adductio*, seu praesentia corporis Christi et desitio panis: nihil tamen horum videtur esse conversio »[2]. Non quidem *desitio;* quia desitio tendit in non esse, dum conversio tendit in terminum positivum. Non *productio*, aut *adductio;* quia produci aut adduci non est formaliter converti, cum sine conversione productio adductiove possit dari. « Est igitur conversio, *prosequitur*, formaliter *denominatio quaedam ordinis per modum actus in eo, quod desinit, relate ad id, quod fuit causa desitionis, tanquam ad terminum; et in termino ipso conversionis est alia similis denominatio etiam ordinis relate ad id, quod desinit ex vi illius:* nisi quod haec denominatio ordinis in eo, quod desinit, dicitur conversio: in eo autem, cuius vi desinit, dicitur successio, non quidem successio in loco, aut alio accidente, sed successio substantialis in esse »[3].

Est denominatio quaedam ordinis.

Quodnam eius fundamentum.

8. « Quod superest, *loquitur adhuc P. Vasquez*, explicemus fundamentum huius relationis et ordinis. Nam denominationem hanc esse extrinsecam et solius rationis in rebus denominatis, sumptam

---

[1] *Idem, Ibidem. n. 129.*
[2] *Idem, Ibidem. nn. 132. 133.*
[3] *Idem, Ibidem, n. 134.*

ex aliquo fundamento reali ego pro comperto habeo. Siquidem conversio est in eo, quod convertitur. Id autem, quod convertitur, non est capax formae realis intrinsecae, cum non sit, et desinat esse, et eo ipso, quod desinit esse, dicatur converti..... Est igitur fundamentum huius denominationis, quae dicitur conversio, in pane primum quidem desitio illius; nisi enim desineret, nulla ratione diceretur converti..... Praeter desitionem panis et vini fundamentum aliud necessarium huius denominationis, quae vocatur conversio, est ipsummet corpus et sanguis Christi, prout vere significatur illis verbis, cum ex vi illius verae significationis primarie statuatur corpus, et secundarie desinat panis »[1].

Summa doctrinae P. Vasquez.

9. Ex quibus omnibus habemus, iuxta P. Vasquez, transsubstantiationem nihil esse aliud formaliter, quam relationem ordinis et successionis inter corpus Christi praesens et panem desinentem ex vi significationis formae, quatenus haec vera esse non posset, nisi sub speciebus esset solum Christi corpus, et consequenter panis substantia expelleretur. Haec autem relatio, quae suum fundamentum habet in desitione panis et praesentia corporis Christi, tum supponit, ex ipso, nunc de facto ipsius corporis Christi adductionem, tum ex actione adductiva, tanquam ex causalitate sui fundamenti, demum sequitur.

§ II.

Systema P. de Valentia.

P. Valentia.

10. Vasquesio succedat P. Valentia qui, ut conversionem eucharisticam declaret constituatque, sequenti utitur syllogismo: « Tunc una res *substantialiter* convertitur in alteram, cum *illi desinenti res altera in aliquo munere sive habitudine substantiali succedit erga aliquod tertium.* Sed pani desinenti succedit Christi corpus in aliquo munere seu habitudine substantiali erga tertium aliquid, nempe erga accidentia panis. Ergo etc. Maior declaranda est tum ex conceptu communi *nominis conversionis*, tum exemplis earum rerum quae, sine controversia, substantialiter convertuntur. Etenim eo nomine omnes intelligunt conversionem unius rei in alteram tunc fieri, quum in aliquo genere, quod sit utrique commune, *idem* (non quidem secundum rem, sed secundum rationem communem et convenientiam generis), quod antea erat una res, postea peculiari ratione est alia, transitque et quasi transfunditur peculiari ratione in illam. Hoc autem fit cum in aliquo genere una res alteri in officio peculiari seu habitudine illius generis erga aliquod tertium succedit »[2]. Probat huius secundi syllogismi maiorem quod, dum unum mutatur in aliud, habetur analogia cum eo quod, idem cum sit, vertitur circa locum, ex qua versione conversionis etiam substantialis nomen videtur deriva-

Conversionem reponit in eo, quod Christi corpus substantiae panis desinenti succedit in aliquo munere erga accidentia.

Probat ex conceptu nominis conversionis.

---

[1] *Idem, Ibidem, loc. ult. laud.*

[2] Valentia, *In 3.am p.em D. Thomae, Disp. 6. q. 3.puncto 3.*

tum. Primi ergo syllogismi maiori ex ratione nominis sic declarata, eandem subinde ostendit exemplis. Nam aer v. g. convertitur in ignem, quia forma ignis succedit formae aeris *in informatione* eiusdem materiae. Item album convertitur in nigrum, quod nigredo succedit albedini *in informatione* eiusdem subiecti etc.

Ex conversionis declarata notione consectaria quaedam.

11. Ex communi, ut ait, hac conversionis notione infert ad veram conversionem non requiri: — α) Illam habitudinem esse debere ad tertium, ut ad *subiectum;* hoc enim indifferens est: — β) Non requiri ut id, in quod fit conversio, sit aliquid *novum*, quod simpliciter incipit esse; satis enim est, ut incipiat exercere *novum munus*, seu habere novam habitudinem ad tertium: — γ) Non requiri, ut haec ipsa habitudo sit *nova entitas;* sufficit namque, ut sit *nova ratio formalis* novusque modus: — δ) Non requiri, ut detur aliquod commune subiectum proprie dictum; abunde enim sufficiens est, ut sit *tertium quodlibet* capax habitudinem illam terminandi [1].

Minoris probatio.

Notandum.

12. Prima illa maiori, ut dictum est, constituta atque his consectariis illustrata, ut probet primam minorem: « Diligenter, *inquit*, notandum est quae sint substantialia munera panis erga accidentia, ut inde ostendamus in quonam illorum munere succedat pani substantialiter corpus Christi. Sunt autem duo huiusmodi munera, quorum utrumque quidem significari potest, cum dicitur substantia panis *substare suis accidentibus.* Unum est sine controversia notissimum, nempe *terminare subiective inhaerentiam, seu dependentiam accidentium.* Alterum est *quaedam coniunctio prima cum ipsis accidentibus*, et habitudo ad ea talis, ut inde naturaliter consequatur tum habitudo illa altera subiecti ad accidentia, de qua dictum est; tum etiam habitudo seu respectus praesentiae ipsius substantiae ad eundem locum, in quo sunt accidentia » [2]. Probat secundam habitudinem esse veram et non fictam (*timendum est ne sit ficta*), quod si duae substantiae penetrative essent in eodem loco, non exinde accidentia unius inhaererent substantiae alteri. Quare hoc, inquit, nisi ex defectu illius coniunctionis et habitudinis primae? Iure tamen, lector, mirere rationem hanc a Gregorio de Valentia in medium afferri.

Substantiae panis munera duo erga accidentia.

Unum, terminare subiective inhaerentiam.

Alterum, quaedam coniunctio prima cum accidentibus.

Conatur ostendere secundam habitudinem esse veram, et non fictam.

13. His ergo in antecessum constabilitis, prosequitur: « Iam facile est, *inquit*, confirmare ac exponere nostram illam minorem. Corpus enim Christi substantiae panis succedit non in eo munere substantiali erga accidentia, quod est habitudo subiecti; sed in altero, quod est illa *prima et radicalis coniunctio.* Atque ita substantia in substantiam per successionem in substantiali hac habitudine erga tertium, nempe erga eadem panis accidentia, hic convertitur: quod assumpsimus in illa minori. Et haec quidem singularis ratio conversionis significatur, cum dici solet hic esse conversionem sacramentalem » [3]. Minorem autem hanc sic declaratam

Minor illa declaratur.

---

[1] *Idem, Ibidem.*
[2] *Idem, Ibidem, eodem loc. cit.*
[3] *Idem, Ibidem, eodem loc. cit.*

Eius rationes innuuntur.

P. Valentia data opera non probat. Innuit tamen rationes tres. Prima, quia hoc requiritur et satis est, ut verum sit dicere: *Hoc est corpus meum.* Secunda, quia hoc requiritur et satis est, ut Christus dicatur *esse hic*, seu ut praesens sit loco specierum. Tertia, quia, hoc posito, recte dici potest: *Idem, quod erat prius panis, sit iam peculiari ratione corpus Christi.* Scribit enim: « De qua conversione recte dicit Caietanus *art. 1.* quod, praeter conversionis rationem communem, includit aliquid nobis *secundum se ignotum, cognitum autem*, inquit, *utcumque per hoc, quod scimus illud esse tale, ut ex eo consequatur veritas illius propositionis demonstrantis corpus Christi sub accidentibus panis praesens, nempe: Hoc est corpus meum.* Quia scilicet de munere illo seu habitudine substantiali, in qua Christi corpus pani succedit, hoc tantum intelligimus, eam esse *talem*, ut ex ea naturaliter *consequatur* et praesentia substantiae ad locum eundem, in quo cernuntur accidentia, et inhaerentia etiam ipsorum accidentium: quanquam haec quidem inhaerentia supernaturaliter hic impeditur. — Propter successionem etiam corporis Christi in hac substantiali habitudine fit in proposito, iuxta communem rationem ante declaratam, ut *idem*, quod erat prius panis, sit iam peculiari ratione corpus Christi. *Idem*, inquam, *non re*, sed *secundum communem substantiae rationem*, quae peculiari modo ex pane hic transeat, et quasi transfundatur in corpus Christi »[1].

Summa doctrinae P. de Valentia.

14. Quae huc usque exscripsimus, ostendunt satis superque, ex sententia P. Valentiae, eucharisticam conversionem *formaliter* talem Dei esse actionem, qua corporis Christi substantia sic modificatur intrinsece, ut supernaturaliter ordinetur ad unionem cum panis accidentibus, ac porro radicaliter seu substantialiter cum ipsis uniatur. Ex hac autem unione consequens est, ut ipsa praesens fiat loco specierum, et ut panis substantia desinat esse. Non declarat autem P. Valentia cuiusmodi sit radicalis illa unio, effectivane an formalis. Ex eius mente formalis esse videtur, cum aperte dicat ex ea sequi connaturaliter inhaerentiam accidentium, quae tamen hic supernaturaliter impeditur. Neque item declarat, saltem explicite et operose, qua ratione ex vi illius unionis substantia panis in sacramento desinat: coniicimus dicturum eam desinere uno aliove ex modis iis, quos ex Suaresio, Lugone et aliis superius retulimus. Enimvero, post plura alia, sequenti pacto scribit: « In proposito vero non sic (*scilicet per solam non conservationem Dei*) desinit tota substantia panis; sed desinit per accidens ex vi divinae actionis conversivae, quae quidem ad terminum aliquem per se ordinatur, nempe ad corpus Christi, quatenus peculiari ratione est id, quod erat antea panis, id est, quatenus succedit pani in habitudine quadam substantiali ad accidentia, sicut dictum est. Quapropter minime panis annihilatur, sed convertitur, transit et transfunditur in corpus Christi »[2]. Atque haec sint satis.

---

[1] *Idem, Ibidem, loc. cit.*
[2] *Idem, Ibidem, loc. cit.*

§ III.

Systema Cardinalis Bellarmini.

15. Bellarminus, ut eucharisticam conversionem declaret, monet in antecessum : « Ad veram conversionem quatuor conditiones requiri. Prima, ut aliquid desinat esse. Non enim est intelligibile, ut unum convertatur in aliud, nisi id, quod convertitur, desinat esse quod antea erat..... Secunda conditio est, ut aliquid succedat in locum eius, quod desinit esse ; alioqui non esset conversio, sed corruptio vel annihilatio, si terminus illius actionis esset non esse rei..... Tertia conditio est, ut sit connexio quaedam et dependentia inter desitionem unius et successionem alterius, ita ut unum desinat, ut alterum succedat, et vi desitionis fiat successio. Nam si ista non essent connexa, non esset una actio, quae dici posset conversio, sed essent duae actiones per accidens se concomitantes, quarum una annihilatio, altera creatio diceretur..... Quarta conditio est, ut tam terminus *a quo*, quam terminus *ad quem* sit *vere* positivus (*id est, omnimode positivus*). In hoc enim distinguitur *perfecta conversio* non solum a creatione et annihilatione, sed etiam a naturali conversione..... In conversionibus supernaturalibus, qualis fuit uxoris Loth in statuam salis, et aquae in vinum in Cana Galilaeae..... uterque terminus proprie positivus erat. Non enim Deus disposuit materiam uxoris Loth ad formam salis recipiendam, aut aquae materiam ad formam vini..... sed in momento effecit, ut unum desineret in ordine ad alterius successionem : atque ita non fuit facta statua illa, aut vinum... ex materia habente privationem (*formae*), sed ex materia habente formam contrariam »[1]. Ex hac ultima conditione infert conversionem eucharisticam esse perfectissimam, et a conversionibus aliis omnibus discriminari ; similiorem autem esse conversionibus supernaturalibus, a quibus tamen differt in duobus : primo, quod in aliis probabile est mansisse materiam primam, quae heic non manet : secundo, quod in aliis non manserunt accidentia vel omnia, vel aliqua, quae heic manent.

Ad veram conversionem conditiones quatuor.

Conversio eucharistica perfectissima.

16. Monet praeterea : « Ad veram conversionem non requiri, ut id, in quod aliquid convertitur, de novo producatur, sed satis esse si unum alteri succedat, ut diximus..... Tribus enim modis fieri potest conversio. Nam si terminus *ad quem* non exsistat, vi conversionis necessario producetur, et inde vocatur a quibusdam ea conversio *productiva*..... Si vero terminus *ad quem* exsistat, sed non in eo loco, ubi est terminus *a quo*, tunc vi conversionis adducetur ad eum locum, et inde vocatur ea conversio *adductiva*..... Si denique terminus *ad quem* exsistat, et in ipso loco eodem, ubi est terminus *a quo*, ut v. g. si duo corpora aequalia se penetrent, et unum divina virtute totaliter vertatur in aliud, tunc vi conver-

Triplex conversio.

Productiva.

Adductiva.

[1] Bellarminus, *De Sacramento Eucharistiae, lib. 3. c. 18.*

sionis non producetur, neque adducetur terminus *ad quem*, sed solum conservabitur, et inde dicitur ea conversio *conservativa*. Nam cum non possint naturaliter duo corpora simul esse, si Deus unum interimeret, ut alterum naturaliter ibi servaret, diceretur unum in aliud converti ex eo, quod unum desineret esse, ut alterum permaneret in esse »[1]. Hoc enimvero mirum est.

Conservativa.

17. His autem praeiactis, subdit Em. Auctor: « Ex his colligimus conversionem panis in corpus Domini non esse productivam, nec conservativam, sed adductivam. Nam corpus Domini praeexsistit ante conversionem, sed non sub speciebus panis. Conversio igitur non facit, ut corpus Christi simpliciter esse incipiat, sed ut incipiat esse sub speciebus panis. Porro *adductivam* vocamus istam conversionem, non quia corpus Christi per hanc adductionem deserat suum locum in coelo, vel quia per motum localem huc de coelo adducatur; sed solum quia per eam fit, ut corpus Christi, quod antea solum erat in coelo, iam etiam sit sub speciebus panis, et non solum sub illis sit per simplicem praesentiam sive coexsistentiam, sed etiam per unionem quandam, qualis erat inter substantiam panis et accidentia panis, excepta tamen inhaerentia »[2].

Conversio eucharistica adductiva.

Quare.

Quomodo.

18. Suam hanc sententiam plenius declaraturus sibi obiicit: « Si per conversionem istam non producitur corpus Christi, sed tantum fit praesens; ergo terminus *ad quem* non est substantia, sed accidens. Ergo conversio ista non substantialis, sed accidentalis est ». — Respondet: « Etiam terminus *ad quem* est substantia. Non enim per conversionem istam fit praesentia (relationes enim non fiunt, sed consequuntur); sed fit, ut corpus Christi succedat pani: proinde substantia in substantiam transit, et substantia substantiae succedit. Non enim panis convertitur in praesentiam corporis Domini, sed in ipsum corpus Domini »[3].

Terminus *ad quem* est substantia corporis Christi, et conversio est substantialis.

19. Praeterea: « Subiectum, *inquit*, in quo recipitur actio divina huius conversionis, partim est panis, partim corpus Christi. Nam illa actio, ut conversio, in pane recipitur; panis enim est, qui convertitur, proinde solus panis mutatur substantialiter. At illa eadem actio, ut adductiva corporis Christi, in ipso Christi corpore recipitur; illud enim est, quod adducitur, id est, acquirit esse sub speciebus panis, quod antea non habebat. Quod autem S. Thomas et alii dicunt, corpus Christi incipere esse in sacramento *non per mutationem sui*, sed *per mutationem panis in ipsum*, verum est, sed intelligi debet de mutatione deperditiva, non autem de omni mutatione. Nam vere corpus Christi, quod est in coelo, non mutat nec substantiam, nec ulla accidentia, nec ipsum etiam locum; tamen acquirit aliquid, quod non habebat, nimirum esse sacramentale, quod *sine aliqua mutatione* intelligi nequit »[4].

Subiectum eius partim panis, partim corpus Christi.

Christi corpus mutatur positive, acquirendo esse sacramentale.

---

[1] *Idem, Ibidem, loc. laud.*
[2] *Idem, Ibidem, loc. laud.*
[3] *Idem, Ibidem, loc. laud.*
[4] *Idem, Ibidem, loc. laud.*

20. Obiicit tandem sibi: « Si panis destruitur per negationem actionis, et corpus Domini ponitur in eucharistia per actionem positivam; ergo transsubstantiatio non est una actio, sed continet duo quaedam, nimirum negationem actionis, et actionem. — Respondeo: Transsubstantiatio est una actio; quia est quaedam voluntas seu volitio Dei, qua ipse vult non conservare panem, ut in eius locum ponatur corpus Domini »[1]. Haec Bellarminus.

Transsubstantiatio una actio, seu una Dei volitio.

21. Quae omnia in summam collecta nos instruunt, Bellarmini de sententia, transsubstantiationem esse: *Actionem quandam Dei volentis non conservare panis substantiam, ut sub speciebus ponatur corpus Christi.* Actionis vero huius formalis terminus *ad quem* est ipsa unio specierum cum Christi corpore; *totalis* ipsum Christi corpus ut speciebus unitum, adeoque praesens tam speciebus, quam ipsarum loco. Actio illa eadem dicitur *adductiva* a praecipua eius formalitate, qua in Christi corpore id fit, quod fieret, si per adductionem et motum localem ad species descenderet, nimirum fit esse sacramentale, ad quod sequitur praesentia sacramentalis in loco specierum. Admittit Em. Auctor Christi corpus mutari positive, sed accidentaliter, per receptionem in se illius actionis adductivae et unionis cum speciebus, panem vero, qui est terminus *a quo* secundum totam suam substantiam mutari negative per desitionem, aut non conservationem; inter utrumque demum terminum nonnisi moralem nexum, ex decreto Dei derivandum videtur agnoscere. Hanc doctrinam, exclusa solum denominatione *actionis adductivae*, quam dicendam esse potius *unitivam* aut *replicativam* autumat, in ceteris, praeter alios, sequitur etiam Sylvester Maurus[2].

Bellarminianae doctrinae summa.

§ IV.

Systema Cardinalis de Lugo.

22. Bellarminianam superiorem sententiam a Scoto mutuatam una cum sententiis P. Vasquez et P. Valentiae, quas nuper reprobarat, suo tandem modo concinnat, ac in re exhibet Cardinalis de Lugo. Monet inter alia universim: « Eo ipso, quod unum convertitur in aliud, dicitur unum fieri ex alio, et unum terminum formalem succedere alteri, et poni loco alterius, et supplere vicem illius. Supplere autem debet esse in ordine ad aliquod tertium, cui deest terminus *a quo*, et cui advenit terminus *ad quem* in aliquo munere, quod prior terminus exercebat circa aliquod tertium: quod idem munus exercet terminus adveniens, et ratione cuius successionis dicitur hoc secundum esse quod erat primum »[3]. Videlicet, iuxta de Lugo, conversio terminative inspecta est: Successio unius alteri in ordine ad idem munus circa aliquod tertium;

Quid universim sit unum in aliud converti.

---

[1] *Idem, Ibidem, loc. laud.*
[2] Sylvester Maurus, *Opus Theologicum, tom. 3. q. 140. n. 13. seqq.*
[3] De Lugo, *De Sacramento Eucharistiae, Disp. 7. Sect. 1. n. 8.*

ita tamen, ut positio unius secum deferat, saltem moraliter aut ex extrinseco Dei decreto, desitionem alterius[1].

Conversio eucharistica.

23. Scribit subinde: « Convenit cum P. Vasquez et P. Valentia in eo, quod (*in eucharistia*) non interveniat aliqua productio, vel conservatio nova alicuius termini substantialis, sed solum introductio nova corporis Christi sub his speciebus: quae quidem actio non debet appellari actio *adductiva;* tum quia adductio solum terminatur ad praesentiam localem, quae non sufficit ad conversionem istam, quae fit in ordine ad substandum accidentibus; tum etiam quia adductio sonat corpus Christi venire per motum localem successivum transeundo per medium, quod falsum est. Et ideo merito displicet communiter sententia, quae transsubstantiationem vocat *actionem adductivam.* Melius ergo dicitur *actio constitutiva corporis Christi sub speciebus*, connotando etiam desitionem substantiae panis. Nec enim unitio secundum se, nec desitio secundum se est adaequata conversio, sed utraque simul componit conversionem constantem ex utraque mutatione, ex desitione et unitione; a qua conversione panis denominatur conversus, et corpus Christi denominatur succedens pani, seu id, in quod substantialiter convertitur panis »[2].

Active non est actio adductiva, sed constitutiva corporis Christi sub speciebus.

Quid terminative et adaequate conversio eucharistica.

Quomodo corpus Christi cum speciebus panis uniatnr.

24. Ut vero unitionem Christi cum speciebus declaret, subdit suo modo Em. Auctor: « Restat nunc explicare qualis sit haec actio unitiva, et quem habeat terminum productum, et quomodo ratione huius actionis reperiantur in hac conversione omnes conditiones requisitae ad veram conversionem, quas memoravimus supra, *Sect. 1.* Et quod ad primum attinet, facile illud intelliges, si memineris quae dicta sunt Disputatione praecedenti *Sect. 2.*, ubi explicuimus qualis unio reperiatur inter corpus Christi et accidentia panis. Diximus enim hanc non esse unionem informationis, sed causalitatis, quatenus corpus Christi succedit substantiae panis in munere sustentandi illa accidentia in diverso genere causae et sine imperfectione, a qua sustentatione denominatur corpus Christi substare illis accidentibus, quia per illam exercet munus proprium substantiae circa accidentia. Ex quo fit positionem corporis Christi sub accidentibus esse illam actionem, qua corpus Christi sustentat accidentia ».

Continentia Christi sub speciebus exigit eius alligationem ad species.

25. « Ceterum, *prosequitur*, quoniam dicta *Sect.* 2. Disputationis praecedentis diximus hanc continentiam corporis Christi sub speciebus panis non solum importare sustentationem accidentium, sed etiam includere alligationem quandam corporis Christi ad species; quae quidem alligatio non oritur, ex natura rei, ex causalitate Christi in accidentia (poterat enim Christus sustentare efficienter accidentia sine intima praesentia cum illis, ut ibi dictum est); sed potius est vis quaedam, qua accidentia divinitus possunt secum trahere corpus Christi quocumque deferantur; hinc est quod illa sustentatio accidentium secundum se non est adaequata ratio

Alligatio est vis quaedam aut qualitas supernaturalis speciebus insita, ut secum trahant corpus Christi.

---

[1] *Idem, Ibidem, Sect. 7. n. 118. seqq.*
[2] *Idem, Ibidem, Sect. 6. n. 89.*

unitiva corporis Christi cum accidentibus, nisi prout denominatur ab alligatione proveniente ex illa vi accidentium attractiva corporis Christi. Nam corpus Christi unitum vel quasi unitum accidentibus seu substare illis includit haec duo, ut saepe dixi, scilicet corpus Christi sustentare accidentia efficienter, et habere intimam praesentiam inseparabilem ab illis. Primum provenit formaliter ab illa actione Christi in accidentia; secundum a virtute accidentium ad trahendum secum Christi corpus »[1].

Summa doctrinae et mens Card. de Lugo.

26. Ad normam igitur Cardinalis de Lugo conversio eucharistica, seu transsubstantiatio praesefert formaliter actionem quandam constitutivam Christi sub speciebus. Huiusmodi autem constitutio habetur ex eo, quod Christus unitur efficienter cum accidentibus sustentando illa, ipsisque adligatur ita, ut ibi sacramentaliter sit vel non sit, ubi sunt vel non sunt species consecratae. Unio effectiva Christi cum speciebus exhibet intimam praesentiam Christi sub illis, ut sustentantis illa in genere quidem causae efficientis, sed tamen quasi esset prima eorum radix, ipsa conservans in esse atque, si opus sit, *restituens*, uti faciebat substantia panis[2]. Alligatio vero significat illam eandem praesentiam, ut inseparabilem a speciebus consecratis. Vi utriusque Christi corpus succedit substantiae panis in substantiali munere sustentandi accidentia. Quapropter cum hoc, et tantum hoc, quatenus positiva mutatio est, universim innuat conversio substantialis, successionem nimirum unius substantiae loco alterius, quae ideo simpliciter desiit, in aliquo substantiali munere circa tertium; omnino dicendum est id locum habere in eucharistia ex vi actionis constitutivae Christi sub speciebus in ordine ad eas loco substantiae panis sustentandas, atque porro hanc actionem esse formaliter conversivam.

Doctrina Lugonis, in re a praecedentibus non discors, communis Doctoribus aliis.

27. Doctrina haec quae, si rem non dicendi modum spectes, uti partim diximus partim dicemus, a Bellarmino, Vasquesio, quin ab ipso Valentia revera traditur, coniuncta cum ea, quam ex ipso Lugone exscripsimus circa desitionem panis, sub diversis nominibus diversoque proponendi modo a Doctoribus aliis propugnatur, uti videre est praecipue apud Mastrium[3] et Billuartium[4]. Lugonem ex recentissimis sequutus est P. Lahousse[5]. Non est autem quare singulorum doctrinam ad unguem referamus cum, admisso vel reiecto fundamento principe, vel omnia reiicere liceat, vel saltem haud difficulter disiicere, quae supra circumque absona videantur, retinere contra vera et congrua. Superest ergo, ut praecipuam aliam hac in re sententiam exhibeamus, quae a Suaresio, plurimis aliis comitantibus Doctoribus non solum ex Societate Iesu, sed etiam ex Thomistis atque ex scholis aliis, quoad substantiam plenissime proponitur ac declaratur.

---

[1] *Idem, Ibidem, Sect. 6. nn. 91. 94.*
[2] *Idem, Ibidem, n. 97.*
[3] Mastrius. *De Eucharistiae Sacramento, Disp. 3. q. 12.*
[4] Billuart, *De Almo Euchar. Sacramento, Dissert. 1. a. 7.*
[5] Lahousse, *De Eucharistia, pars 1. c. 3. a. 2. § 3. n. 108. seqq.*

§ V.

Systema Suaresii.

28. Eximius Doctor, declarata breviter, uti nosmet ab initio fecimus, nominali conversionis notione illatoque, quod commune est omnibus, inter duos terminos positivos conversionem versari, statuit ad veram conversionem necesse esse: « Ut unus terminus, *ex quo* fit conversio, aliquo modo desinat esse, et alius, *ad quem* fit conversio, aliquo modo fiat, seu incipiat esse. Haec etiam assertio, *inquit*, communis est, et fere per se nota ex significatione vocis. Patet enim prior pars; quia quod convertitur, transit in aliud. Ergo necesse est, ut aliquo modo desinat esse. Item..... Altera pars de termino *ad quem* fere eisdem modis probari potest. Quia conversio, ut dixi, non est pura corruptio, vel desitio; sed includit positivum transitum vel effectionem aliquam positivam. Ergo necesse est, ut per eam aliquid fiat in re, ad quam conversio tendit. Nam impossibile est intelligere positivum influxum causae efficientis, quin illi respondeat aliquo modo fieri et factum esse in aliqua re. Secundo, quia hoc invenitur in omni termino *ad quem* cuiuscumque alterius mutationis *(positivae)*. Ergo et in hoc. Tertio, quia si ille terminus eodem modo se haberet, sicut antea, non esset ratio, propter quam alia res diceretur in eum conversa magis, quam in res alias, quia talis denominatio nullum habet in re fundamentum, sed gratis est conficta »[1]. Postremum hoc fuse declarat simul et probat: breviter demonstratio est. Nam fundamentum realis illius denominationis vel intrinsecum termino *ad quem* esse debet, vel aliquid eidem extrinsecum. Si intrinsecum est, cum prius non fuerit et nunc sit, factum in ipso de novo sit necesse est. Quod si intrinsece nihil de novo factum est, nulla etiam erit illius denominationis intrinseca ratio, uti ante conversionem non erat. Nequit autem illius denominationis fundamentum extrinsecum esse. Etenim vel hoc fundamentum esset realis forma in alio producta; et tunc hoc aliud esset terminus *ad quem* conversionis, non autem ille, qui conversionis terminus diceretur. Vel esset terminus *a quo* desinens; atque hinc non haberetur pro termino *ad quem* denominatio positiva. Vel haberetur ex concomitantia inter desitionem unius et positionem alterius; et tunc non esset ratio, quare in hoc potius quam in illud ex concomitantibus terminus desinens diceretur conversus. Vel demum haberetur ex intentione aut decreto agentis; atque hinc moralis aliqua, non physica exsurgeret denominatio.

Ex Suaresio terminus *a quo* desinere, terminus *ad quem* fieri aliquo modo debet.

Conversio includit positivum transitum et effectionem.

Nequit dici unum in aliud conversum, nisi in hoc aliquid fiat.

29. His praeiactis, subdit idem Auctor: « In omni reali conversione necessariam esse, ut minimum, unam realem actionem, et duas partiales mutationes, vel quasi mutationes »[2]. Sequitur ex

In conversione omni saltem una realis actio et duplex partialis mutatio.

[1] Suarez, *In 3.am p.em D. Thomae, q. 75. Disp. 50. Sect. 2. n. 5. seqq.*
[2] *Idem, Ibidem, n. 7. seqq.*

dictis. Si enim terminus *ad quem* aliquo modo fiat opus est, actione aliqua necesse est fieri. Praeterea cum ex vi actionis conversivae terminus *a quo* desinat, terminus vero *ad quem* incipiat esse, aliqua mutatio vel quasi mutatio in utroque locum habebit. — Cuiusmodi autem esse debeat duplex haec mutatio vel quasi mutatio, ubi de conversione substantiali agitur, sequenti docet asserto : « Dicendum est ergo ad veram conversionem substantialem requiri, ut ex parte utriusque extremi fiat aliqua mutatio, vel desitio, aut inceptio, aut denique nova aliqua dependentia substantialis, id est, ad ipsum esse substantiale aliquo modo terminata »[1]. Haec assertio quae, ex dictis in II. parte huius Disquisitionis, non immerito cum Thomistis D. Thomae, minus certo S. Bonaventurae a Suaresio generatim tribuitur, est quasi universalis collectio ex disputatis contra alias opiniones, contendentes mutationes solas accidentales posse sufficere : quae disceptatio id demum probat, insufficientiam mutationum vel quasi mutationum accidentalium ad proprie dictam substantialem conversionem constituendam.

In conversione substantiali actio mutatioque substantialis.

30. Adstruit quae Doctoribus plurimis, ut vidimus, communia sunt de nexu physico inter conversionis terminos, et de tertio communi : tum, ad conversionem eucharisticam descendendo, asserit : « In hac conversione necessariam esse aliquam actionem realem, qua corpus Christi sub speciebus panis constituatur : et hoc sensu dicimus, *inquit*, actionem hanc versari circa corpus Christi »[2]. Patet ex doctrina Patrum et quia, cum detur novus effectus realis, requiritur nova causalitas, aut nova actio. Subdit : « Haec actio non est in ipso Deo proprie, sed est aliquid creatum in ipso effectu, per quod pendet a sua causa »[3]. Ratio est, quod actio transiens, cuiusmodi est haec, non in principio, sed in termino recipitur. Subnectit : « Sicut in omni effectu distinguitur productio activa et passiva, et in omni conversione conversio activa et passiva; ita in transsubstantiatione distinguenda est transsubstantiatio activa et passiva; quia in ea reperitur agens efficiens illam, cuius effectio dicitur transsubstantiatio activa : ex parte vero effectus reperitur conversio unius rei in aliam, et haec optime dicitur transsubstantiatio passiva. Actio illa igitur intrinseca est transsubstantiationi activae, ut ex terminis constat, et inducit transsubstantiationem passivam, sicut actio inducit passionem. An vero illa actio sit tota transsubstantiatio activa, vel cum illa requiratur alia actio, dicam postea *Sectione 6.* et sequentibus. Addendum vero est etiam transsubstantiationem passive intellectam non consistere proprie in sola relatione praedicamentali, sed in dependentia effectus a causa, quae est per modum cuiusdam fieri; quia si est actio positiva, aliquid per eam fit, et ideo necesse est, ut illi respondeat fieri quasi passivum. Ergo transsubstantiatio quasi

In conversione eucharistica necessaria actio, qua corpus Christi sub speciebus constituatur.

Et quidem transiens.

Transsubstantiatio activa et passiva.

---

[1] *Idem, Ibidem, n. 14.*
[2] *Idem, Ibidem, Sect. 3. n. 3.*
[3] *Idem, Ibidem, n. 6.*

passiva primario consistit in hac dependentia, seu fieri unius termini cum desitione aut ex desitione alterius termini »[1].

Qualis actio transsubstantiativa, et quinam eius formalis terminus.

31. Post haec, novam init longamque disquisitionem, ut definiat qualis sit illa actio transsubstantiativa, et quinam formalis eius terminus sit: ipsane Christi praesentia sub speciebus; an modus unionis cum iisdem; an vero substantia corporis Christi, sive ut supplens officium substantiae panis; sive quatenus est: *id, quod erat panis, nunc esse corpus Christi*, videlicet quatenus fit aliquo modo ex pane; sive quatenus est id, in quod conversus est panis, nimirum quatenus est ultimus conversionis terminus; sive demum quatenus substantia corporis Christi hac actione poni potest quamvis, quia de facto exsistit, de facto non ponatur. His autem sententiis omnibus reiectis, sic demum mentem aperit suam: « Quintus demum modus explicandi hanc sententiam *(quae universim statuit terminum formalem actionis conversivae esse ipsam substantiam corporis Christi)* est, substantiam corporis Christi esse terminum huius actionis, quia verba consecrationis re vera influunt de facto ipsum esse substantiale in corpus Christi, et consequenter habent veram actionem substantialem, quae nunc dicitur esse per modum conservationis; quia aliunde supponitur eadem res alibi antea exsistens: et in hunc modum posset illa actio dici esse sufficiens productio termini, si alibi non esset; nunc vero de facto solum habere rationem conservationis, iuxta dicta supra *Disputatione praecedenti, Sect. 1.*, ubi late ostendi hunc modum actionis esse possibilem »[2].

Potest Christus fieri substantialiter praesens in eucharistia per actionem substantialem.

32. In laudata modo Disputatione de re nostra sic habet: « Dico tertio potuisse Christum fieri substantialiter praesentem intra panem per actionem substantialem, per se primo terminatam ad substantiam corporis Christi per modum creationis vel conservationis, ad quam talis praesentia consequatur. Probatur..... Quarto hinc colligo posse rem factam et exsistentem in uno loco de novo in alio loco constitui per actionem novam terminatam ad substantiale esse ipsius rei conservatae in tali loco. Probatur, quia eadem res potest conservari duplici actione, ut dictum est. Ergo cum possit simul poni in diversis locis, ut suppono, poterit in uno conservari per unam actionem, et in alio per aliam. Probatur consequentia; quia cum duae actiones et inter se et a termino ex natura rei distinguantur, poterit per unam earum res fieri et conservari in uno loco, et per aliam in alio..... »[3].

Deus potest efficere eundem effectum per duas actiones totales.

33. Demum sequenti pacto rem totam declaret: « Sicut Deus, *inquit*, potest efficere eundem effectum per duas causas secundas totales; ita posset se solo eundem effectum facere per duas actiones totales; quia quod potest facere per causas secundas efficientes, potest se solo praestare. — Dices: Quando concurrunt duae causae secundae, habent actiones, unde distinguantur; at vero re-

---

[1] *Idem, Ibidem, n. 7.*
[2] *Idem, Ibidem, Sect. 3. n. 10.*
[3] *Idem, Disp. 49. Sect. 1. nn. 5. 9.*

spectu ipsius solius Dei minime. — Respondeo ad hoc sufficere eminentiam divinae virtutis, quae efficaciam habet ad agendum pluribus actionibus inter se distinctis, sicut potest Deus creare rem unam una actione et annihilare illam, ac potest eam reproducere alia actione distincta; quia ad agendum hac vel illa actione non determinatur a loco, tempore vel circumstantiis, sed a sua libera voluntate. Addo: ad praesentem difficultatem non refert hoc, sed satis est, quod in uno loco possit res immediate conservari a Deo, *in alio vero fieri seu conservari medio instrumento creato.* Nam hoc satis est, ut oporteat actiones esse distinctas, ut tractando de actione sacramentorum in genere latius diximus »[1].

Ex Suaresio ad transsubstantiationem concurrit instrumentum creatum.

34. Quae ultimo loco innuit Suaresius de instrumento creato in Dei actione, omnino notanda sunt. Docet enim tum creatum instrumentum ad transsubstantiationem concurrere; tum hinc etiam actionem transsubstantiativam distingui arbitratur ab actione, qua Christi Humanitas gloriosa a Deo in coelis conservatur. Porro eiusmodi instrumentum, eius de sententia, duplex vel triplex est. Primum est ipsa Christi Humanitas prout est in coelo quae, uti docet cum D. Thoma in *Tractatu De Incarnatione*[2], et alibi, est physicum coniunctumque instrumentum Verbi quoad omnes omnino gratiae effectus, quorum unus abs dubio est ipsa transsubstantiatio. Alterum instrumentum effectivum sunt ipsa verba consecrationis, quatenus habent vim transsubstantiationem efficiendi, ipsamque significando efficiunt. Tertium demum est ipse Sacerdos, quatenus prolatione verborum formae ministerialiter conficit sacramentum.

Quod et quotuplex illud sit.

Doctrinae Suaresianae summa.

35. Suaresiana igitur, hac in re, sententia est transsubstantiationem formaliter active inspectam esse actionem Dei Verbi, quatenus usus sua Humanitate, prout in coelis est, ceu causa instrumentali universali, et ministerio Sacerdotis influxuque verborum, ceu causa instrumentali particulari, ponit sub speciebus panis illam eandem actionem substantialem, qua Christi Humanitas, ut unita ipsi Verbo, conservatur in coelis, atque adeo reproducit seu incipit conservare sub speciebus illam eandem individuam substantiam, ut sibi unitam; ex qua conservatione vel reproductione fit, ut Christus ille idem substantialiter hic sit, seu incipiat esse sub speciebus. Cum autem hic ponatur Christus, ut influxu instrumentali, effectivo, physico suae Humanitatis, modo superius declarato, sustentet una cum Verbo *in se et per se* panis accidentia; ex vi huius sustentationis et modi essendi ipsorum accidentium tum separantur quantitas et alia accidentia a substantia panis; tum removentur dispositiones requisitae, ut forma panis materiam informet. Materiam autem nova forma minime subeunte, tam materia, quam forma panis connaturaliter desinunt, uti sequela positionis corporis Christi sub speciebus; ipse vero Christus ibi erit

---

[1] *Idem, Ibidem, n. 11.*

[2] *Idem, In 3.am p.em D. Thomae, q. 13. Disp. 31. Sect. 3. seqq. — et q. 83. Disput. 77. Sect. 1. etc.*

ad modum substantiae, seu sine habitudine quantitativa ad locum, sed cum habitudine ad species, cum quibus efficienter unitus acquirit *esse sacramentale;* ac rursus cum habitudine quasi substantiae ad locum specierum ex *Ubi* sacramentali aut sacramentali praesentia repetenda. Hoc totum ex Suaresio est, quod adaequate significat transsubstantiatio.

§ VI.

Proposita systemata inter se conferuntur.

Suaresius et Doctores, qui cum ipso consentiunt, transsubstantiationem explicant per actionem influentem esse substantiale corporis Christi.

36. Si quis iam sententias huc usque relatas inter se conferat, pervidebit profecto Suaresium et Doctores alios, qui in substantia cum ipso conveniunt, transsubstantiationem explicare ex vi actionis substantialis influentis denuo sub speciebus panis illud idem individuum esse substantiale, quod Christus habet in coelo, sine ordine tamen quantitativo ad locum; ad quam aut *natura prius* disponit ultime, aut quam *natura simul vel post* subsequitur desitio substantiae panis. Quapropter Doctoribus hisce passive transsubstantiatio est: Desitio totius substantiae panis sub speciebus ex vi productionis corporis Christi sub iisdem.

Quid hisce transsubstantiatio passiva?

Bellarminus, Valentia Lugo aliique transsubstantiationem explicant per actionem ordinantem et unientem corpus Christi cum speciebus.

37. Bellarminus vero, Valentia, de Lugo transsubstantiationem declarant per actionem quandam ordinantem ad species Christum, prout est in coelo, ipsumque cum speciebus unientem; ex qua unione, uno aliove modo superius declarato, tum desinit tota panis substantia, tum Christus esse sacramentale et localem praesentiam hic tandem acquirit. Horum ergo et eorum Doctorum, qui cum ipsis collineant, sententia est transsubstantiationem passive inspectam esse: Desitionem totius substantiae panis ex vi unionis corporis Christi cum panis specibus. Data enim eiusmodi unione, desinenti toti substantiae panis substantia corporis Christi sub speciebus succedit et est vel sine alio, vel cum munere active sustentandi accidentia.

Quid ipsis transsubstantiatio passiva?

Ab his re Vasquez non differt, sed solum in modo loquendi.

38. Porro doctrina P. Vasquez quamvis ab his differre videatur, differentia tamen non in re est, sed in modo loquendi. Nam P. Vasquez cum Scoto et Bellarmino admittit omnino actionem adductivam, terminatam primo et per se sive ad unionem Christi cum speciebus, sive saltem ad sacramentalem praesentiam, et consequenter ad alia. Contendit tamen hanc non esse dicendam formalem conversionem, sed causalem, uti alii dicunt eam esse conversionem activam. Qui etiam *passive* non vult terminum talis actionis esse *formaliter* conversionem, sed solummodo *fundamentaliter:* relationem vero ordinis et successionis ex hoc fundamento resultantem inter desitionem substantiae panis et positionem corporis Christi vocat formaliter conversionem. Verum haec non ad rem ipsam, sed ad modum loquendi videntur pertinere.

39. In praesenti materia, uti ex huc usque dictis facile intelligitur, ex actione conversiva et ex termino per se pendent omnia. Actio autem conversiva, quocumque dicatur nomine, aut produc-

tiva, aut conservativa seu quasi conservativa, aut replicativa, aut adductiva, aut unitiva, aut introductiva sive constitutiva corporis Christi sub speciebus, certe necessario erit aut *actio substantialis* seu substantiale esse in Christum influens sub speciebus; aut *actio accidentalis* seu conferens esse aliquod accidentale. Terminus item per se heic alius esse nequit, nisi aut ipsa substantia corporis Christi, aut esse sacramentale, aut localis praesentia, de quibus in superioribus disseruimus: nimirum aliquid aut accidentale, aut substantiale. Hinc sententiae omnes ad transsubstantiationem explicandam excogitatae, aut forsan etiam excogitandae, si tenent substantiam panis per quandam quasi corruptionem desinere, ad alterutram ex his duabus revocabuntur. Rectissime igitur scripsit Em. Card. Billot: « Restat ut *(corpus Christi)* fiat de novo in altari praesens vel quia ibi producitur, vel quia illuc adducitur. Medium certe non datur: poterunt forte fingi varia vocabula ad denominandam dictam actionem; sed, relictis quaestionibus de nomine, vel erit actio influens esse substantiale corporis Christi, vel erit actio qua, citra ullum influxum esse substantialis, corpus Christi in coelo praeexsistens et ibidem semper manens, acquirit novam determinationem accidentalem »[1].

Actio conversiva necessario aut substantialis, aut accidentalis.

Sententiae omnes, quae panis substantiam per aliqualem corruptionem desinere docent, ad superiorum alterutram necessario revocandae.

40. Ex dictis sequitur relatas in hac sectione sententias, supposita generali quam modo tradidimus divisione, inter se quoad substantiam non differre, quamvis in peculiari modo actionem illam formalemque terminum declarandi quadantenus differant. Si igitur substantia explicationis reiiciatur, ipsi peculiares modi eam proponendi cum ipsaque connexi una reiicientur. Quod si sine connexione cum re principe afferantur in medium, aut despicientur aut, si e re sit, de iis peculiare erit iudicium. Admissa vero substantia explicationis, admittentur etiam peculiares declarandi modi cum eadem connexi, in ceteris quae sapientiae congruat erit libertas.

Collectio ex dictis.

SECTIO IV.

DEFINIUNTUR SENSUS THEOLOGICI DOGMATIS TRANSSUBSTANTIATIONIS, ET PROPONITUR CONTROVERSIA.

1. Quae non solum de dogmate transsubstantiationis, sed etiam de ipsius dogmatis intellectu ab Ecclesia definita aut proposita sunt, Catholici Doctores omnes summa consensione recipiunt tuenturque. Definitum propositumque est totam panis vinique substantiam converti in corpus et sanguinem D. N. I. C.; declaratum est conversionem hanc esse mirabilem, singularem, et aptissime transsubstantiationem appellari. Definitum est totam panis substantiam in eucharistia non remanere, manentibus duntaxat speciebus; Christum autem ibi esse vere, realiter, substantialiter praesentem. Propositum una vel alia ratione est, uti in prima parte

Quae ab Ecclesia definita aut proposita sunt.

[1] Billot, *De Sacramentis Ecclesiae, De Eucharistia, q. 75. § 2 n. 3.*

Quid Ecclesia non declaravit.

expendimus, utrumque hoc haberi ex vi conversionis totius substantiae panis et vini in Christi corpus et sanguinem. Quid autem proprie conversio sit, et quomodo ex vi conversionis desinat tota substantia panis, et Christus fiat praesens sub speciebus, Ecclesia nec definivit, nec ad unguem declaravit; quamvis ex iis, quae docet, satis manuduci iuvarique possimus, uti videbimus, ad utrumque illud declarandum. Factum hinc est, ut Theologi quoad bina haec in diversas iverint sententias, quas nunc ex omnibus dictis ordinate colligemus, ut verae sententiae constabiliendae viam sternamus.

2. Principio quidem, quandoquidem catholicorum hominum sententias disquisitioni subiicere mens est, binae sunt recolendae dogmatis transsubstantionis recentissimae explicationes ab Ecclesia reprobatae, ut convenientem in hoc opere nostro, ut diximus, castigationem inveniant. Prima est Rosminii, coniecturam quandam ex suo philosophico systemate proponentis: *panem dici posse transsubstantiari in Christi corpus vinumque in sanguinem, quod Christus ea facit terminum sui principii sentientis, ipsaque sua vita vivificat*[1]. Altera est Baymae contendentis: *Transsubstantiationem explicari posse ex eo, quod Christi corpus, dum fit substantialiter praesens in eucharistia, panis vinique naturam, quae quoad materiam et formam elementorum manet, active sustentat, efficitque ut illa non in se, ad modum substantiae, sed in ipso sit ad modum supernaturalis accidentis, et sic in ipsum transeat, aut transsubstantietur*[2].

Sensus erroneus Rosminii.

Et Baymae.

3. Binis hisce erroribus exclusis, sententias illas tres quas, cum de theologici intellectus dogmatis transsubstantiationis evolutione ageremus, missis sententiis obsoletis, recensuimus, ex pleniori declaratione tertiae sententiae, in hac tertia parte tradita, in sententias quatuor oportet dispescere. Prima transsubstantiationem explicat *per positivam mutationem solius substantiae panis in Christi corpus.* In hac sententia transsubstantiatio est una simplex actio, qua Deus, qui ut auctor totius entis potest in totum ens, immediate mutat in id, quod est entitatis in substantia corporis Christi, quidquid entitatis est in substantia panis, ita ut subiectum patiens non sit ullo modo Christus, sed solus panis, cuius transit substantia, et remanent dimensiones. In hac doctrina nihil desinit via annihilationis, sive propriae sive impropriae, sed via, ut ipsi aiunt, proprie dictae conversionis unius individuae substantiae in individuam substantiam corporis Christi; ipse autem Christus fit praesens, ubi antea non erat, ex hoc solo, quod vi conversionis acquisita est remanentibus dimensionibus panis transsubstantiati habitudo realis continentiae erga id, ad quod terminata est conversio. Cum enim in transsubstantiatione motus corruptionis et generationis esse non possit, restat ut totalis desitio unius extremi sit ipsissima successio alterius quadam ineffabili et inexplicabili ratione: quatenus panis substantia secundum se totam cessat, non

I.us sensus catholicus transsubstantiationem explicans per mutationem positivam panis in Christi corpus.

Transsubstantiatio una simplex actio.

Vi conversionis acquiritur dimensionibus realis habitudo continentiae corporis Christi.

[1] Vide supra, *part. 1. Sect. 2. § VII. n. 39.*

[2] *Eodem loco, n. 38.*

quidem per lapsum in non esse, et subtractionem influxus Dei portantis omnia verbo virtutis suae, sed *omnino actione positiva omnipotentiae, per quam in uno indivisibili instanti tota desinit in corpus Christi praeexsistens et immutatum.*

Quid obscurum in superiori sententia.

4. In qua sententia, praeter alia, non satis intelligitur, utrum singulae panis substantiae, quae in substantiam corporis Christi convertuntur, in illam unam Christi corporis substantiam convertantur, quae est in coelo et quatenus est in coelo; an vero convertantur quidem in illam unam corporis Christi substantiam, quae est in coelo, ast non quatenus est in coelo, sed quatenus est sub singulis speciebus. Dicuntur enim dimensiones panis transsubstantiati habere habitudinem realis continentiae erga id, ad quod terminata est conversio. Altero sensu, corpus Christi esset substantialiter sub hac aut illa specie; et, quamvis sit unum individuum, erit virtute multiplex. Haec autem consequentia a patronis huius sententiae expresse negatur. Ipsa, aiunt, panis substantia immediate convertitur in substantiam praeexsistentem corporis Christi, quod ex tunc, absque ulla sui mutatione vel *virtuali multiplicatione*, incipit esse sub dimensionibus illis. Ex mente ergo horum Doctorum videtur esse, vi conversionis, vel species panis acquirere habitudinem ad illam unam corporis Christi substantiam, quae est in coelo et quatenus est in coelo, et sic substantialiter Christi corpus continere; vel acquirere habitudinem ad substantiam corporis Christi, quod est in coelo, ast non quatenus est in coelo, sed *quatenus est substantia*, atque a loco determinato praescindit. Quasi substantia etiam creata, utut una et limitata, quatenus substantia est, non solum indifferens sit ad hunc aut illum extrinsecum locum; sed sit, sin minus exigens, saltem positive capax et sufficiens ad omnia loca, aut ad haec et illa loca extrinseca, suo modo, occupanda et, ratione suae unitatis et limitationis, non exigat unum tantum extrinsecum locum occupare, quamvis, si locus sit, non hunc vel illum determinate; aut *ex suo quasi loco intrinseco*, uti in superioribus declaratum est, ad unum locum extrinsecum non definiatur. Quapropter, in hac sententia, vel videntur species adduci ad Christum in coelum, cum eiusque substantia quodammodo uniri, uti in quorundam aliorum sententia, vi conversionis, dicitur Christi corpus ad species adduci, cum ipsisque uniri; vel substantiam corporis Christi, ut substantia est, unam eandemque esse posse connaturaliter aut supernaturaliter *per seipsam* in pluribus locis disiectis, quin sit in medio: quod veteres quidam de Angelis opinati sunt[1].

Determinatur quodammodo sensus.

2.us sensus transsubstantiationem explicans per annihilationem panis et positionem corporis Christi.

5. Altera sententia transsubstantiationem explicat *per mutationem mere negativam, seu per proprie dictam annihilationem substantiae panis, et positionem corporis Christi sive substantiali productione, sive accidentali adductione aut unione*, prout aliter et aliter contendunt huius sententiae patroni in superioribus laudati. Iuxta hanc sententiam conversio eucharistica est: *annihilatae substantiae*

[1] Cfr. Suarez, *De Angelis, lib. 4, c. 10.*

Animadversio ex Suaresio.

panis realis corporis Christi successio. « Dices annihilationis nomen et rationem pugnare cum ratione et nomine conversionis. At praedicti auctores facile hoc negabunt; quia licet totus transitus panis in corpus Christi, ut includit duas mutationes et plures terminos, non possit dici annihilatio, quia altera illarum mutationum tendit ad terminum positivum; tamen altera mutatio praecise sumpta, quae fit in substantia panis seu termino *a quo*, potest iuxta hanc sententiam dici annihilatio, quia est transitus in nihilum. Non enim repugnat eandem substantiam omnino desinere esse et, ut sic, annihilari, et illi succedere aliam substantiam et, ut sic, converti: sicut in transmutatione rerum naturalium eadem res simul corrumpitur, et convertitur in aliam; quia et desinit esse substantialiter per separationem formae a materia, et illi formae succedit alia forma in eadem materia. Unde licet totus ille transitus unius rei in aliam non sit corruptio, sed conversio; tamen altera mutatio praecise sumpta, quae fit in termino a quo, est corruptio. Sic ergo existimat haec opinio dici posse in praesenti conversione »[1]. Haec Suaresius.

Non repugnat eandem substantiam annihilari et converti sub diverso respectu.

Res naturalis corrumpitur, et convertitur in aliam.

3.us sensus transsubstantiationem explicans per mutationem quasi privativam panis, et adductionem corporis Christi.

4.us per eandem quasi privationem, et productionem corporis Christi.

6. Tertia et quarta sententia, in quas dividitur communissima opinio Theologorum, illae sunt, quas Sectione praecedente proposuimus. Utraque transsubstantiationem explicat *per mutationem quodammodo privativam in panis substantia;* sed tertia *ex vi actionis et termini accidentalis in ipso Christi corpore recepti;* quarta *ex vi actionis et termini substantialis, seu ex productione ipsius Christi corporis sub speciebus.* Et quidem si in hisce sententiis illa resecentur quae, etiam praescindendo a rerum veritate, superflua sunt ad mysterium quadantenus explicandum, reliqua haud difficili negotio maiori minorive probabilitate poterunt sustineri. Nostro autem iudicio superflua sunt in sententia quidem P. Valentiae, *modus ille substantialis et unio prima corporis Christi cum accidentibus;* in sententia P. de Lugo, *alligatio Christi ad species, et modus physicus praesentiae sacramentalis de praedicamento Ubi;* in sententia P. Lahousse, quae modo innuimus in de Lugo, et *qualitas supernaturalis infusa Christi corpori, ut active possit sustentare accidentia;*[2] in sententia demum Suaresii et aliorum, *modus physicus intrinsecus corpori Christi de praedicamento Ubi pro praesentia sacramentali, et alius modus physicus in accidentibus, quo haec in se et per se constituantur.*

In 3.° et 4.° seusu superflua.

Propositi sensus crisi subiiciendi.

7. Sententiae istae quatuor, donec Ecclesia aliud non determinet, libere in sinu eiusdem Ecclesiae possunt defendi et, sub hoc respectu, lato aliquo sensu *doctrinae catholicae* possunt appellari[3]. Aequae autem crisi nobis sunt subiiciendae, ut *negative* quidem pateat, utrum earum aliqua, obiective inspecta, possit dici non conformis vel minus conformis veritati catholicae; *positive* vero quaenam cum eadem veritate plenam aut pleniorem sibi vindicet

[1] Suarez, *In 3.am p.em D. Thomae, q. 75. Disp. 50. Sect. 7.*
[2] Cfr. Suarez, *In 3.am p.em D. Thomae, q. 13. Disp. 31. Sect. 5. seqq.*
[3] Hurter, *Theologia Generalis, Tract. 4. Sect. 3. n. 673. Nota.*

consonantiam. Quandoquidem autem, nostra de sententia, Suaresii et consentientium Doctorum opinio, ad substantiam quod attinet, praeferenda videtur, opus est ut perpaucis significemus, qua tandem ratione eam tueamur.

Auctoris sensus proponitur.

8. Intelligimus ergo eo ipso instanti, quo Sacerdos prolationi verborum formae finem imponit, SS. Trinitatem, (et per appropriationem Verbum aut Spiritum Sanctum) usam Humanitate Christi, tanquam instrumento coniuncto aut causa instrumentali universali omnium effectuum gratiae: Summum item Sacerdotem Christum Iesum usum verbis Sacerdotis secundarii, tanquam causa instrumentali particulari ac ministeriali, elicere in loco specierum et sub ipsis speciebus illam eandem actionem substantialem, qua Humanitas Christi Domini Verbo hypostatice unita a Deo solo conservatur in coelis; eundemque Christum hic reproducere, ut sit loco substantiae panis, et huius substantiae accidentia *in se ac per se* active seu efficienter instrumentali influxu secum constituat, ac porro conservet. Ex vi huius actionis intelligimus Christum Iesum simul incipere esse sub speciebus, ut conservantem accidentia panis *in se et per se*, atque substantiam panis, privatam influxu sustentativo suorum accidentium et a sua quantitate separatam, desinere esse, tanquam sequelam positionis Christi sub speciebus, atque adeo *natura posterius*, quam Christus positus est. Prioritas autem haec et posterioritas naturae in ipsa conversione, cum non excludant prioritatem substantiae panis toto tempore ante instans conversionis, et posterioritatem Christi in tempore post, intactum relinquunt ordinem successionis realis corporis Christi post panis substantiam.

Declaratur.

9. Itaque in transsubstantiatione agnoscimus: — α) Binos terminos positivos: — β) Binas mutationes, stricte loquendo, improprias; cum in neutra detur commune subiectum proprie dictum, quod transeat ab uno esse ad aliud esse, vel ad aliquod non esse: γ) Harum mutationum alteram intrinsecam et substantialem in panis substantia, quae secundum se totam desinit, seu abit in nihilum; alteram vero in Christi corpore, verum non *intrinsecam*, ac minus multo substantialem, sed tantum *extrinsecam:* — δ) Extrinsecam autem huiusmodi mutationem haberi, quatenus quamvis individua illa eadem Christi substantia, quae in coelo est, heic ponatur; tamen ponitur 1.° cum nova dependentia a causis instrumentalibus; 2.° ut efficienter sustentans accidentia; 3.° sine extensione actuali in ordine ad locum; 4.° ut extrinsece modificata determinatis illis punctis fixis, quae modificatio formaliter constituit praesentiam, vel quasi praesentiam localem, uti superius declaratum est: — ε) Binas actiones partiales unam totalem integrantes; quarum una ea est, qua sub speciebus producitur corpus Christi, et consequenter acquirit illum extrinsecum praesentiae modum ad normam substantiae aut spiritus; altera vero, qua panis accidentia *in se et per se* a Deo et Christi corpore incipiunt conservari, atque adeo separantur a subiecto quod, cum in tali conditione ipsi non debeatur conservatio, connaturaliter desinit. Hinc uti duplex

est partialis actio, una autem totalis; ita duplex etiam est partialis effectus, unicus totalis, positio nimirum Christi illo determinato modo sub speciebus, ex quo sequitur ex natura rei desitio substantiae panis, aut etiam transitus substantiae panis in corpus Christi: ζ) — Connexionem inter binas, quarum meminimus, quasi mutationes haberi *remote* quidem ex Christi voluntate ac decreto, ordinem sacramentalem constituente; *proxime* vero ex natura rei, seu ex actione conversiva adaequate inspecta: quod utrumque ex veritate verborum formae sufficienter colligitur: — η) Dari aliquid commune utrique conversionis termino, videlicet species seu accidentia panis et vini, quae dici possunt *analogice* subiectum conversionis, vel *medium* aut *tertium* commune, in ordine ad quod termini *a quo* et *ad quem* inter se pugnant, atque porro ad positionem unius sub ipso sequi connaturaliter debet desitio alterius.

Quomodo actio conversiva nominibus variis possit denominari,

10. Haec omnia, nostra de sententia, sive active sive passive actio conversiva reapse complectitur. Quae actio dici potest *productiva*, aut *reproductiva*, aut *reduplicativa* ipsius corporis Christi; quia vere Christi corpus substantialiter sub speciebus ponit, atque adeo *secundo producit*, aut *reproducit*, aut *reduplicat*, cum Christus, prout in coelo et in sacramento est, sit revera *bis idem*. Potest dici, et dicitur de facto ab aliquibus, *actio conservativa*, aut *quasi conservativa* corporis Christi; quia illa productio aut reproductio habetur ex positione in alio loco illius eiusdem actionis, qua Christi Humanitas in coelo conservatur. Hinc, de facto loquendo, praesentia sacramentalis, concrete aut adaequate inspecta, pendet a praesentia et exsistentia connaturali Christi in coelis; quamvis, absolute loquendo, si Christus non exsisteret, illa actio talis sit, ut posset sufficere ad ipsum *de novo* aut *primo* producendum. Ratio est, quod verba consecrationis de facto non habent vim efficiendi, nisi ex Christi institutione et influxu. Christi autem institutio et influxus Christum ipsum connaturaliter exsistentem supponunt. Itaque licet, si rem absolute consideremus, non repugnet, ut actio aliqua proportionata, ac porro haec de qua loquimur, effectum habeat proportionatum; si tamen actio illa haberi nequeat nisi in determinatis adiunctis, his praecisis, nihil aliud remanebit, nisi possibilitas absoluta illius effectus. In praesenti autem providentia actio illa dari nequit, nisi ex hypothesi exsistentiae connaturalis ipsius Christi.

Praesentia sacramentalis a connaturali Christi praesentia dependens.

11. Rebus ita declaratis, superest ut controversia polemice definiatur. Quamvis autem nostra sententia contra tres alias simul militet; tamen cum prima punctum praecipue controversum est: Utrum substantia panis desinat *ex vi mutationis positivae aut negativae;* cum secunda: Utrum desinat *ex vi mutationis mere negativae*, seu per proprie dictam annihilationem; cum tertia, prima et cum quibusdam patronis secundae: Utrum Christi corpus fiat in sacramento praesens *ex vi actionis productivae*, idque ad veram conversionem eucharisticam requiratur. Atque haec sint satis.

QUARTA PARS — POLEMICA

THESIS I.

Rosminii coniectura de transsubstantiatione substantiae panis et vini in Christi corpus et sanguinem, obiective loquendo, haeretica est, et a doctrina catholica prorsus aliena. — Qua nota eiusdem transsubstantiationis Baymae explicatio non eximitur.

Prima thesis pars.

1. DECLARATUR. Iam in superioribus monuimus Rosminii coniecturam in re praesenti esse: *Panis vinique substantiam in Christi corpus et sanguinem transsubstantiari, quatenus vi verborum consecrationis Christus eam facit terminum sui principii sentientis.* Hanc autem coniecturam non in Rosminii *sensu subiectivo*, sed in *sensu solummodo obiectivo* haereticam dicimus. Ut enim rectissime scripsit Em. Card. Mazzella: « Rosminius potuit, falsae philosophiae principiis imbutus et abreptus, non ex pravo nocendi animo, sed bona fide *(haereticos)* imitari. Quod quidem si, ut diximus, eius doctrinam a censura non liberat, ipsum auctorem minus offendit: eo vel magis, quod propositiones ipsius damnatae fuerint in sensu auctoris non *subiectivo*, sed *obiectivo* »[1]. Porro primam hanc thesis partem in commata bina dispescimus: in primo ostendemus Rosminii coniecturam, obiective loquendo, esse negationem doctrinae fidei, ut credendae ab Ecclesia propositae; in altero, eam a doctrina catholica universim inspecta esse prorsus alienam.

Thesis declaratur.

Rosminii coniectura.

Monitum Card. Mazzella.

In 1.ª parte thesis commata bina.

2. PROBATUR 1.um COMMA. Iuxta Rosminii coniecturam in Eucharistiae Sacramento, peracta consecratione, remanet tota substantia panis et vini. Atqui hoc, obiective loquendo, haereticum est. Ergo Rosminii coniectura de transsubstantiatione substantiae panis et vini in Christi corpus et sanguinem, obiective loquendo, haeretica est. — *Prob. mai.* Iuxta Rosminii coniecturam, peracta consecratione, substantia panis et vini nullo modo physice mutatur, utut dici possit intentionaliter, id est, in ordine cognoscitivo aut morali mutari. Explicatur enim transsubstantiatio per hoc, quod substantia panis et vini fit terminus principii sentientis ipsius Christi. Corpus autem fieri terminum principii sentientis, in doctrina Rosminii, est ipsum corpus sentiri aut *sensu subiectivo, uniformi, ac simplicissimo*, ac certo quodam modo *muto, surdo ac caeco, omninoque obtuso;* aut *sensu extra-subiectivo, eoque vivo, vario, mobili, definito* etc.[2]. Utroque autem modo, uti per se notum est,

Prob. 1.um comma.

Iuxta Rosminii coniecturam, in eucharistia remanet tota substantia panis.

---

[1] *Rosminianarum Propositionum... trutina Theologica, Praefatio, pag. XVII.*

[2] Rosmini, *Antropologia, lib. 2. Sez. 1. c. 8. a. 2. — Nuovo Saggio, Sez. 5. p. 5. c. 3. seg.*

cognoscitiva aut moralis, non autem physica sentiti corporis habetur mutatio. Atqui quod, peracta consecratione, nullo modo physice mutatur, totum etiam in eucharistia remanet. Ergo, iuxta Rosminii coniecturam, peracta consecratione, in eucharistia remanet tota substantia panis et vini.

Obiectio.

3. *Dices:* Rosminius declarat panem et vinum in eucharistia fieri terminum principii sentientis ipsius Christi ad eum modum, quo panis vinumque, in nutritione nostra, fiunt terminus nostri principii sentientis. Fiunt autem terminus nostri principii sentientis non secundum *se tota*, sed secundum *partem*, ut ipse ait, *nutritivam*, quae carni et sanguini nostro assimilatur. Ergo non tota panis et vini substantia, ex Rosminio, in eucharistia remanere dicenda est.

Responsio prior.

4. *Respondeo 1.°* Data tota obiectione; ergo saltem remanet in eucharistia physica aliqua panis vinique pars ac, sensu Rosminiano, remanent elementa panis et vini[1]. Hoc autem, uti in exponenda fidei regula abunde probavimus, non minus derogat fidei catholicae, quam si dicatur *tota* panis vinique substantia remanere. Adde quod, dato et non concesso hunc in praesenti esse Rosminii sensum, absona alia sequerentur: conversionem nimirum eucharisticam non esse singularem ac prorsus mirabilem seu supernaturalem, sed communem ac naturalem; tum aut dari veram assimilationem nutritivam, etiam sensu Rosminiano, sine vi et actione potentiae nutritivae, aut Christum panem comedere vinumque bibere, ut ea sibi assimilet: quae absona sunt ac prorsus ridenda.

Responsio altera.

5. *Respondeo 2°.* Rosminium noluisse omnino aequiparare transsubstantiationem eucharisticam naturali nutritioni nostrae. Non enim usque adeo ineptus erat et absurdus, ut putaret per transmutationem naturalem, quae in nutritione fit, quaeque hic vel ab incorruptis speciebus excluditur, panis vinique substantiam corpori Christi assimilari, eiusque principii sentientis terminum fieri. Sensus ergo eius est ex vi consecrationis talem haberi unionem supernaturalem inter Christi principium sentiens ac panis vinique substantiam, ut haec illius fiat terminus, seu ab illo ut *sua* sentiatur. Hoc autem posito, sine physica ulla transmutatione, atque adeo ita ut tota maneat panis vinique substantia, ex Rosminii sententia, eadem fit terminus Christi principii sentientis.

Iuxta Rosminium, transsubstantiati panis substantia corpori Christi additur.

6. Quae responsio plenius intelligitur, unaque factum argumentum confirmatur ex sequentibus propositionibus, quae sunt principii positi illationes quaedam. Scribit enim: « Peracta transsubstantiatione, intelligi potest corpori Christi glorioso partem aliquam adiungi in ipso incorporatam, indivisam, pariterque gloriosam »[2]; atque ita ut: « In Sacramento eucharistiae, *vi verborum*, corpus et sanguis Christi sit tantum ea mensura, quae respondet quantitati *(a quel tanto)* substantiae panis et vini, quae transsub-

---

[1] *Idem, Antropologia, lib. 2. Sez. 1. 15. a. 3.*
[2] *Vide supra, p. 1. Sect. 2. § 7. prop. 30.*

stantiatur : reliquum corporis Christi ibi sit *per concomitantiam* »[1]. Ergo, per Rosminium, ex transsubstantiato pane et vino *aliquid* additur glorioso Christi corpori, et *tantum* additur, *quanta* erat substantia panis et vini. Ergo remanet tota substantia panis et vini; secus neque *addi*, neque per se posset *addi in illa quantitate*. Ceterum Rosminius in responsione ad secundam obiectionem, quam sibi proponit, contendit fidelem eucharistiam recipientem facere terminum sui principii sentientis eandem illam panis substantiam, quae in Christi corpus, suo sensu, transsubstantiata est. Haec autem, qua parte assimilatur, transit in fidelis nutritionem ; qua parte corrumpitur, alia egreditur via[2]. Ergo ubi solum in Christi corpus transsubstantiata est, *tota* remanet. Quapropter maior propositio argumenti nostri obiectivam Rosminii doctrinam revera continet.

Rosminii coniectura, obiective loquendo haeretica.

7. *Prob. min. 1.i argumenti.* Haec Rosminii doctrina haeretica est. Est enim formaliter primus Wikleffi articulus a Constantiensi ceu haereticus damnatus[3]. Tum asserit id, quod sub anathemate in secundo Tridentini canone damnatur[4]. Ad haec, negat id, quod Pius VI. in damnatione Pistoriensium agnoscit ad fidem catholicam pertinere ; videlicet, *post consecrationem, omnem panis et vini substantiam cessare, solis remanentibus speciebus*[5]. Praeterea Rosminiana illa doctrina negat veram transsubstantiationem conversionemque totius substantiae panis in corpus, et totius substantiae vini in sanguinem Christi, uti ex laudato secundo canone Tridentino apertissime patet. Quod idem colligitur ex modo agendi praecedentium Conciliorum. Ut enim in declaranda fidei regula ubertim expendimus, ex definito transsubstantiationis articulo permanentiam substantiae panis ab eucharistia excludebant ; vel damnabant formaliter permanentiam substantiae panis, quia haec transsubstantiationis erat negatio. Coniectura ergo Rosminiana est negatio duplicis articuli fidei catholicae, et consequenter est, obiective loquendo, haeretica.

Prob. 2.um comma.

Coniectura Rosminii non continetur in divina revelatione, sed ab hac excluditur.

8. Prob. 2.um Comma. *Rosminii coniectura a doctrina catholica est prorsus aliena.* Enimvero quod nullo modo continetur in doctrina revelata, imo quod a doctrina revelata, et a doctrina in revelatione fundata prorsus excluditur, alienum est a doctrina catholica quae, tota quanta est, divina revelatione firmatur et viget. Eiusmodi autem est coniectura Rosminiana. Nam : — α) cum probatum sit eam esse contra fidem catholicam, certissime sequitur eam in doctrina revelata non contineri, sed ab hac prorsus excludi ; revelatio enim revelationi nequit esse opposita, cum ab una prima et summa veritate loquente tota sit. Praeterea : — β) Rosminius coniecturam suam non ex Scripturis et Patribus, aut ex documentis aliis divinae traditionis ; sed ex theoriis Philosophiae, quae

---

[1] *Ibidem, prop. 31.*
[2] Rosmini, *Introduzione del Vangelo secondo Giov. Lez. 87, fin.*
[3] *Vide supra, p. 1. Sect. 2. § 3. n. 12. seqq.*
[4] *Ibidem, § 5. n. 23. seqq.*
[5] *Ibidem, § 6. n. 32. seqq.*

sola etiam ratione falsae demonstrantur, reapse corrivat. Quod autem huiusmodi est, non in divina revelatione continetur, sed ab ea necessario excluditur.

Coniectura Rosminii Scripturis Sanctis excluditur.

9. Sed enim: — γ) Coniectura Rosminii a Scripturis Sanctis excluditur. Stante coniectura Rosminiana, verba Christi: *Hoc est corpus meum*[1], hunc efficerent intellectum: *Hic panis, quem ut meum sentio, est corpus meum;* ex vi enim verborum, iuxta Rosminium, corpus Christi significatur et est in ea mensura, quae respondet quantitati panis, et est ipse panis ut sensus a Christi principio sentiente. Atqui eiusmodi intellectus verbis illis excluditur. Nam 1.° verba illa, id exigente crisi et totius Ecclesiae auctoritate, sensu obvio et naturali intelligenda sunt[2]. Sensus autem ille Rosminianus non est obvius et naturalis, sed reconditus et valde contortus. Tum 2.° verba illa sensu vero intelligenda sunt; sunt enim verba veritatis... Sensus autem Rosminianus est falsus; cum falsum sit ex eo, quod aliquid corporeum sentitur ab alio, huius verum corpus evadere. Sentio v. g. vestem, qua induor, et sentio ut *meam*, nec tamen ex hoc fit corpus meum; et in inferno ignem sentiunt damnati, et sentiunt ut *suum*, seu ut sibi debitum, quin tamen eorum verum efficiatur corpus. Ut enim aliquid verum alicuius efficiatur corpus, opus est ut unam cum eo naturam constituat substantivam, in unitatemque suppositi recipiatur. Quod vero aliquid uti obiectum sentitur, neutrum habetur. — Praeterea panis qui, iuxta Rosminium, secundum totam suam substantiam est in eucharistia, vel est simul cum Christi corpore, et habetur haeresis *Companatorum* aut *Consubstantiatorum;* aut assumitur, ex vi illius sensus, ab hypostasi Verbi, et habetur haeresis *Impanatorum;* aut assumitur a Christi corpore, et habetur haeresis Ioannis Parisiensis. Hi autem errores ipsa veritate verborum Christi ab Ecclesia damnati sunt, uti ex dictis de regula fidei omnino claret.—Tandem Tridentinum declaravit ex verbis Christi, quae aliter vera esse non possunt, Ecclesiam semper intellexisse veram conversionem fieri totius substantiae panis in corpus, et totius substantiae vini in sanguinem Domini[3]. In coniectura autem Rosminii nullo modo haberetur vera illa et physica conversio; quod enim physice manet idem ante et post, nullo modo physice mutatur, nec proinde physice convertitur. Coniectura ergo Rosminiana a Scripturis Sanctis, prout ab Ecclesia intelliguntur, certissime excluditur.

Eadem coniectura doctrina Patrum excluditur.

10. Praeterea: — δ) Eadem conioctura excluditur doctrinis Patrum. Ut enim, postquam ex tota antiquitate innumera Patrum protulit documenta, colligit Bellarminus: « Tertia classis, *inquit*, sumitur ex mutatione panis. Nam indicant Patres realem mutationem fieri multis modis. Primo, quia dicunt non remanere pa-

[1] *Matth., 26, 26. — Marc. 14, 22. — Luc., 22, 19. — I. Cor. 11, 24.*

[2] Cfr. Bellarminum, *De Sacramento Eucharistiae, lib. 1. cc. 9. 10.* — De Augustinis, *De Eucharistia, p. 1. a. 3. Thes. 2. etc.*

[3] Tridentinum, *Sess. 13. c. 4. — V. supra, loc. secundo laud.*

nem post mutationem, ut Cyrillus Hierosolymitanus, Ambrosius, Gaudentius *(Brixiensis)*, Chrysostomus, Gregorius Nyssenus, Emissenus *(seu Isidorus Hispalensis)*. Secundo, dicunt sensus falli in hac re, ut iidem Auctores, et praeterea Hilarius et Epiphanius. Tertio, dicunt sic mutari panem in carnem, ut mutabatur per nutritionem, Christo comedente, ut Nyssenus, Damascenus, et Theophylactus. Quarto, comparant cum realibus mutationibus aquae in vinum, virgarum in serpentes, et similibus. Vide Ambrosium, Cyrillum Hierosolymitanum, Cyrillum Alexandrinum, Augustinum, Emissenum, Damascenum. Quinto, dicunt ad istam mutationem requiri omnipotentiam Dei: Iustinus, Irenaeus, Cyprianus, Hilarius, Ambrosius, Nyssenus, Gaudentius, Proclus et alii »[1]. Alia etiam dicunt in hunc sensum Patres a Bellarmino heic non notata, quae nos opportuniori loco inferius dabimus. Ex his vero licet argumentari. In coniectura Rosminiana, uti probatum est, substantia panis physice non mutatur, ac tota manet, qualis erat prius. Ergo coniectura illa doctrinâ Patrum, quae panis physicam mutationem conversionemque exigit, penitus excluditur.

Chrysostomus.

11. Audiamus hac in re, omnium nomine, unum Chrysostomum loquentem: « Adest Christus, *ait*, et nunc is, qui mensam illam exornavit, hic ipse hanc nunc exornat. Non enim homo est, qui facit ut proposita efficiantur corpus et sanguis Christi; sed ipse Christus, qui pro nobis crucifixus est. Figuram implens (Σχῆμα πληρῶν) stat sacerdos verba illa proferens; virtus autem et gratia Dei est: *Hoc est corpus meum*. Hoc verbum transformat (μεταῤῥύθμίζει — *immutat*) ea, quae proposita sunt. Ac quemadmodum vox illa: *Crescite, et multiplicamini, et replete terram*[2], semel quidem prolata est, omni vero tempore naturae nostrae vim praebet ad filiorum procreationem; ita et vox haec, semel prolata, in Ecclesiis ad unamquamque mensam, ab illo tempore ad hodiernum usque tempus et usque ad adventum eius, victimam perfectam efficit[3] ».

Obiectio.

12. *Dices:* Uti Bellarminus concedit aut etiam contendit, Nyssenus, Damascenus, Theophylactus eucharisticam conversionem declarant conversione illa, quae in nutritione Christi, cum in terris ageret, locum habuit, et in communi apud nos nutritione obtinet. At hoc idem facit Rosminius sua coniectura. Ergo Rosminii coniectura ab horum Patrum doctrina, et consequenter a doctrina catholica non est aliena.

Responsio.

13. *Respondeo: Dist. mai.* Patres illi utuntur exemplo naturalis nutritionis ad insinuandum, generica et analogica quadam ratione, in eucharistia veram et physicam conversionem dari, *Conc. mai.* Ad aequiparandam conversionem eucharisticam cum naturali nutritione, *Neg. mai.* Et, *contrad. min.*, Nego *consequentiam*. Quid Patres illi intenderint, dum nutritionem meminere, ex eorum verbis intelligitur. Et Nyssenus quidem vult declarare quomodo

---

[1] Bellarminus, *De Sacramento Eucharistiae, lib. 2. c. 29.*
[2] *Gen. 1, 28.*
[3] S. Ioannes Chrysostomus, *Homilia I. de proditione Iudae, n. 6. P.G.T. 49. c. 380.*

Nyssenus.

homo, anima et corpore constans, cum Deo uniatur, et vitae immortalitatisque fiat particeps. Ait autem animam Deo uniri ac contemperari per fidem, atque : « Hinc salutis habet occasionem. Nam unio cum vita vitae habet societatem. Corpus autem alio modo venit ad participationem et contemperationem eius, quod dat salutem »[1]. Docet autem id aliter fieri non posse, nisi immortalis Christi corporis ac sanguinis esu potuque. Huius autem affert rationem, quod uti, dum Christus inter mortales erat, panis quo vescebatur in eius naturam transibat, et gratia unionis sanctificabatur ; et uti nunc in eucharistia panis in Christi corpus transmutatur sanctificaturque: « Ea de causa per suae gratiae dispensationem *se per carnem inserit omnibus credentibus, commixtus et contemperatus corporibus credentium*, quibus substantia est ex pane et vino, ut unione cum eo quod est immortale, sit etiam homo particeps incorruptionis. Haec autem dat, virtute benedictionis in illud transelementata eorum, quae apparent, natura — Ταῦτα δὲ δίδωσι, τῇ τῆς εὐλογίας δυνάμει, πρὸς ἐκεῖνο μεταστοιχειώσας τῶν φαινομένων τὴν φύσιν »[2]. Longissime igitur abest Nyssenus a Rosminiana coniectura. Quin ubi directe, in demonstrationis decursu, de eucharistia loquitur, eam data opera videretur praedamnasse. Ait enim: « Et hic *(in eucharistia)* similiter panis, sicut dicit Apostolus[3], sanctificatur per Verbum Dei et orationem, *non eo quidem quod, cibo mediante, in Verbi corpus evadat; sed quod statim per Verbum in corpus transmutatur, sicut dictum est a Verbo: Hoc est corpus meum* — οὐ διὰ βρώσεως καὶ πόσεως προϊὼν εἰς τὸ σῶμα τοῦ Λόγου (non per cibum et potum in Verbi corpus transeundo), ἀλλ'εὐθὺς πρὸς τὸ σῶμα τοῦ Λόγου μεταποιούμενος, καθὼς εἴρηται ὑπὸ τοῦ Λόγου, ὅτι Τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου »[4]. In Rosminii autem coniectura ad modum cibi et potus panis et vinum Christi glorioso corpori accederent[5].

Damascenus.

14. Damascenus, postquam dixit : « Panis ipse et vinum in corpus et sanguinem Dei transmutantur. Si requiras, *subdit :* Quonam pacto istud fiat? Sat tibi sit audire, hoc fieri per Spiritum Sanctum..... modus vero investigari prorsus nequit (ὁ δὲ τρόπος ἀνεξερεύνητος). Illud vero dicere alienum non est, quemadmodum naturaliter panis per comestionem, vinumque et aqua per potionem in corpus et sanguinem comedentis et bibentis transmutantur, ut nec corpus fiant aliud a corpore eius quod prius exstabat ; sic panem, qui in Prothesi praeparatus fuit, vinum item et aquam per Spiritus Sancti invocationem et adventum, modo qui naturae viribus et conditione sublimior est (ὑπερφυῶς), in Christi corpus et sanguinem converti, ut nequaquam duo sint, sed unum et idem »[6]. Ex quibus liquet Damascenum analogicam solum declarationem quandam conversionis eucharisticae ex communi nutritione deri-

[1] S. Gregorius Nyssenus, *Oratio Cathechetica Magna, c. 37. init.*
[2] Nyssenus, *Ibidem, fin.*
[3] *I. Timoth. 4, 5.*
[4] Nyssenus, *loc. laud.*
[5] Vide supra.
[6] S. Ioannes Damascenus, *De Fide Orthodoxa, lib. 4. c. 13.*

vasse, non demonstrationem aut in omnibus aequiparantiam. Ipsi conversionis modus non vestigabilis est; conversio tamen habetur cum, uti ex communi comestione intelligitur, omnino a Deo fieri possit ac per Spiritum Sanctum fiat.

Theophylactus.

15. Nec absimili modo loquitur Theophylactus: « Non dixit: *Panis, quem ego dabo, figura est carnis; sed caro mea est.* Transformatur enim arcanis verbis panis ille, per mysticam benedictionem et accessionem Sancti Spiritus, in carnem Domini. Et ne quem conturbet, quod credendus sit panis caro. Etenim et in carne ambulante Domino, et ex pane alimoniam admittente, panis ille, qui manducabatur, in corpus eius mutabatur, et similis fiebat sanctae eius carni, et in augmentum et sustentationem conferebat iuxta humanum morem. Igitur et nunc panis in carnem Domini mutatur »[1]. Theophylactus ergo utitur transmutatione naturali panis in carnem Christi, cum hic in terris mortali modo degeret, non ut dicat eiusdem rationis illam esse, quae fit in eucharistia, quamque non naturaliter, sed *per mysticam benedictionem et accessionem Sancti Spiritus* expresse docet locum habere; sed ut conturbationem removeat, intellectumque manuducat ad credendam altiorem illam transmutationem, quae in hoc mysterio fit. Nihil igitur *presse* commune cum Rosminio habet, qui transsubstantiationem eucharisticam, si in eius sententia posset haberi, transmutationi *augmenti* prorsus assimilaret.

Rosminii coniectura excluditur rationibus aliis.

16. Insuper: — ε) Rosminii coniectura excluditur rationibus aliis. Uti enim ipse infert Rosminius, per singulas consecrationes corpori Christi glorioso tantum accedit incorporaturque substantiae gloriosae, quanta est substantia panis, quae consecratur; et consequenter dum corrumpuntur species, ac porro corrumpitur substantia panis iis respondens, tantum etiam substantiae gloriosae ex corpore Christi debet recedere ac corrumpi. Haec autem innumera continent absurda. Ergo corpus Christi, quod est in eucharistia, non est substantialiter idem illud ipsum, quod est in coelo gloriosum et immutatum; sed est quoad substantiam ipsam integraliter aliud et mutatum, imo est in continua fere mutatione tum positiva incrementi, tum negativa decrementi. Ergo corpus Christi accessione tot quantitatum substantiae panis consecratarum, quot singulis temporibus sunt, est revera monstrosum. Ergo corpus gloriosum non est incorruptibile, sed corruptioni obnoxium; et similia cetera, quae aures christianae vix possunt audire[2].

Secunda thesis pars.

Baymae explicatio, obiective loquendo, haeretica.

17. *Declaratur simul et probatur.* Bayma in sua transsubstantiationis explicatione aperte asserit: *Manet quidem natura panis. — In eucharistia manent materia et forma elementorum panis.* Ergo manet tota ipsa physica substantia panis. Atqui haec assertio,

[1] Theophylactus, *Enarratio in Evangelium Ioannis, c. 6. vv. 48-52.*

[2] Cfr. Mazzella, *Rosminianarum propositionum trutina theologica, Sect. 7. prop. 30. 31.*

obiective loquendo, haeretica est, et a tota doctrina revelata prorsus aliena. Permanentia enim physicae substantiae panis, uti suo loco docuimus et in Rosminii confutatione ostendimus, id est, quod in Constantiensi damnatione articuli primi Wikleffi, et in canone secundo Tridentini directe fulminatur, et in damnatione Pistoriensium fulminatum authentice agnoscitur; in conciliis vero aliis damnatur implicite. Eadem permanentia est, quae transsubstantiationem negat, ac rursum omnium fere Conciliorum, quorum in parte prima mentionem fecimus, anathemati subiicitur. Eadem permanentia est, quae doctrina Scripturarum et Patrum, uti satis declaratum est, penitus excluditur.

Obiectio.

18. *Dices:* In explicatione Baymae natura panis supernaturaliter sustentatur a Christi corpore ad modum accidentis. Ergo non remanet substantia. — *Respondeo: Transeat ant.* et *Neg. consequentiam.* Etiamsi daremus Baymae naturam panis sustentari a corpore Christi eo modo, quo ipse intelligit, non exinde sequeretur eam physicae substantiae rationem amittere, et evadere physicum accidens. Ramus alieno trunco insertus non ex eo evadit accidens, quod *in se non est*, sed est in trunco, ab eoque *actualiter sustentatur*, *tanquam a primo subiecto.* Praesertim cum, in sententia Baymae, natura substantialis panis non deberet afficere corpus Christi, atque adeo non deberet in ipso *inhaerere.* Si ergo deberet sustentari a Christi corpore, id vel *efficienter* per actionem conservativam, vel *formaliter* per unionem cum Christi corpore, tanquam cum formali aut causa aut termino deberet intelligi. Neutrum autem physicae substantiae rationem excludit. Non 1.[um], uti, missis aliis, patet in accidentibus eucharisticis, quae non desinunt esse physica accidentia, etiamsi in se et per se a Christi corpore efficienter conserventur. Ergo multo minus substantia panis posset desinere talis esse ex conservativa efficientia Christi corporis in ipsam. Non 2.[um] Nam, misso quod illa unio renovaret haeresim Impanatorum, aut certe Ioannis Parisiensis, ex unione cum corpore Christi, tanquam cum formali termino aut cum formali causa, natura substantialis panis nequit amittere rationem substantiae; uti intelligitur prius quidem ex unione naturae humanae cum persona Verbi; alterum vero ex unione materiae cum forma. Ratio vero *a priori* est, quod formalitas substantiae in natura substantiali, qualis est natura panis, est praedicatum quidditativum genericum. Praedicatum autem huiusmodi, manente natura, ipsi nullo modo potest deesse. Atque hinc intelligitur discrimen inter rationem *substantiae*, et rationem *hypostaseos.* Substantia enim non est *in se esse*, ut ait Bayma, seu *per se esse;* sed est: *Ens, cui competit per se esse*, seu *non indigens subiecto, ut sit:* dum, contra, hypostasis est: *Adaequata perseitas naturae rationalis, singularis, totalis*[1]. Illa ergo est praedicatum quidditativum manenti naturae non auferibile: haec est naturae *modus* aut

Responsio.

Ratio substantiae est praedicatum quidditativum.

[1] Piccirelli, *De Deo Uno et Trino, in 1.am p.em D. Thomae, Disp. 4. Sect. 1. q. 29. § 2. n. 4. seqq.*

physicus aut, verius, metaphysicus qui, salva natura, potest amitti. Hic unione cum alio digniore potest cessare: illud, etiam data naturae unione cum alio, quandoquidem manet natura, ipsi nec eripitur, nec potest eripi. Ergo, etiam dato antecedenti, Baymae consequentia non sequitur. Ceterum illud antecedens, cum sine ratione ulla et contra omnem revelatam doctrinam asseratur, absque controversia negandum est.

Explicatio Baymae est negatio Transsubstantiationis.

19. Atque ex his rursum excluditur explicatio Baymae. Sequitur enim ex dictis, iuxta eius explicationem, non unam, sed duas esse in eucharistia substantias, alteram panis et vini, alteram corporis et sanguinis Christi; atque adeo substantiam panis et vini non esse transsubstantiatam in substantiam corporis et sanguinis Christi. Quod enim manet uti erat prius, in aliud conversum aut transsubstantiatum dici nullo modo potest. Explicatio ergo Baymae est negatio dogmatis transsubstantiationis. Imo, etiamsi daremus Baymae quaecumque dicit, eius explicatio esset negatio transsubstantiationis, prout ex fide eam intelligit Ecclesia. Ecclesia enim transsubstantiationem intelligit, quatenus tota substantia panis convertitur in corpus Christi. Ex Bayma vero, substantia panis, si utcumque dici deberet conversa, deberet dici conversa *ex substantia in accidens:* quatenus *amisso*, si fieri potest, *priori exsistendi modo, novum exsistendi modum supernaturalem acquireret*, atque inde evaderet quodammodo *supernaturale accidens*. Ergo non in corpus Christi, sed in accidens esset conversa. Tota igitur explicatio Baymae aequivocatione ac falsitate laborat, et doctrinae revelatae est prorsus inimica. — Ad haec, Baymae explicatio innovat secundum Wikleffi articulum, a Constantiensi damnatum: *Accidentia panis non manent sine subiecto in eodem Sacramento.* Si enim remaneret panis, uti asserit Bayma, ipsi absque controversia accidentia connaturaliter inhaererent, nec manerent sine subiecto. Iure ergo meritoque pronuntiavit Ecclesia explicationem illam: TOLERARI NON POSSE[1].

Scholion.—D. Petrus Batiffol in declaranda S. Gregorii Nysseni doctrina de Transsubstantiatione.

20. SCHOLION.— Reverendus D. Petrus Batiffol, Rector quondam *Instituti Catholici Tolosani*, in opere, cui titulus est: *Étude d'Histoire et de Théologie positive 2.me Série*, initia elaborationis catholici dogmatis *De Transsubstantiatione* apud Graecos Nysseno tribuit Gregorio. Quidquid de hoc sit, cum ad praesens nostrum institutum minime pertineat, id crisi haudquaquam subiiciemus. Fatendum tamen est ipsum haud recte Nysseni mentem doctrinamque interpretari, uti malo fato fere ubique, saltem in hoc opere, sive Scripturas sive Patres declaret, constanter ipsi in more est. Videri vult emunctae naris criticus: ea vero plerumque in medium profert, quae non sanam doctamque, sed intemperantem penitusque arbitrariam crisim redoleant, ipsumque dignum reddant qui Modernistis, quorum aliquando loquendi adhibet rationem, iure meritoque accenseatur.

Modernistis accensendus.

[1] Cfr. De Augustinis, *De Eucharistia, p. 1. a. 5. Scholion, I.* — Lahousse, *De Eucharistia, c. 3. a. 1. § 2. n. 9.*

21. Nysseno, in *Oratione Catechetica Magna*, sequentem generatim tribuit doctrinam : « Nous ne dirons donc pas comme Schwane: *On ne peut guère exprimer d' une manière plus claire le dogme de la Transsubstantiation*[1], que ne l' a fait saint Grégoire de Nysse, car vraiment saint Grégoire de Nysse, s' il y a songé, s' en serait bien mal expliqué..... Nous dirons qu' il a eu une notion très nette de la réalité *du corps eucharistique*, de l' intervention du Verbe dans la réalisation de ce corps, et de la nature de cette intervention qui produit une conversion (μεταποιεῖσθαι). Nous dirons même que le langage de saint Grégoire ouvre la voie à la théorie de la : *transformation substantielle*, mais sans que cette théorie puisse vraiment lui être attribuée, comme le pensait Harnack[2] »[3].

Tribuit Nysseno notionem realitatis corporis, ut ait, eucharistici et conversionis ex interventione Verbi.

22. Videamus breviter quid de hac Batiffoliana crisi sentiendum sit. Nyssenus, ut declaret hominem, baptismatis lavacro mundatum, coniunctum cum Deo esse deberc, ut ei ad gloriosam resurrectionem, ad immortalitatem, ad vitam beatam prorsusque impatibilem aditus pateat ; cum homo anima et corpore constet, ait: 1.° « Anima quidem cum ipso (*Deo*) contemperata per fidem (διὰ πίστεως πρὸς αὐτὸν ἀναχραθεῖσα), hinc salutis habet occasionem. Nam unio cum vita vitae habet societatem »[4]. Corpus vero, cum mortifero peccati veneno fuerit infectum, nonnisi corporali antidoto per esum et potum intra viscera sumpto potest sanari ; et corpore a Deo suscepto immortalique potest cum Deo coniungi et immortalitatis evadere particeps. « Quid hoc ergo est? *ait:* Nihil aliud, quam illud corpus, quod et morte ostensum fuit esse potentius, et nostrae vitae fuit initium. Quo modo enim parum fermenti, ut dicit Apostolus[5], sibi assimilat totam conspersionem ; ita corpus a Deo morte affectum, cum fuerit intra nostrum, totum ad se transmutat et transfert. Quo modo enim cum, quod est exitiale, mixtum fuerit cum sano, quidquid est contemperatum, simul redditur inutile; ita etiam corpus immortale, cum fuerit intra eum qui sumpsit, universum quoque transmutat in suam naturam. Sed fieri non potest, ut sit aliquid aliter intra corpus, nisi per esum et potionem misceatur visceribus. Necesse est ergo, eo modo quo natura potest, Spiritus vivificam suscipere virtutem (τὴν ζωοποιὸν δύναμιν τοῦ Πνεύματος δέξασθαι). Cum autem solum illud corpus, quod Deum suscepit (Μόνον δὲ τοῦ Θεοδόχου σώματος ἐκείνου), hanc gratiam acceperit; ostensum sit autem aliter fieri non posse, ut nostrum corpus sit in immortalitate, nisi per communionem cum immortali factum sit particeps incorruptionis ; oportet considerare, quomodo fieri potuerit, ut unum illud corpus, quod tam multis fidelium millibus in universo orbe terrarum semper distribuitur, totum per partem

Gregorii Nysseni doctrina.

Anima unitur Deo per fidem, et vitae habet societatem.

Corpus per Christi corpus, quod fuit vitae initium.

Quod tamen nequit intra nos esse, nisi per esum et potum.

Considerandum qui unum corpus possit pluribus distribui et totum in se permanere.

[1] Schwane, *Histoire des dogmes*, trad. Degert, *t. 3. p. 547.* (Paris, 1903).
[2] Harnack, Dogmengeschichte, *II., 434.*
[3] Batiffol, *Op. laud. Élaboration de la notion de conversion chez les Grecs, p. 285.* (Paris, 1905).
[4] S. Gregorius Nyssenus, *Oratio Catechetica Magna, c. 37.* — Migne.
[5] *I. Cor. 5, 6.*

(διὰ τοῦ μέρους — *singulatim*) sit in unoquoque, et ipsum in se totum maneat »[1].

23. Ut propositam solvat quaestionem, postquam panis cum corpore humano affinitatem variis modis declaravit, tandem subdit: « Fortasse ergo non procul absumus a probabili ratione..... Corpus (*Christi*) Dei Verbi inhabitatione ad divinam transmutatum est dignitatem. Recte ergo nunc quoque *Dei Verbo sanctificatum panem in Dei Verbi corpus credo transmutari* (καλῶς οὖν καὶ νῦν τὸν τῷ Λόγῳ τοῦ θεοῦ ἁγιαζόμενον ἄρτον εἰς σῶμα τοῦ θεοῦ Λόγου μεταποιεῖσθαι πιστεύομαι)..... Et hic similiter panis, sicut dicit Apostolus[2], sanctificatur per Verbum Dei et orationem: non eo quidem quod, cibo mediante (διὰ βρώσεως καὶ πόσεως — *per cibum et potum*) in Verbi corpus evadit; *sed quod statim in corpus Verbi transmutatur* (ἀλλ' εὐθὺς πρὸς τὸ σῶμα τοῦ Λόγου μεταποιούμενος), sicut dictum est a Verbo: *Hoc est corpus meum*[3]..... Manifestatum Verbum propterea se admiscuit interitui obnoxiae hominum naturae, ut communione divinitatis simul etiam deificetur humanitas: ea de causa, per suae gratiae dispensationem, *se per carnem inserit omnibus credentibus*, commixtus et contemperatus corporibus credentium, quibus substantia est ex pane et vino, ut unione (τῇ ἑνώσει) cum eo quod est immortale, sit etiam homo particeps incorruptionis. Haec autem dat, virtute benedictionis in illud transelementata eorum, quae apparent, natura (τῇ τῆς εὐλογίας δυνάμει πρὸς ἐκεῖνο μεταστοιχειώσας τῶν φαινομένων τὴν φύσιν) »[4].

Panis in Dei Verbi corpus Dei Verbo convertitur.

Et sic per carnem inseritur et unitur omnibus credentibus.

24. Itaque, ex Gregorio Nysseno, ut corpus etiam hominis immortalitatis sit particeps, immortalis Christi corporis per esum et potum particeps fiat opus est; ut vero hanc gratiam Christus credentibus omnibus conferret, verbo suo panem (idemque de vino dicendum est) in suum corpus transmutavit, phaenomenorum seu panis et vini, quae apparent, in illud transelementando naturam. Priorem partem doctrinae Nysseni, qua contendit corpus nostrum non posse esse particeps immortalitatis, nisi quatenus cum immortali Christi corpore communicat, intelligit Reñdus Batiffol *per physicam absorptionem assimilationemque.* Scribit: « Autre analogie. De même qu' une portion de levain, comme dit saint Paul, fait lever tout le pétrin, ainsi le corps du Christ en: *venant dans le nôtre le transforme totalement. — Ce corps immortel venant dans* (le corps de) *celui qui y participe* (par la communion), *transforme en sa nature* (immortelle) *tout* (le corps mortel qui le reçoit). Cette absorption d' un corps par l' autre ne peut se produire que par l' assimilation, qui s' opère dans les entrailles, du manger et du boire. Et cette *absorption physique* est nécessaire..... Notre corps ne pourra participer à l' immortalité qu'à la condition d' être *assimilé physiquement* au corps immortel et incorruptible du Christ »[5].

Gregorii communicationem nostram cum Christi corpore Batiffol intelligit *per physicam absorptionem assimilationemque.*

25. Sed enim, amabo te, ubinam aut quandonam dixit Grego-

---

[1] *Idem, Ibidem, Op. et loc. laud.*
[2] *I. Timoth. 4, 5.*
[3] *Matth. 26, 26. — Marc. 14, 22. — Luc. 22, 19. — I. Cor. 11, 24.*
[4] S. Gregorius Nyssenus, *Ibidem, Op. et loc. laud.*
[5] Batiffol, *Op. et loc. laud. pag. 260.*

Numquam dicit Nyssenus corpus nostrum debere *physice absorberi.*

rius debere nostrum corpus *physice* absorberi et assimilari immortali Christi corpori? Numquid quia dicit: *Corpus immortale cum fuerit intra eum, qui sumpsit, universum quoque transmutat in suam naturam;* et: *Aliter fieri non posse, ut nostrum corpus sit in immortalitate, nisi per communionem cum immortali factum sit particeps incorruptionis?* — At vero, uti optime ostendit Suarez[1], haec et similia apud Patres, qui parili loquuntur modo, supernaturalem et ethicam quandam, per tituli specialis aut moralis iuris acquisitionem ad immortalitatem, corporis transmutationem assimilationemque significant, non physicam absorptionem aut assimilationem. Quis unquam cogitaret se, ubi sacrae synaxis particeps fuit factus, physice fuisse Christo incorporatum, ac Christi corpus, non mysticum sed physicum, constituere reapse? Quis plumbeus usque adeo sit, ut eiusmodi sensum Nysseno tribuat? — Praeterea Gregorius eo intelligit pacto corpus Christi misceri, contemperari corporibus credentium ipsum recipientium, eaque sibi assimilare, in se transmutare (τοῖς σώμασι τῶν πεπιστευκότων κατακιρνάμενος); quo intelligit animam per fidem contemperari Deo (διὰ πίστεως πρὸς αὐτὸν ἀναχραθεῖσα), et Verbum humanae naturae fuisse contemperatum (τῇ ἀνθρωπίνῃ συνεχράθη φύσει); ubique enim eodem verbo κεράννυμι utitur. At anima nostra per fidem non absorbetur et transmutatur in Deum, quamvis supernaturali modo cum ipso uniatur; non physice fuit absorpta aut in Verbum conversa humana natura in Christo, quamvis fuerit in ratione subsistendi substantialiter cum Verbo unita: aliunde vero verbum ipsum κεράννυμι, quod *unire* etiam significat, heic ratione terminorum nonnisi unionem praesefert aut potest praeseferre. — Ceterum Gregorius ipse per mysticam unionem cum Christo, mediante gratia, declarat transmutationem eucharisticam corporis nostri in naturam Christi communionemque cum immortali. Ait enim: « Ea de causa per suae gratiae dispensationem se per carnem inserit omnibus credentibus, commixtus et contemperatus corporibus credentium, quibus substantia est ex pane et vino, *ut unione cum eo, quod est immortale, sit etiam homo particeps incorruptionis* ». Eiusmodi autem unio, quamvis fiat etiam per corporalem contactum specierum ac, hisce mediis, per contactum ipsius Christi quodammodo cum corpore nostro; qua de causa a Patribus et ab Ecclesia, per quandam idiomatum communicationem, dicimur realiter, corporaliter, naturaliter Christum comedere, cum Christo uniri, Christo incorporari, ipsum movere, deferre, et id genus alia; tamen proprie fit per gratiam sanctificantem, et per ius quoddam ad reliquas gratias sacramentales, aut ad effectus Sacramenti, qui opportuno tempore nobis conferuntur. Unus autem ex effectibus Sacramenti Eucharistiae est gloriosa corporum resurrectio.

Suarez.

Physica absorptio iniuria tribuitur Nysseno.

Ostenditur ex contextu.

Et ex Nysseni verbis.

Batiffolii instantia.

26. *Sed dicet Batiffol:* Gregorius corpus Christi assimilat antidoto, quod venenum expellit; et fermento, quod totam sibi assimilat conspersionem. Haec autem physice agunt. — Verum est

[1] Suarez, *In 3.am p.em D. Thomae, q. 79. Disput. 64. tota.*

Gregorium duplici illa analogia uti. Numquid analogiae identitatem in terminis analogatis requirunt? Si analogiae sunt, similitudinem quandam praeseferunt, non omnimodam rationis obiectivae identitatem. Ceterum si fermentum sibi assimilat farinae massam, antidotus potius a corpore veneno infecto assimilatur. Corpus ergo Christi nostrum corpus sibi assimilat, uti fermentum; an assimilatur sibi a corpore nostro, uti antidotus? Nempe alterutrum inepte diceretur, utrumque ineptissime. Falso igitur asserit Batiffol: « Pour Grégoire de Nysse..... la résurrection de la chair n' est croyable que si cette chair a été immunisée contre la mort par l' eucharistie, et cette immunisation ne saurait être que *physique* »[1]. Non de physica immunitate, sed de morali seu de speciali titulo aut iure ad gloriosam corporis resurrectionem loquitur Gregorius: quod ius, ex doctrina Scripturarum et Patrum, supposita gratia sanctificante finaliter servata, unus est ex sanctae eucharistiae effectibus, uti apud catholicos theologos quoslibet videre est.

Disiicitur.

Ius ad resurrectionem gloriosam unus ex effectibus S. Eucharistiae.

27. Pessime subinde addit: « On sent ici l' influence d' une exégèse trop litterale du quatrième Évangile, et cette persuasion, qui est un malentendu, que la résurrection de la chair est un privilège conféré par l' eucharistie, si bien que d' une part l' eucharistie serait nécessaire au salut, et que d' autre part les infidèles et les catechumènes n' auraient point part à la résurrection de la chair! C' est là, répétons-le, un malentendu. Mais ce malentendu a contribué à ramener Grégoire de Nysse au strict réalisme qu' impliquait le langage liturgique, au réalisme dont il va essayer de scruter le mystère[2] ». — Eiusmodi scribendi ratio, fateor, Loisyi et Modernistarum est, non Doctoris Catholici. Tum mala intelligentia, si qua est, tota (ex non diligenti doctaque analysi, an ex voluntate?): tota, inquam, est Batiffolii, non Gregorii Nysseni. Hic catechesin habebat ad populum, non dogmata ἀκριβῶς aut discutiebat, aut vindicabat. Quapropter Dei exsistentiam, Unitatem, Trinitatem personarum, Incarnationem Verbi, baptismum, eucharistiam plano modo, ac plerumque per congruentias et analogias declarat, vario dicendi genere mire popularis. Atque id Gregorius non casu, sed, ut ipse nos edocet, data prorsus fecit opera. Scribit: « Iis quae dicta sunt, existimo nihil deesse eorum, quae quaeruntur de mysterio, praeter rationem fidei, quam paucis quidem etiam in hoc praesenti libro exponemus. Iis autem, qui rationem quaerunt perfectiorem, in aliis operibus iam prius exposuimus, quam maximo potuimus studio re explicata. In quibus et cum adversariis decernentes manum conseruimus, et per nos ipsos consideravimus de quaestionibus, quae nobis obiiciuntur. In hoc autem libro existimavimus bene esse si tantum diceremus de fide, quantum continet vox Evangelii »[3]. In eiusmodi elucubra-

Batiffol irreverenter loquitur et falso.

Mala intelligentia non est Nysseni, sed Batiffolii.

---

[1] Batiffol, *Op. et loc. laud. pag. 261.*
[2] *Idem, Ibidem.*
[3] S. Gregorius Nyssenus, *Op. laud. c. 38.*

tione rigidissimam quaerere verborum vim sana viduatur crisi, et Modernistarum voluntariae hypercrisi unice congruit. — Ad haec, cum adultos Gregorius alloquatur, falsum est iis eucharistiam non esse ad salutem necessariam. Non est necessaria necessitate medii, sed est necessaria necessitate praecepti divini. Quare infidelibus etiam ex hoc capite, non ad resurrectionem sed ad resurrectionem *gloriosam*, qua de Gregorius loquitur, ius nullum est; atque adeo, etiam ex hoc capite, ipsis salus est hypothetice impossibilis, quoad manent in infidelitate. Cathecumenos vero ante baptismum eucharistiae praeceptum non urget, ut aiunt, in actu secundo et immediate. Si ergo sine culpa baptismum fluminis non recipiunt, cum solo baptismo flaminis, includentis voluntatem servandi omnia praecepta gravia, atque porro illud etiam eucharistiae sumendae, salutem gloriosamque resurrectionem consequentur. Quod si in peccato moriantur, resurgent abs dubio, verum non ad gloriam, sed ad supplicium, velit nolit Batiffol, prorsus sempiternum. Non igitur perversa, sed recta intelligentia Evangelii S. Ioannis ac sermonis liturgici, sed recta eius fides fideique scientia dux fuit Gregorio in realitatis eucharisticae adserenda veritate.

Falsum est adultis non necessariam esse eucharistiam saltem ex praecepto divino.

Quid dicendum de infidelibus.

Quid de cathecumenis.

Nysseni recta Evangelii Ioannis intelligentia.

28. De altera parte doctrinae Nysseni, missis superfluis quae ad praesentem disquisitionem non faciunt, et iis quae male sonant, v. g. *Cette sanctification ou prise de possession du pain par le Verbe— la prise de possession par le Verbe d' un corps humain dans l' Incarnation*[1]: his ergo et similibus missis, recte asserit: — α) *Le mérite de cette théorie est d' être une affirmation de la présence du corps et du sang du Christ:* — β) *Un second mérite..... est d' avoir dégagé la donnée capitale du problème, qui est qu' une conversion doit être produite au moment de la consécration;* sed statim hoc alterum pervertit, aiendo: *Et dont l' effet est d' assimiler le pain à la chair du Christ.* Subinde vero, quibusdam interiectis, addit: « Pour s' expliquer cette conversion, Grégoire de Nysse a recours à une comparaison: dans la nutrition, le pain est converti en chair par le travail d' assimilation, διὰ τῆς ἀλλοιωτικῆς δυνάμεως. Cet effet doit se produire dans l' eucharistie: donc il doit s' y rencontrer aussi une ἀλλοιωτικὴ δύναμις. Le Verbe lui-même sera cette ἀλλοιωτικὴ δύναμις. Ici apparaît le déficit de la théorie de Grégoire de Nysse. — Il n' a pas soupsonné que le corps eucharistique qu' il donnait au Verbe était un corps nouveau, un corps autre que le corps historique. Le Verbe se donne un corps en vue de l' eucharistie, comm' il s' en est donné un en vue de l' Incarnation. Et il peut dire du corps eucharistique: *Ceci est mon corp*, puisque ce corps est sien. Mais ce corps n' est pas celui qui est né et qui a souffert. — Puis, entre l' assimilation physiologique et la conversion il n' y a pas parité. Le pain que nous mangeons, s' assimile à notre corps, mais c' est que le pain cesse d' être pour se transformer en notre corps qui existait. Or, dans l' eucharistie, le pain

De secunda parte doctrinae Nysseni quid recte, *saltem in specie*, asserat Batiffol.

Carpit Gregorium, quasi hic dicat Verbum dare sibi corpus novum in eucharistia.

[1] *Op. et loc. laud. pag. 264.*

cesse-t-il d' être ? Saint Grégoire de Nysse ne l' affirme pas catégoriquement. Que sera donc ce corps nouveau du Christ, ce corps qui n' existait pas ? Ne sera-t-il pas un *corps virtuel ?* Si hardie que puisse sembler notre induction, on peut dire qu' elle n' est pas étrangère à la pensée de Saint Grégoire..... Saint Grégoire n' a pas vu que l' obligation où est de dire que le pain est le corps τρόπον τινὰ ou λόγῳ τινὶ implique la negation de la conversion substantielle dont il avait eu d' abord la claire notion »[1].

Putat Gregorium non dicere panem in eucharistia *cessare*, et Christo tribuere *corpus virtuale*.

29. Scripsit haec catholicus Doctor, an potius Modernista ? Mihi quidem haud liquida res est. Cum Gregorius dicat Verbum immutandi virtute convertere panem, qui potentia est quodammodo corpus humanum, in corpus suum, de quo alio corpore, nisi de historico Christi corpore haec possunt intelligi ? Habuitne Verbum aliud corpus, quam corpus humanum historicumque ? Aut Patres, Modernistarum more, distinxerunt unquam Christum historicum a Christo fidei ? Nonne Gregorius loquitur de illo Christi corpore : *quod et morte ostensum fuit esse potentius, et nostrae vitae fuit initium ;* quodque solum conferre potest immortalitatem ? Nonne huiusmodi est : *solum illud corpus, quod Deum suscepit ?* Age iam corpus, quod Deum suscepit, seu quod substantive aut hypostatice fuit Verbo unitum, quodnam aliud corpus est, si non est Christi corpus historicum ?

Falsum est Gregorium tribuere Christo in eucharistia corpus novum et non corpus historicum.

30. At vero, inquit Batiffol, Gregorii verba innuunt Verbum dedisse sibi corpus eucharisticum, *novum* proinde, uti corpus sibi dedit in Incarnatione. — Minime gentium. Gregorius non dixit Verbum assumpsisse panem in corpus suum, sed in corpus suum panem convertisse. Praeterea Verbum in Incarnatione assumpsit corpus humanum ad modum cuiusdam causae aut potius termini formalis. Gregorius autem heic dicit convertisse panem in corpus suum ad modum causae efficientis. Quare propriissime memorat ἀλλοιωτικὴν δύναμιν, vim alterandi aut commutandi, quae principium efficiens aut transmutativum significat, non personalitatem relativam, quae in Incarnatione humanam naturam assumpsit, tota sancta Trinitate efficienter operante[2]. Quod si solum Verbum heic dicitur active conversionem, non *assimilationem* operari, uti alias id dicitur facere Spiritus Sanctus ; hoc, uti vel tirones in theologia norunt, non *proprie*, sed *appropriate* intelligendum est ; opera enim omnia ad extra efficienter communia sunt toti Trinitati.

Dissipatur Batiffolii ratio.

Discrimen inter Incarnationem et conversionem eucharisticam.

Verbum dicitur panem convertere non *proprie*, sed *appropriate*.

31. Urget Batiffol : Quod convertitur in aliud, cessat esse. Gregorius de pane non dicit categorice cessare. — Verum enimvero cum Gregorius dicat panem in Christi corpus *transmutari* — naturam panis sub speciebus *transelementari* — hoc fieri analogica illa ratione, qua panis in corpus nostrum transmutatur — qua transmutabatur panis in historicum Christi corpus, cum in mortali vita ageret — id fieri non successive per esum et potum, sed statim

An Gregorius dicat cessare panem in eucharistia ?

---

[1] Batiffol, *Op. et loc. laud. pag. 263.*

[2] Denzinger-Bannwart, *Enchiridion symbolorum etc. Symbolum Conc. Tolet. XI. a. 675 n. 284.*

(εὐθὺς) per Verbum Dei et orationem, id est, non naturaliter sed supernaturaliter — et hoc quidem per transmutativam Verbi virtutem aut potentiam : cum haec dicat Gregorius, non singulis fere dicitur panis secundum totam sui substantiam cessare, substantiam autem historici Christi corporis in eucharistia poni ? Quod idem remanet nunc et prius, in nullo ordine dici potest mutatum: quod secundum naturam transelementatum est, in ordine physico mutatum est ac physice cessavit. Natura ergo panis quae, per Gregorium, transelementatur, non est physice eadem natura, atque adeo cessarit opus est.

Falsa et intolerabilis Batiffoliana inductio de *corpore virtuali*.

32. Falsa autem prorsus et intolerabilis est inductio, quam Batiffol ait a Gregorii mente non esse alienam, ipsum videlicet cogitasse corpus Christi in eucharistia esse *corpus virtuale*. Nimirum e Sacramentariorum grege, si superis placet, erat Gregorius, *in signo, aut figura, aut virtute* Christum in eucharistia esse blaterantium! Cum Gregorius loquatur de immortali corpore et carne Christi — de illo corpore, quod fuit ostensum esse morte potentius, et nostrae salutis initium — de illo corpore quod Deum suscepit — quod Deus Verbum inhabitavit — in huiusmodi autem corpus dicit eucharisticum panem transmutatum ; quomodo stare potest Batiffoliana inductio ? Nec ipsi suffragantur quidquam verba τρόπον τινὰ, vel λόγῳ τινί. Haec apud Gregorium non conversionis substantialis negationem implicant, sed potius ratione conversionis substantialis in contextu usurpantur. Dicit enim Gregorius panem esse *quodammodo* corpus humanum quia, postquam vi nutritiva transmutatum est, fit reapse corpus humanum. Dicit corpus Christi in terris fuisse *quodammodo* panem, quia ex pane transmutato alebatur. Neutrum dicit explicite de corpore Christi in eucharistia; docet tamen panem supernaturali modo in verum Christi corpus *converti* — μεταποιεῖσθαι, uti, dum agebat in terris, in verum Christi corpus transmutabatur. En Gregorii verba : « Homini autem (*alimentum*) praecipue est panis, et ad humoris perdurationem et conservationem potus, non ipsa sola aqua, sed vino saepe condita, ad opem ferendam interno nostro calori. Qui ergo ad ea *(ad panem et aquam)* aspicit, *potestate* — δυνάμει — aspicit ad corporis nostri magnitudinem. Nam cum illa in me fuerint, *fiunt sanguis et corpus, nutrimento per vim alterandi* — διὰ τῆς ἀλλοιωτικῆς δυνάμεως — *congruenter redacto in formam corporis* ». Et paulo post : « Quomodo ergo in nobis, sicut iam saepe dictum est, qui panem vidit, humanum corpus videt quodammodo — τρόπον τινὰ — quod, cum ille in eo fuerit, hoc fit ; ita illic quoque *(in Christo Deo-Homine in terris)* quod Deum suscepit corpus — θεοδόχον σῶμα — cum panis alimentum accepisset, quadam ratione — λόγῳ τινὶ — idem erat quod ille, *alimento*, ut dictum est, *transeunte in naturam corporis.* Nam quod est omnium proprium, id quoque pro certo et constanti est in illa carne, nempe quod illud quoque corpus pane continebatur ». — Denique : « Igitur unde in illo corpore *transmutatus panis transiit in divinam virtutem, per idem nunc* (*in eucharistia*) *fit similiter.* Nam et illic Verbi gratia sanctum fecit corpus, cui

Gregorii verba refellunt Batiffol.

ex pane erat substantia, et quodammodo — καὶ τρόπον τινὰ — ipsum quoque erat panis ; et hic (*in eucharistia*) similiter panis, sicut dicit Apostolus, sanctificatur per Verbum Dei et orationem, *non eo quidem quod per cibum et potum in Verbi corpus evadat, sed quod statim per Verbum in corpus convertitur, sicut dictum est a Verbo:* HOC EST CORPUS MEUM — ἀλλ' εὐθὺς πρὸς τὸ σῶμα τοῦ Λόγου μεταποιούμενος, καθὼς εἴρηται ὑπὸ τοῦ Λόγου: Τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου ».

33. Gregorii Nysseni doctrinam exponendo, scribit Batiffol : « Notre corps ne pourra participer à l' immortalité qu' à la condition d' être assimilé physiquement au corps immortel et incorruptible du Christ » ; et rursum : « Ce malentendu a contribué à ramener Grégoire de Nysse *au strict réalisme* qu' impliquait le langage liturgique » ; adhuc : « Le mérite de cette théorie est d'être une affirmation de la présence du corps et du sang du Christ ». etc. Si haec constant, quî idem Batiffol potuit scribere : « Le Verbe se donne un corps en vue de l' eucharistie..... Que sera donc *ce corps nouveau* du Christ, ce corps qui n' existait pas? Ne sera-t-il pas *un corps virtuel ?* ». Quo autem sensu infert tandem: « Nous disons qu' il (*Grégoire*) a eu une notion très nette de la réalité du corps eucharistique »? Intelligitne haec *de novo corpore et plane virtuali*, nimirum de pane corporali instituto a Christo ad conferendam comedentibus immortalitatem? Si verba, uti sonant, in diversis locis intellexit, eius expositio est doctrinae Gregorii Nysseni plane contradictoria, S. Patri iniuriosa, falsa, haeretica. Si ubique una fuit cogitatio *de novo corpore solummodo virtuali*, loquutus est aequivoce et captiose, atque est dubio procul nullo modo commendabilis.

Batiffol loquitur contradictorie, aut certe aequivoce.

34. Nyssenus ergo, de eucharistia loquutus, asserit pluries conversionem panis in verum et historicum Christi corpus. Conversionem vero hanc declarat : — α) per praesentiam realis Christi corporis : — β) per transmutationem et transelementationem, ac proinde per cessationem naturae panis in ipsum sub speciebus : — γ) per supernaturalem actionem Verbi transmutantis ac transelementantis naturam panis in verum Christi corpus : « Virtute benedictionis transelementata eorum, *quae apparent*, natura ». Haec autem, sin minus theologica, est dogmatica, non *transformationis substantialis* uti improprie ait Batiffol, sed Transsubstantiationis notio, quemadmodum ex documentis Ecclesiae in superioribus allatis datur intelligi. Recte igitur Schwane et Harnack Nyssenum intellexerunt, non recte Batiffol qui, dum videri vult Hypercriticus, ostendit se nullo modo criticum et, Modernistarum more, infelicem theologum. Plusve minusve in toto libro identicus sibi est. Non erat a viro docto, a Doctore praesertim Catholico scribendus liber. Sed enim Batiffolianum Opus ab Ecclesia fuit damnatum ; Auctor vero ab officio Catholicum Institutum Tolosanum regendi fuit remotus. Ipse vero LAUDABILITER PRORSUS SE SUBIECIT, ac subinde scripsit et scribit adhuc (sit id votis nostris ad multos annos !) opera in originum christianarum illustrationem; quae tamen, nostro quidem iudicio, profundioris theologicae doc-

Sincera et plana de conversione eucharistica Gregorii Nysseni doctrina.

Rectius, quam Batiffol, Schwane et Harnack Gregorium intellexerunt.

trinae inopia et aspersione quadam Loisyani spiritus, quae nondum penitus evanuit, pleniorem illum splendorem, quo possent fulgere, nondum emittunt.

THESIS II.

Sententia per panis vinique positivam mutationem Transsubstantiationem explicans catholico dogmati explicando non congruit; in se autem inspecta non videtur probabilis.

Prima thesis pars.

Argumentum generale.

1. *Probatur.* Sententia, quae vel transsubstantiationem non explicat vel, si utcumque explicat, impetit aut *obiective* negat dogmata ab Ecclesia definita et fidei nostrae proposita, catholico transsubstantiationis dogmati explicando, uti evidens est, revera non congruit. Atqui sententia per panis vinique positivam mutationem transsubstantiationem explicans vel catholicum transsubstantiationis dogma non explicat vel, si utcumque explicat, impetit aut obiective negat dogmata ab Ecclesia definita et fidei nostrae proposita. Ergo.

2. *Prob. 1.ª min. pars.* Uti in superioribus visum est[1], patroni huius sententiae tuentur transsubstantiationem esse unam simplicem actionem, qua Deus qui, ut auctor entis, potest in totum ens, immediate mutat in id, quod est entitatis in substantia corporis Christi, quidquid entitatis est in substantia panis; ut totalis desitio unius extremi sit ipsissima successio alterius *quadam ineffabili et inexplicabili ratione.* Atqui eiusmodi assertio transsubstantiationem non explicat. Ut enim iam inde ab initio ex Anselmo docuimus, et Theologi communiter adstipulantur, dogmatis explicatio bina memorat: *Cur* et *quomodo* sit; seu: Quomodo sit intelligendum, et: Quare ita intelligendum sit. Atqui proposita sententia non docet quomodo fiat transsubstantiatio, imo id dicit *ineffabile et inexplicabile;* sed solummodo tradit *cur*, aut rationem quare fiat, eam derivando ex potestate Dei in totum ens. Et plane Innocentius III., apud quem primo illam sententiam legimus, non quomodo fiat, sed quod fit transsubstantiatio seu substantialis conversio, adstruit, atque ab inquisitione cessandum monet[2]. Magister vero Sententiarum iisdem fere verbis, quae apud Innocentium leguntur, substantiali conversione constituta, de eius modo scribit: « Si vero quaeris *modum, quo id fieri possit*, breviter respondeo: Mysterium fidei credi salubriter potest, investigari salubriter non potest »[3]. D. Thomas demum, uti latissime suo loco demonstravimus[4], ex divina potestate in totum ens rationem dogmatis derivat, modum vero aut *quomodo* dogmatis aliunde repetit. Ergo illa sententia, prout adstruitur, dogma non explicat.

Proposita sententia non explicat *quomodo* dogmatis.

Innocentius III.

Magister Sententiarum.

D. Thomas.

---

[1] *Vide supra, Part. 3. Sect. 4. n. 3.*
[2] *Vide supra, Part. 2. Sect. 3. § 8. n. 112.*
[3] *Vide supra, Part. 2. Sect. 3. § 1 nn. 4. 5.*
[4] *Vide supra, Part. 2. Sect. 3. § 4. nn. 79.80. seqq.*

3. *Prob. 2.ª min. pars.* Si utcumque sententia illa modum transsubstantiationis declarare dicenda sit, id esset ex eo, quod asserit panis substantiam secundum se totam cessare, non quidem per lapsum in non esse, et subtractionem influxus Dei portantis omnia verbo virtutis suae, sed omnino actione positiva omnipotentiae, per quam in uno indivisibili instanti tota desinit in corpus Christi praeexsistens et immutatum. Atqui eiusmodi explicatio impetit aut obiective negat dogmata ab Ecclesia definita et fidei nostrae proposita. — Ut hanc minorem dilucide probemus, meminerimus quod in prima parte constitutum est, tria praecipue ab Ecclesia fuisse in re praesenti definita ac fidei nostrae proposita: 1.° Veram, realem, substantialem Christi praesentiam in eucharistia: 2.° Non permanentiam totius substantiae panis et vini, remanentibus duntaxat speciebus: 3.° Conversionem totius substantiae panis et vini in Christi corpus et sanguinem [1].

Proposita sententia impetit dogmata ab Ecclesia definita.

Tria in praesenti ab Ecclesia definita.

§ I.

Sententia Transsubstantiationem explicans per mutationem positivam impetit dogma transsubstantiationis.

4. Fundamenti loco constituendum est transsubstantiationem, quamvis eius praedicatum differentiale, nimirum *quod sit totius substantiae panis in totam substantiam corporis Christi*, fuerit clare ab Ecclesia propositum; non esse tamen perspicue et certo definitam. Ad hoc enim requireretur, ut eius generica ratio, quid videlicet ipsa conversio sit, certo innotesceret. Age iam ratum omnino est id *formaliter explicite* non haberi neque in Ecclesiae documentis, neque in verbo Dei scripto aut tradito. Quia vero conversio substantiae panis et vini in Christi corpus et sanguinem certissime revelata est; notio aut propria conversionis definitio, quae non solum *re*, sed etiam *formali conceptu* cum conversione identificatur, iuxta ea quae in *Tractatu de Fide* dicuntur, dici debet *formaliter implicite* revelata. Sed enim, hoc solo, revelatio illa non est nobis sufficienter proposita, atque porro notio conversionis vel ut *sic*, vel etiam eucharisticae, dici nequit *quoad nos* revelata, utut *quoad se* revelata dicenda sit. — Quod autem de revelatione diximus, de rationis lumine, proportionali pacto, est omnino asserendum. Ut enim intelligitur ex vario modo conversionem definiendi apud Theologos in usu, ubi non nominalis, sed realis sive conversionis, ut sic, sive conversionis eucharisticae quaeritur notio, nulla neque immediate evidens ac certa, neque apud omnes recepta habetur definitio. Superest ergo ut, theologico more, ex verbo Dei scripto ac tradito ex subservientique rationis lumine inquiramus quid de conversionis ratione sit, ut de sententiis variis iudicium feramus: Divinae veritati fidei nostrae ab Ecclesia propositae congruant necne. Quandoquidem

Transsubstantiationis praedicatum differentiale extra controversiam positum.

Genericum controversum.

Conversionis propria notio ex verbo Dei scripto et tradito, et ex ratione derivanda.

[1] *Cfr. Catechismum Concil. Trid. p. 2. De Sacram. Euch. cc. 25. 39. 40.*

Restringitur praesens inquisitio ad desitionem termini *a quo*.

autem sententiae, quam in disceptationem vocavimus, id proprium privumque est, ut de conversionis praesertim eucharisticae ratione asserat esse, ut terminus *a quo*, seu ipsa panis vinique substantia, non mutatione negativa seu per lapsum immediatum in non esse simpliciter, sed mutatione positiva seu per lapsum immediatum in aliquid aut in Christi corpus, desinat esse; quaestio istaec definienda est, ut pateat catholicum Transsubstantiationis dogma sententiam illam non explicare, aut potius impetere ac obiective negare. Hisce praeiactis, sit argumentum.

Desitio negativa termini *a quo* de ratione conversionis etiam eucharisticae.

5. De ratione verae conversionis, ut sic, atque porro de ratione conversionis eucharisticae, quae vera et quidem realis aut physica conversio in fide dicitur, est desitio negativa termini *a quo*, seu eius desitio per lapsum immediatum in non esse simpliciter in eo ordine et genere, in quo est ipsa conversio. Ergo sententia explicans transsubstantiationem per mutationem positivam termini a quo, seu per eius lapsum immediatum in aliquid, aut in Christi corpus, transsubstantiationis dogma impetit et obiective negat. *Consequentia* est evidens. Si enim de ratione conversionis etiam eucharisticae est desitio negativa termini *a quo*, sententia ipsam negans negat veram conversionem, et una aut consequenter transsubstantiationem, quae *generice* est vera conversio.

Probatur *a posteriori*.

Quod in conversione negative desinit, convertiur; quod non desinit negative, non convertitur.

6. *Prob. ant.* — α) *a posteriori*. Inspecto communi loquendi atque adeo intelligendi modo, ubicumque agnoscitur conversio, ibi agnoscitur desitio negativa termini *a quo* in eo ordine et eo modo, quo conversio agnoscitur; et id omne ac totum, quod negative desinit in suo ordine, ac proinde physice in ordine physico, moraliter in ordine morali etc. ex vi positionis alterius, dicitur vel dici potest conversum in hoc aliud, quod ponitur, sive sermo sit *de termino totali a quo*, sive etiam *de termino formali*. Contra vero, quod aliquid, sensu declarato, non desinit negative in aliquo ordine aut secundum aliquem modum, in illo ordine aut secundum illum modum non dicitur converti, etiamsi illius mutatione positiva aliud ponatur. Ergo signum est desitionem negativam termini *a quo*, sensu declarato, esse de ratione verae conversionis, ut sic; atque adeo desitionem physicam substantialemque, ubi sermo est de conversione physica eademque substantiali. *Consequentia* est manifesta; siquidem constantis illius modi concipiendi et loquendi nequit probabilis alia reddi ratio, quam connexio ex ipsa rei natura desitionem negativam inter termini *a quo* conversionemque. *Declaratur ant.* Quod lignum convertitur in ignem et homo in cadaver, lignum, qua tale, et homo, qua talis, ipsa conversione, iuxta omnium intelligentiam, et veritatem, negative mutantur, aut in non esse abeunt. Quod album convertitur in nigrum et dulce in amarum, ipsa conversione, album et dulce, qua talia, negative desinunt esse aut destruuntur. Quod dives et dominus convertuntur in pauperem et servum, dives etiam et dominus, qua tales, non sunt amplius. Quod prospiciens orientem convertitur in occidentem, ipsa in occidentem versione orientis prospectio aut orientem prospiciens formaliter nihil est. Praete-

Declaratur exemplis.

rea quod forma ligni, albedo, dulcedo, ius dominii, orientis prospectus negative desinunt ex vi positionis formae ignis, nigredinis amaritudinis, obligationis serviendi, occidentis prospectus, quamvis eiusmodi formae communiter non dicantur converti, *ut quod;* tamen dici possunt, ac saepe dicuntur converti, *ut quo.* Quia vero in interitu hominis, licet ipse negative mutetur et pereat, nec eius materia, nec eius forma negative mutantur quoad substantiam, aut non sunt; in destructione ligni, non perit simpliciter materia; in destructione divitis, non pereunt *per se* simpliciter divitiae; materia et anima hominis ne quidem, *ut quo*, dicuntur aut dici possunt converti in materiam et formam cadaveris, quando homo in cadaver convertitur: et similiter non dicuntur converti materia ligni et divitiae in materiam ignis et pauperiem, dum lignum in ignem, et dives in pauperem convertuntur. Ergo.

7. *Prob. idem ant:* — β) *a priori.* Conversio proprie aut vere dicta, ex simplicissimo ac primordiali suo conceptu, exhibet transitum aut terminationem rei conversae, quaecumque demum ea sit, in aliam ex vi positionis huius alius, uti vel ex modo facta inductione satis colligitur. At si terminus *a quo* non mutaretur negative per lapsum immediatum in non ens sub ea ratione, sub qua conversionis terminus est, atque adeo substantialiter in conversione substantiali, accidentaliter in accidentali etc., ipse terminus aut res conversa non posset dici transire seu terminari in aliam ex vi positionis huius alius. Et patet. Nam si non labitur in non-ens sub ea ratione, sub qua diceretur converti, sub hac praecisa ratione remanebit identica sibi et secum ante et post conversionem. Quod autem sibi identicum est, etiam postquam aliud est positum, nullo modo dici potest transire aut terminari in aliud; sed quatenus idem sibi secumque est, dici poterit incipere esse, seu coexsistere aut permanere cum alio in aliquo loco communi, aut in aliqua duratione, aut sub alia ratione, vel quid simile.

Prob. ant. *a priori.*

Si res conversa negative non desineret, non posset dici transire vel terminari in aliam.

8. *Dices:* Non sequi: Si aliquid non labitur in non-ens seu destruitur, remanet idem sibi et secum. Potest enim mutari in aliud, quin destruatur, et sic non remanere idem sibi et secum. — Respondeo: *Neg. instantiam* ob demonstrationem exhibitam. Ad rationem additam, nego simpliciter posse aliquid mutari in aliud, quin destruatur. Enimvero contradictionem et alia absurda in ratione illa contineri in secunda parte huius thesis erit probandum. Breviter nunc dicimus, si mutatio utcumque negativa sit, proportionatam amissionem destructionemque alicuius esse necessario praeferet; debet enim habere pro termino denominante negationem aut non-ens: si vero sit positiva, alicuius esse acquisitionem exhibebit. Si ergo prius locum habeat, res quatenus mutatur et in eo, quod mutatur, simpliciter non erit: si alterum, res, quatenus et in eo quod remanet, erit sibi secumque identica, licet vel aliud habeat, vel alio modo sit. Sed quod sit, et non sit sibi secumque identica, sed mutata in aliud, hoc est idem simul esse et non esse. Esse enim et idem sibi secumque esse

Obiectio.

Responsio.

Mutatio negativa alicuius esse amissione habetur; positiva alicuius esse acquisitione.

Esse et idem sibi esse unum sunt.

unum sunt, cum identitas supra esse solum addat distinctionis negationem. Si ergo aliquid sit et, quatenus est, non sit sibi secumque idem, erit simul et non erit. Sed de his suo loco.

Prob. ant. speciatim de conversione — substantiali — Monitum.

9. *Prob. idem ant.:* — γ) *speciatim de conversione substantiali.* Monemus nos, in hoc speciali puncto in quo contendimus de ratione conversionis, ut sic, atque adeo etiam substantialis, esse desitionem negativam seu lapsum in non-ens termini *a quo*, seu eius quod convertitur et quatenus convertitur; et consequenter in conversione substantiali desitionem negativam ipsius substantiae, quae convertitur: nos, inquam, in hoc puncto non solum repugnare sententiae, qua de praesens habetur disquisitio; sed etiam quibusdam Doctoribus aliis, arbitratis requiri quidem ad conversionem omnem desitionem termini *a quo* negativam, at vero ad conversionem, praesertim substantialem, non requiri negativam desitionem *simpliciter* termini *a quo*, sed sufficere desitionem aliquam *secundum quid*. Doctrina tamen nostra est communissima apud Theologos, ac non solum in se vera, sed etiam, ut minimum dicam, valde conformis doctrinae revelatae. Hoc praemonito, sit argumentum.

Negativa desitio simpliciter, et secundum quid.

10. Si ad conversionem substantialem non requireretur negativa desitio simpliciter termini *a quo* vel ipsius substantiae; deberet posse sufficere vel negativa desitio substantiae secundum quid vel, sine eius destructione, positiva substantiae desitio. Neutrum dici potest. Non primum. Nam desitio secundum quid, uti eam alii et alii explicant, esset desitio vel *a loco*, vel *a munere*, vel *ab aliquo gradu entitatis substantialis et non ab alio*, si hoc possibile est. At huiusmodi negativae desitiones ad conversionem substantialem haudquaquam sufficiunt.

Ad conversionem substantialem non sufficit desitio a loco.

11. *Non sufficit desitio a loco.* Si enim haec sufficeret, homo v. g. aut lapis, a lapide vel ab homine de suo quisque pulsus loco, dici deberent prior quidem substantialiter conversus in lapidem, alter vero in hominem, quae ridicula sunt. Itaque expulsio a loco et successio in locum *translocationem* unius eiusdemque substantiae; seu pressius conversionem huius *locati*, qua talis, eiusve loci, in ipsum aliter locatum, in aliumve locum; aut demum duarum substantiarum loci commutationem, quatenus una mutat locum proprium cum loco alterius, et haec aut cum loco illius aut cum alio loco, potest afferre; conversionem autem substantialem nullo modo potest inferre.

Non sufficit desitio a munere sustentandi accidentia.

12. *Non sufficit negativa desitio a munere.* Si sufficeret, id haberetur vel in munere *informandi materiam*, vel in munere *sustentandi accidentia*, uti vellent adversarii. At certe saltem dici nequit hoc alterum. Si enim Deus v. g. de potentia absoluta mutaret accidentia duorum panum ita, ut accidentia huius transirent in illum panem ab illoque sustentarentur, ac vicissim; uterque panis desineret negative abs munere sua accidentia sustentandi, succederetque alteri in sustentatione accidentium alterius. At nemo sanus diceret, in hoc casu, unum panem esse in alterum substantialiter conversum, cum uterque idem sit substantialiter, ac erat.—

Praeterea, in hoc casu, haberetur vel transmigratio accidentium de subiecto in subiectum, vel accidentium huius loci mutatio in locum alium, vel demum mutatio huius muneris sustentativi individui in individuum aliud munus sustentativum. Ex primo vero ad summum sequeretur *transaccidentatio*, ex secundo autem et tertio *conversio loci aut muneris;* sed nullo modo, nisi nominibus abutimur, *substantialis conversio.* — Sed neque primum dici potest. Si enim ad conversionem substantialem sufficeret negativa desitio informandi materiam, ubi in hominis morte destruitur unio inter animam et corpus, et anima, succedente cadaveris forma, desinit materiam informare, dici deberet non solus homo conversus in cadaver, sed anima etiam conversa in formam cadavericam; anima enim negative desinit a munere corpus informandi. Atqui hoc inauditum est. Videlicet etiam in hoc casu mutatio muneris habetur, substantiae non habetur. Haec enim identica sibi secumque est, atque ab aliis omnibus tum ante tum post illius muneris informativi desitionem distincta. Quomodo autem quod sibi secumque identicum est et ab aliis substantialiter distinctum in eorum aliquod substantialiter conversum dici potest?

Neque a munere informandi materiam.

13. *Non sufficit negativa desitio ab aliquo gradu substantiali, si fieri potest, remanentibus aliis.* In hac hypothesi, quod remaneret idem sibi secumque ante et post conversionem, atque adeo distinctum ab alio, nequit dici in hoc aliud conversum et hoc aliud esse. Quapropter etsi totum forsan, quod amplius non est, et gradus ille entitatis, qui negative desiit, dici possunt conversa; plane dici non possent conversi gradus illi, qui ex hypothesi identici remanserunt; uti dici nequit v. g. conversa materia prima in transformatione naturali. Igitur, universim, ut aliquid dicatur substantialiter converti, oportet ut secundum substantialem rationem sive totius, si totum dicatur converti, sive partis, si etiam pars dici debet conversa, desitione negativa simpliciter desinat.

Non sufficit negativa desitio ab aliquo substantiali gradu.

14. Et haec quidem contra Doctores illos, qui termini *a quo* negativam desitionem *secundum quid*, eiusque destructionem aliquam in substantiali conversione agnoscunt, possunt sufficere. At alii sunt, cum quibus nunc directius disputamus, qui in substantiali conversione eucharistica nullam agnoscunt negativam desitionem termini *a quo*, atque adeo hanc non putant esse de ratione conversionis, ut sic, quamvis forsan non negent illam esse de conversionis naturalis restrictiori ratione. Contra hos ergo secundum membrum superioris dilemmatis, nimirum non sufficere ad veram conversionem praesertim substantialem, ut terminus *a quo* positive desinat, sed requiri ut desinat negative, ex doctrina revelata demonstrandum est.

Ad veram conversionem non sufficit positiva desitio termini *a quo*.

15. Probatur ergo 1.° assertio nostra ex revelatione de conversione eucharistica. Meminerimus autem heic nobis cum catholicis Doctoribus de intellectu dogmatis controversiam esse, atque adeo ipsum dogma supponere; nimirum totam physicam entitatem substantiae panis et vini ab eucharistia abesse, ubi ex vi transsubstantiationis ibi ponitur Christi corpus et sanguis. Inquirimus

Quo sensu in revelatione dicatur panis ab eucharistia abesse;et quaenam huius desitionis ad conversionem habitudo sit.

autem : — α) Quo sensu dicatur in revelatione panis abesse aut non remanere, ut : — β) Definiamus quaenam non permanentiae panis ad conversionem aut transsubstantiationem habitudo sit. Si enim absit aut non maneat per lapsum in non esse, seu ita ut physice destruatur ; tum absit aut non maneat formaliter *quia convertitur ;* licebit inferre inter illa duo habitudinem dari necessariam formalis causae effectusque, atque porro ad rationem conversionis eucharisticae, quin conversionis etiam, ut sic, destructionem termini *a quo* per lapsum in non-esse omnino requiri.

Panis non desinit, quia a loco discedit.

16. Ut ergo a primo incipiamus, ratum apud nos sit oportet, in doctrina fidei, panem non dici desinere aut non esse in eucharistia, quod loco quasi discedit et abit alio, aut alibi constituitur, uti catholici Doctores nunc conveniunt ; quamvis veteres aliqui putarint id etiam in praesenti mysterio possibile esse, et ad conversionem sufficere ; alii senserint id et in praesenti mysterio impossibile, et ad transsubstantiationem insufficiens ; alii aliter fuerint opinati, quemadmodum apud fusiores theologiae scholasticae Tractatores potest videri. Verum si obscuriores quosdam omittamus, qui in priori parte huius argumenti satis sunt a nobis confutati ; apud alios quaestiones hae non factum et potentiam Dei ordinatam respiciunt, sed possibilitatem aut potentiam Dei penitus absolutam. Hi vero, si ad rationem ipsam conversionis aliud requiri ostendetur, pro praesenti instituto satis erunt a nobis disiecti. — Praeterea ratum etiam esse debet panem non dici non remanere in eucharistia ad mentem illorum Doctorum, qui finxerunt panem et vinum quoad substantiam *absorberi quodammodo* a substantia corporis et sanguinis Christi, quique optime a Suaresio refutantur[1], ac prope communiter negliguntur ab aliis. Restat ergo inquirendum : Utrum, in doctrina fidei, panis vinique substantia dicatur desinere aut non remanere per mutationem negativam, aut per *immediatum* lapsum in non esse per physicamque destructionem, an vero per mutationem positivam, seu per *immediatum* lapsum in aliquid, id est, in corpus et sanguinem Christi ; certum enim est apud omnes catholicos *terminum ultimum* integrae mutationis, qua panis substantia convertitur, esse ipsam substantiam corporis Christi.

Non desinit per absorptionem a Christi corpore.

Absentia panis ab eucharistia verbis formae efficaciter probatur.

17. Indubium est apud plerosque omnes Theologos absentiam panis et vini ab eucharistia verbis ipsis formae : *Hoc est corpus meum — Hic est sanguis meus*, efficaciter probari ; quatenus haec verba vera esse non possent si, posito Christi corpore, superesset adhuc panis substantia. Quo ex argumentandi modo plane intelligimus, uti notavit P. Vasquez, substantiam panis et vini excludi, aut implicite et consequenter negari una individua significatione praesentis Christi corporis et sanguinis sub speciebus, quae individua significatio vera non esset, nisi panis vinumque abessent[2].

---

[1] Suarez, *In 3.am p.em D. Thomae, q. 75. Disp. 5. Sect. 4. n. 7.*

[2] Vasquez, *In 3.am p.em D. Thomae, Disp. 181. c. 12. nn. 124-128.* — Gonet, Clypeus..... *De Sacramento Eucharistiae, Disp. 4. a. 1. § 2.* etc.

Fit hinc, ut panis ea ratione absit a speciebus, praesente Christo, qua Christus ipse fit praesens. Christus autem fit praesens secundum veram et realem illam substantiam, quam traxit ex Virgine, et qua sedet ad dexteram Patris. Ergo secundum suam individuam substantiam abest etiam aut desinit panis. Porro desitio secundum individuam substantiam, cum hic non sit mera translocatio; nec quidquam physicae entitatis ponat in Christi corpore, nec in alio; nec demum in reipsa, pane nimirum et vino, aliquid relinquat; physica profecto destructio, aut cessatio totius physicae substantiae dicenda est; quemadmodum praesentia corporis Christi est positio totius substantiae Christi praeexsistentis absque ulla mutatione, saltem substantiali, sive negativa deperditionis, sive positiva aut augmenti, aut *alietatis*.

18. Hunc plane intellectum, qui complicata quadam ratione ipsis formae verbis continetur, accepta ab Apostolorum traditione doctrina, sub adsistentia Spiritus veritatis ipsi a Christo Sponso promissa, Ecclesia praedicatione primum et ordinario magisterio ac praxi, subinde vero sollemnibus confessionibus ac definitionibus ita declaravit, ut mirum sit a quoquam negari in Eucharistiae Sacramento substantiam panis et vini per physicum sui non esse, per veramque destructionem desinere aut non remanere. Manifestatur eiusmodi intelligentia illis loquutionibus ac formulis apud Patres et fideles communiter in usu, quibus pro re nata fidem profitebantur suam, ac porro Ecclesiae. In his enim professionibus ac doctrinis fidei invenimus absentiam panis in eucharistia significatam: — α) *Explicita panis negatione, ac subnexa de eodem pane Christi corporis affirmatione.* Sic Cyrillus Hierosolymitanus: « Istaec, *inquit*, edoctus, et certissima imbutus fide quod, qui videtur panis, *panis non est*, tametsi gustu sensibilis sit, *sed corpus Christi;* et quod videtur vinum, *vinum non est*, tametsi ita gustui videatur, *sed sanguis Christis*..... confirma cor tuum, panem illum tanquam spiritualem sumens, et animae tuae faciem exhilara »[1]. — Parili modo loquitur Iacobus Sarugensis: « Ab illo temporis puncto, quo *(Iesus)* accepit panem et dixit illud corpus suum, *non erat panis*, *sed corpus eius*, et hoc edebant admirantes »[2]. — Et Auctor sermonis de verbis Evangelii: *Domine, doce nos orare*, olim Augustino tributi: « Dixi vobis quod, ante verba Christi, quod offertur, *panis dicatur;* ubi Christi verba deprompta fuerint, *iam non panis dicitur, sed corpus appellatur* »[3]. Et Stephanus Augustodunensis: « Itaque fides nostra est, et vere credendum est quod, sacerdote proferente haec verba: *Hoc est corpus meum*, iam *non est panis terrenus, sed ille panis, qui de coelo descendit, mediator Dei et hominum Iesus Christus* »[4].

Sensus Ecclesiae de absentia panis ab eucharistia ante tempora Berengariana.

Cyrillus Hierosolimitanus.

Iacobus Sarugunensis.

Vetus auctor.

Stephanus Augustodunensis.

19. Praeterea: — β) Patres, post consecrationem, non solum pa-

[1] S. Cyrillus Hierosolymitanus, *Catechesi 22., Mystag. 4. n. 9.*

[2] Iacobus Sarugensis, *apud P. De Benedictis, in Antirrhetico II. c. 9.*

[3] Auctor sermonis: *Apostoli Sancti*..... inter Opera S. Aug. apud Migne, *Appendix, Serm. 84. n. 3.*

[4] Stephanus Augustodunensis, *Tractatus De Sacramento altaris, c. 15.*

Chrysostomus.

nem explicite negant, sed *asserunt etiam diserte aut aequivalenter substantia corporis Christi ipsum consumi, uti cera igni consumitur, aut certe physice destrui.* Audiamus Chrysostomum aut veterem alium Patrem, si alius Homiliae IX. *De Poenitentia* apud Chrysostomum Auctor est: « Ne quasi panem id respicias, neu quasi vinum existimes. Non enim haec, sicut reliqui cibi, in secessum vadunt: absit, ne sic cogites. Quemadmodum enim, cera igni admota, nihil substantiae amittitur, nihil superfluit; sic et hic puta *mysteria consumi corporis substantia.* Propter quod et accedentes ne putetis vos accipere divinum corpus ex homine, sed ex ipsis Seraphim forcipe ignem, ut scilicet Isaias vidit[1], divinum corpus accipere putate: et quasi impolluto lateri admoti labiis, sic salutari sanguini participemus »[2]. Atque huc faciunt quae superius exscripsimus ex

---

[1] *Isa. 6, 6.*

[2] S. Ioannes Chrysostomus, *De Poenitentia, Homilia, 9. n. 2.* Μὴ ὅτι ἄρτος ἐστὶν ἴδῃς μηδ' ὅτι οἶνός ἐστι νομίσῃς. Οὐ γὰρ ὡς αἱ λοιπαὶ βρώσεις εἰς ἀφεδρῶνα χωρεῖ· ἄπαγε: μὴ τοῦτο νόει· ἀλλὰ ὥσπερ κηρὸς πυρὶ προσομιλήσας οὐδὲν ἀπουσιάζει, οὐδὲν περισσεύει· οὕτω καὶ ὧδε νόμιζε συναναλίσκεσθαι τὰ μυστήρια τῇ τοῦ σώματος οὐσίᾳ κ. τ. λ. Ed. Migne. — Etiam hic D. Batiffol, *specie* quidem ut propriae historiae methodo toto rigore inhaereat, *re* autem spiritu nescio quo ductus, nostram ac valde communem apud catholicos scriptores laudati textus intelligentiam impugnat, carpitque imprimis Cardinalem Franzelin. Contendit in allato textu; μυστήρια significare corpus et sanguinem Christi, ac τῇ τοῦ σώματος οὐσίᾳ corpus nostrum exhiberi; sententiam vero esse: *Corpus et sanguinem Christi consumi substantia corporis nostri.* — Si praescindas verba, quae profert quia vult, et dubia quae sine ratione serit, duplici videtur argumento moveri. Primum est: « *Notre orateur oppose à* ἄρτος et οἶνος *l' element invisibile qui constitue* τὰ μυστήρια ». Ergo μυστήρια non significant panem et vinum, sed corpus et sanguinem Cristi. Cum haec igitur substantia corporis dicit consumi, nequit intelligi id dicere nisi de substantia corporis nostri. Quare corpus nostrum significatur igne consumente ceram; quae, suo modo, Christi corpus et sanguinem refert. — Alterum est: « *Mieux inspiré, parce qu' il ne s' inspirait que de Chrysostome, saint Jean Damascène* (*De fide orthodoxa, lib. 4. c. 13*) *traduisait ainsi le texte objet de tant de contresens:* Σῶμά ἐστι καὶ αἷμα Χριστοῦ..... οὐ φθειρόμενον, οὐκ εἰς ἀφεδρῶνα χωροῦν (μὴ γένοιτο), ἀλλ' εἰς τὴν ἡμῶν οὐσίαν καὶ συντρῆσιν. *L' interprétation du Damascène ne laisse subsister aucun doute sur l' erreur du cardinal Franzelin* ». Batiffol, *Op. et loc. laud. pag. 273.*

Sed enim in medium afferre *corpus nostrum* consumens Christi corpus et sanguinem, quae essent μυστήρια, est vere: *Deus ex machina.* In toto loco controverso de corpore nostro nunquam sermo est, sed unice de Christi corpore. Post verba: *Mysteria consumi corporis substantia,* immediate habes: « Propter quod et accedentes ne putetis vos accipere *divinum corpus* (μεταλαμβάνειν τοῦ θείου σώματος) ex homine, sed ex ipsis Seraphim *forcipe ignem* (τῇ λαβίδι τοῦ πυρὸς), ut scilicet Isaias vidit (*Isa. 6, v.*) *divinum corpus* (τοῦ θείου σώματος) accipere putate: et quasi *divino et impolluto lateri* admoti labiis, sic salutari sanguini participemus ». — Ad haec, falsum est, quod ait Batiffol, Oratorem opponere pani et vino τὰ μυστήρια. Quod iniuria in Card. Franzelin contorsit, in ipsum revolvitur: non intellexit, aut noluit recte locum intelligere. Quid tandem contendit Chrysostomus vel, ut ipse ait, Orator (hoc nimirum homini emunctae naris et historicae debetur crisi)? Postquam eucharisticam mensam descripsit, increpat eos qui, sacrificii tempore, saecularibus, ridiculis, vanis colloquiis vacabant, ac subdit: « Cum qua postea fiducia *ad mysteria* accedes? cum qua polluta conscientia? Num si stercus in manibus haberes, auderes contingere fimbriam terreni regis? ». Ut a culpabili illo agendi modo auditores removeat, pro ratione affert quod ille panis illudque vinum, quae mysteria sunt, non sunt panis et vinum, sed sunt corpus Christi. Hoc enim est, quod graece habetur: Μὴ ὅτι ἄρτος ἐστὶν ἴδῃς, μηδ' ὅτι οἶνος ἐστι νομίσῃς, quae recte latine reddidil Montfaucon, aposiopesin

Nysseno, ex Damasceno, ex Theophylacto[1] qui, dum ad intelligendam aliquo modo transsubstantiationem intellectum manuducunt, alimentorum transformationem naturalem a Christo adhuc mortali factam meminere. Uti enim in alimentatione naturali cibus potusque dissolvuntur et pereunt; sic abs dubio intelligebant, operante Spiritu Sancto, totam panis vinique substantiam, quam in eucharistia negabant, dissolvi ac perire. Hoc autem ipsum Chrysostomus expressit aiendo: totam panis vinique substantiam, ad modum cerae igni admotae, a Christi corpore ita consumi, ut eiusdem penitus nihil remaneat — οὐδὲν απουσιάζει, οὐδὲν περισσεύει [2]. Nyssenus, Damascenus, Theophylactus.

20. Ad haec: — γ) Absentiam panis, ubi non formali negatione significant, significant saltem *immediata oppositione panem inter vinumque ac Christi corpus et sanguinem, simul ac intercesserit consecratio.* Hoc pacto loquitur Ambrosius: « Ipse clamat Dominus Iesus: *Hoc est corpus meum.* Ante benedictionem verborum coelestium alia species nominatur; post consecrationem corpus signi- Ambrosius.

---

quandam in Chrysostomi verbis latetem clarius insinuans: « Ne quasi panem id (*haec aut ea*) respicias, neu quasi vinum existimes (*Christi enim corpus et sanguis sunt*). Neque enim haec (*hic panis hoc vinum*) sicut reliqui cibi in secessum vadunt. Absit, ne sic cogites ». Quare? Quia quod in secessum vadit, substantia nimirum panis et vini - μυστήρια - heic Christi corpore consumitur; ad eum modum quo cera consumitur igne. « Quemadmodum enim, cera igni admota, nihil substantiae amittitur nihil superfluit (vel ut rectius, graecorum verborum potestati inhaerendo, vertit Batiffol: *Il n' an demeure aucun résidu, pas plus qu' elle* (la cire) *ne se transforme au feu en un corps plus précieux*): sic et hic puta mysteria consumi corporis substantia ». Itaque statim infert: « Propter quod et accedentes ne putetis vos accipere *Divinum corpus* ex homine, sed ex ipsis Seraphim forcipe ignem »; et in antecedentibus: « Ignis spiritualis ex sacra mensa erumpit ». *Ignis* igitur corpus divinum est: *cera* sunt mysteria: atque uti se habet ignis ad ceram, sic se habet corpus Christi ad mysteria; et uti cera igne consumitur, sic Christi corpore consumuntur mysteria. Non autem quoad species, quae apparent. Ergo quoad substantiam: quod ipsum verbo ἀπουσιάζει insinuatur, quod proprie significat *substantiae partem alicui dare.* Nihil proinde sui cuiquam dat, sed tota cerae atque adeo panis vinique substantia destruitur aut perit. Quapropter quod de suo inserit Batiffol: « *l' aliment qui t' est donné* »; contra Auctoris mentem arbitrarie inserit, ut *corpus sumentis* subinde inveniat. In textu controverso non *de sumptione cibi*, sed *de eo, quod cibus est*, notio habetur.

Falsum praeterea est a Damasceno, loco citato, Chrysostomum explicari. Nulla apud Damascenum, eo in loco, Chrysostomi est mentio. Quamvis iuxta mentem et doctrinam aliorum Patrum et Ecclesiae Damascenus loquatur, de suo tamen loquitur. Quid, quod ad historiae rigorem interpretatus Batiffolius Damascenum truncat et in alium sensum pervertit. Enarrantis eucharistiae effectus Damasceni verba sunt: « Corpus et sanguis Christi est, in nostri tum animi tum corporis vegetationem (σύστασιν - constitutionem) cedens (χωροῦν), quod *nec consumatur* (οὐ δαπανώμενον), nec corrumpatur, nec in secessum vadat, absit, sed in substantiam nostram et conservationem, omnigenae labis propulsationem etc. ». Apud Chrysostomum legimus: *mysteria consumi.* Batiffol ait mysteria esse corpus Christi. Damascenus dicit *corpus Christi non consumi.* Batiffolius, insertis punctis, hoc silet, et Damasceni verba profert uti Chrysostomi interpretationem. Effectus a Damasceno enumerati, magnam partem, sunt certo spiritales: ex quo intelligimus illos etiam, qui corporale quid videntur sonare, spiritaliter esse intelligendos, uti spiritaliter subinde ipse intelligit Damascenus. Qua mente, qua fide scripsit Batiffolius?

[1] *Vide supra, Thes. I, nn. 14. 15. 16.*

[2] Chrysostomus, *loc. laud.*

ficatur. Ipse dicit sanguinem suum. Ante consecrationem aliud dicitur; post consecrationem sanguis nuncupatur. Et tu dicis: Amen, hoc est, Verum est. Quod os loquitur, mens interius fateatur: quod sermo sonat, affectus sentiat »[1]. Et Ambrosiaster, quicumque demum sit Auctor librorum *De Sacramentis:* « Antequam consecretur, panis est; ubi autem Christi verba accesserint, corpus est Christi..... Et, ante verba Christi, calix est vini et aquae pienus; ubi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis Christi efficitur, qui plebem redemit »[2]. Nec dissimili ratione loquitur vulgatus Emesenus, verus, uti videtur[3], Isidorus Hispalensis, aut alius quilibet vetus sed magnae auctoritatis Scriptor: « Sicut autem quicumque ad fidem veniens, ante verba baptismi, adhuc in vinculo est veteris debiti; his vero commemoratis, mox exuitur omni faece peccati: ita quando benedicendae verbis coelestibus creaturae sacris altaribus imponuntur, antequam invocatione summi nominis consecrentur, substantia illic est panis et vini. Post verba vero Christi, corpus et sanguis est Christi »[4]. Ubi insinuare satis videtur Isidorus substantiam panis et vini ipsa consecratione ab eucharistia removeri, uti baptismate a peccatore removentur peccata. Peccata autem baptismi gratia removentur, quatenus tolluntur omnino, aut suo modo destruuntur.

Ambrosiaster.

Isidorus Hispalensis.

21. Insuper: — δ) Patres alii, ad denotandam ab eucharistia panis absentiam, *oppositionem constituunt inter Christi corpus et panem communem seu usitatum, quem proinde peracta consecratione negant.* Iustinus in Apologia I., postquam descripsit quae in fidelium conventibus peragebantur, et quomodo ad synaxim erat accessus participatioque, haec habet: « Neque enim *ut communem panem, neque ut communem potum ista sumimus.* Sed quemadmodum per verbum Dei caro factus Iesus Christus Salvator noster et carnem et sanguinem habuit nostrae salutis causa; sic etiam illam, in qua per precem ipsius verba continentem gratiae actae sunt, alimoniam, ex qua sanguis et carnes nostrae per mutationem aluntur, incarnati illius Iesu et carnem et sanguinem esse edocti sumus »[5]. — Et Ambrosiaster: « Tu forte dicis: *Meus panis est usitatus.* Sed panis iste panis est ante verba sacramentorum: ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi..... Ergo didicisti quod ex pane corpus fiat Christi; et quod vinum et aqua in calicem mittitur, sed fit sanguis consecratione verbi coelestis. — Sed forte dicis: *Speciem sanguinis non video.* Sed habet similitudinem. Sicut enim mortis similitudinem sumpsisti; ita etiam similitudinem pretiosi sanguinis bibis, ut nullus horror cruoris sit, et pretium tamen operetur redemptionis. Didicisti ergo quia, quod

Iustinus.

Ambrosiaster.

---

[1] S. Ambrosius, *De Mysteriis, c. 9. n. 54.* — Editio Migne.
[2] Auctor librorum, *De Sacramentis, lib. 4. c. 5. n. 23.*
[3] Arevalus, *Isidorianae, c. 72. n. 25.*
[4] Auctor *Sermonis De Corpore et Sanguine Domini, Serm. 4. n. 15.* In Appendice 12. ad Opera S. Isidori. — Migne.
[5] S. Iustinus, *Apologia I. ad Antoninum Pium, n. 66.*

accipis, corpus est Christi »[1]. — Nyssenus demum, ut alios praeteream, magnifica quadam ratione omnimodam praeteriti panis absentiam in eucharistia exhibet, inquiens: « Panis est absque semine, absque aratione, absque alio humano opere nobis paratus. Is desuper defluens in terris invenitur. Panis enim, qui de coelo descendit, qui verus cibus est, qui aenigmatice hac historia (*manna videlicet*) significatur, non incorporea quaedam res est. Quo enim pacto res incorporea corpori cibus fiet? Res vero, quae incorporea non est, corpus omnino est. Huius corporis panem non aratio, non satio, non agricolarum opus efficit; sed terra intacta permansit, et tamen pane plena fuit, quo famescentes mysterium Virginis perdocti facile saturantur »[2]. Ab hoc igitur coelesti cibo, per Nyssenum, terrenus panis omnis penitus ablegatur. Nyssenus.

22. Recte quae allata sunt perpendenti patebit sane huiusmodi formulis, quae Patribus aliis communes sunt ac maxime in usu, antequam exortae haereses pressiorem dicendi rationem ad contutandam veritatem persuaderent; huiusmodi, inquam, formulis: *Panis non est iam panis, sed corpus Christi — Ante consecrationem est panis, panis communis, usitatus; post consecrationem corpus Christi — Est panis vivus absque humano opere nobis paratus* etc.: — α) Significari absentiam panis ab eucharistia ita plane, ut panis secundum totam suam physicam rationem negetur; quin etiam aut diserte dicitur *consumi*, aut aequivalenter *destrui* — β) Sic negari aut dici *consumi*, *destrui*, ut simul dicatur esse *corpus Christi*, illud idem corpus, quod incarnatione susceptum est, ac porro in gloria Dei sedet. Iam negatio rei physicae, quae physica sui consumptione aut destructione significetur; quae subinde sic alia facta dicitur, ut neque in se, neque in ea, quae ipsi successit, neque in alia, quidquam pristinae entitatis retineat; cuiusque nomen assumitur tanquam merus tropus ad rem aliam, quae unice est, commendandam; est negatio rei, quae in physicum non esse, in physicamque deperditionem prorsus abierit. Ergo. Collectio ex doctrina Patrum.

23. Ubi vero Berengarianae haereseos tumultus incepere, modi hi loquendi veterum Patrum ab initio quidem fere retenti, mox in clariorem physicae substantiae panis negationem defluxere. Durandus Troarnensis Abbas, unus ex prioribus qui Berengarium oppugnarunt, scribit ad normam veterum Patrum: « Qui (*panis*), dum offertur, tantummodo panis est, et temporale carnis morituraе subsidium; post consecrationis vero mysterium, caro Christi est vera et immortale fidelis animae praesidium »[3]. Ac rursum: « Hic ergo specie tenus panis, sed in veritate caro Veritatis, et vita fidelis mundi, iudicium vero infidelis..... proinde vocatur *supersubstantialis*, quia superiorem fovet substantiam hominis, vegetatque ac provehit: quod profecto ante consecrationem agere ne- Sensus Ecclesiae post tempora Berengariana. Durandus Troarnensis.

---

[1] Ambrosiaster, *De Sacramentis, lib. 4. nn. 14. 19. 20.* — Cfr. *Renalli versus*, Migne, *Patr. Latin, tom. 147. p. 600.*

[2] S. Gregorius Nyssenus, *Mystica interpretatio vitae Moysis, n. 20.* — Migne.

[3] Durandus Troarnensis, *De corpore et sanguine Christi, pars. 4. n. 9.*

quit terrenus panis, qui in corpus vadit, sed iste nimirum, qui animae substantiam fulcit, qui merito iam, post verba Dominica, ut Augustinus ait, vocatur Christi corpus, utpote in aliud transformatus operatorio coelitus iure sacrandi »[1].

Gulielmus Abbas.

24. Eandem sententiam paulo aliter, atque efficacius quidem, exhlbet Gulielmus Abbas S. Theodorici, inquiens: « Qua dignatione et pietate dignatus est in humeros suos levare ovem perditam, id est, in unitatem personae suae assumere corruptam naturam nostram; eadem nunc terrenam substantiam panis suscipiens, in virtute divinae potentiae, cui in omnibus et per omnia subest cum voluerit posse, transmutat in veritatem carnis suae. — Cum vero mutat naturam in naturam, substantiam in substantiam, corpus in corpus, *hoc solum de eo, quod mutatum est, facit superesse, quod res exigebat*, scilicet ut cum panis substantia in illam transierit substantiam, quae sedet in dextera Patris, de qualitate prioris substantiae hoc sibi vindicet, ut secundum mysterii ritum tractabile fiat et gustabile ex illa natura, quod non erat ex sua »[2]. Declarat subinde suo sensu Gulielmus conversiones naturales atque, inter alia, scribit: « Si quis enim vinum fundat in mare, non mixtum est mari vinum, *sed in mare corruptum*..... Si multitudini maris modicam vini guttam in suam transmutare naturam, in tantum *ut de ea nihil penitus videatur residuum*, est possibile; multitudini et magnitudini virtutis Christi, qua cum Deo Patre unum est homo Christus Iesus, omnipotenti Creatoris actione, et obedientissima creaturae passione panem in suum transmutare corpus erit impossibile? »[3]. Heic Gulielmus solas species dicit *superesse* de substantia panis; et hoc solum ex pane Christum illum eundem, qui ad dexteram Patris sedet, habere ut, secundum mysterii ritum, tractabilis fiat et gustabilis: tum virtute sua Christum sic transmutare panem, uti gutta vini ab aquis maris *corruptione* transmutatur. Haec autem aperte innuunt, ex Gulielmo, substantiam panis consecratione negative mutari, corrumpi, destrui. Quare merito Lanfrancus: « Quis enim, *inquit*, compos sui credat rem aliquam converti in aliam, nec tamen in ea parte desinere esse, quod erat? »[4]. Explicaturus autem et defensurus Ambrosii, seu potius Ambrosiastri verba, quibus Berengarius abutebatur: « Si igitur tanta vis est in sermone Domini Iesu, ut inciperent esse, quae non erant, quanto magis operatorius est, ut sint quae erant, et in aliud commutentur »[5]; subdit: « Esse quidem secundum visibilem speciem testatur quae erant, commutari vero secundum interiorem essentiam in naturam illarum rerum, quae antea non erant »[6]. Monet tamen: « In quibusdam codicibus praefata sententia verbis aliis invenitur hoc modo: *Si igitur tanta vis est in*

Lanfrancus.

---

[1] *Idem, Ibidem, n. 10.*
[2] Gulielmus Abbas S. Theodorici, *De Sacramento altaris, cc. 2. 3.*
[3] *Idem, Ibidem, c. 4.*
[4] Lanfrancus, *De corpore et sanguine Domini, c. 9.*
[5] Ambrosiaster, *De Sacramentis, lib. 4. c. 4. n. 15.*
[6] Lanfrancus, *Op. et loc. laud.*

sermone Domini Iesu, ut inciperent esse quae non erant, quanto magis operatorius est, ut quae erant in aliud commutentur? »[1].

Algerus.

25. Sed clarissime omnium rem nostram et catholicam mentem, saeculo XII., declarat Algerus, Leodiensis Scholasticus. Hic Berengarianam impanationem ut refellat, inter plura alia in rem nostram scribit. « Revera enim Verbum fit caro, et panis fit eadem caro; sed longe diverso modo. Verbum fit caro, et nascitur caro de carne, assumendo carnem, non mutatum in carnem: sic factum quod non fuerat, ut non desisteret esse quod erat. Panis autem fit eadem caro, non nascitur caro, nec assumit carnem, sed mutatur in carnem: *sic factus quod non erat, ut desistat esse quod fuerat*..... Cum ergo panis mysticus non nascatur, nec aliqua naturae terrenae origine vel conditione in hoc divinae gratiae sacramento creetur, *sed ita corpus Christi fiat, ut panis esse desinat, quomodo res*, QUAE IAM NON EST, vel ipsa alicui, vel aliquid ei impersonari potest? — Sed quomodo Christus in pane, *qui iam non est*, impanari dicitur, cum Christus in panem nec convertatur, nec aliquatenus panis fiat; sed, e converso, panis in corpus Christi convertatur, et corpus Christi fiat, *ita ut panis non remaneat?* Non enim ita sumere dicendus est in altari speciem vel formam panis, sicut in utero virginali speciem et formam carnis, cum in utero sumpserit speciem vel formam cum substantia, in altari vero speciem vel formam panis *mutata et non permanente substantia*. Cum enim dicitur species vel forma panis et vini, haec illarum rerum sunt vocabula, quae ante fuerunt, scilicet panis et vini. *Panis enim et vinum in sacramento iam non sunt, sed ante fuerunt.* Quam igitur in sacramento possunt ereare novam personam, *in quo nec antiquam suam retinent substantiam?* »[2]. Subinde, declarato Ambrosiastri dicto uti modo legimus in Lanfranco, subdit: « Quidquid enim mutatur in aliud, in aliquo desinit esse quod fuerat, sive substantialiter, sive accidentaliter. *Sed in pane et vino, cum in corpus Christi mutantur, accidentia esse non desinunt, sed omnia remanent. Ergo panis et vini substantia esse desinit* »[3].

Colligitur ex Algero physica panis destructio.

26. In his, quae fusiori calamo ex Algero exscripsimus, panis vinique substantia dicitur: *Desistere esse quod fuerat — Desinere esse panis — Non esse — Non remanere — Mutari et non permanere — Ante fuisse, sed iam non esse.* Iam vero huiusmodi loquendi modi, quod saepe in veteribus Theologis notavimus, physicum non esse panis, propriamque substantiae panis destructionem in sensu obvio praeseferunt. — Tum Algerus sic panem dicit desistere esse quod fuerat, uti, ex opposito, Verbum in Incarnatione non destitit esse quod erat; sic desinere esse et non remanere, ut e contra accidentia non desinunt esse ac remanent; sic non esse, ut non possit in sacramento constituere novam personam, nec retineat suam antiquam substantiam; et, quod caput est, sic

---

[1] *Idem, Ibidem, loc. laud.*
[2] Algerus, *De Sacramento corporis et sanguinis Domini, lib. I. c. 6.*
[3] *Idem, Ibidem, c. 7.*

desinere, uti naturaliter desinit quidquid mutatur in aliud. Quapropter uti harum oppositionum membra positiva exhibent perseverantiam in esse physico sive Verbi, sive accidentium, sive eius, quod utcumque retinet suam antiquam substantiam; sic, contra, membra negativa praeseferunt non perseverantiam, seu nullam perseverantiam in esse physico substantiae panis et vini sive in se, sive in alio; et sicut in naturalibus conversionibus quidquid mutatur in aliud, desinit per physicam corruptionem aut destructionem, sic panis eucharisticus per physicam desinit corruptionem aut destructionem. Ens autem quod ex esse physico, quo fruebatur, in physicum non esse cecidit, abs dubio destructum est, aut corruptum, aut quidquid aliud dici debeat, modo in physico nihilo relinquatur.

Algerianae formulae paullatim in catholicae Theologiae, ac ipsius Ecclesiae censum devenere.

27. Algerianae hae formulae: *Panis non est — Substantia panis desinit esse — Non remanet, remanent autem species, formae, accidentia* etc., partim ex Patribus acceptae, partim primo vel adhibitae vel instantius inculcatae ad physicam panis destructionem in eucharistia significandam, paullatim in communem Theologiae catholicae censum devenerunt, quin defluxerunt etiam in solemnem Ecclesiae usum; uti tum ex iis, quae ex veteribus Theologis in superioribus retulimus, tum ex Wikleffi Constantiensi damnatione, ex Tridentino, ex Pistoriensium censura apertissime patet. Ex subsequuto autem huiusmodi consensu ac usu propria ratio intellectus catholici, quam in vetustis sive Patribus sive Scriptoribus aliis Ecclesiasticis deprehendimus, novam accipit lucem ac firmitatem. Adhibitae enim huiusmodi formulae sunt contra cuiuscumque generis Impanatores aut Companatores, simulque declaratum est communi *fere* calculo, uti in Critica disquisitione Part. II. constabilivimus, eas sic negare panis substantiam in eucharistia, ut significent: — α) Substantiam illam nihil esse physice in seipsa: — β) Nihil physice ponere, nec esse aliquid physice sive in Christi corpore, sive in alio: — γ) Una vel alia ratione iam millies declarata, per suspensionem divini influxus eam conservantis in nihilum abiisse. Atqui substantialis entitas, quae cessatione conservationis in nihilum abiit; quae proinde modo nihil est prorsus sive in se, sive in alio, ac porro nullibi est; si annihilata *proprie* quacumque demum de causa dici non debeat, uti subinde erit videndum, periisse prorsus, ac physice destructa aut corrupta dicenda est; neque enim aliter, quam per annihilationem sive propriam, sive impropriam aut per destructionem, aut quocumque alio nomine illiusmodi negativus entis status appelletur, res, quae erat, in physicum non esse potuit abire. Quapropter panis substantia, quae secundum totam suam physicam entitatem, ex doctrina fidei ab Ecclesia intellecta et declarata, in eucharistia esse negatur, per lapsum in nihilum periisse prorsus dicenda est.

Quaenam destructae substantiae panis ad conversionem habitudo sit.

28. Gradum facimus ad id, quod secundo loco fuerat propositum, ad inquirendum nempe: *Quaenam destructae substantiae panis ad conversionem eucharisticam, ad Transsubstantiationemve habitudo sit.* Si catholicam Theologiam ac revelationem ipsam consulamus,

ea in ratione formalis causae effectusque continetur: videlicet ideo substantia panis esse desinit aut abit in physicum non esse, quia in Christi corpus convertitur. Fluit habitudo haec ex ipsis formae verbis, in quibus illa individua significatio corporis Christi, excludens panis substantiam ut vera esse possint, fundamentum est transsubstantiationis ex Scripto Dei Verbo derivandae, uti a Tridentino admonemur[1]. Porro eadem prorsus ratione, qua ex verbis formae transsubstantiatio habetur, habeatur etiam necesse est ex formulis illis: *Ante consecrationem panis est — Est panis communis — Usitatus;* post consecrationem: *Non est panis — Non est panis communis — Desinit esse panis — Non remanet substantia panis, remanentibus speciebus;* sed: *Est corpus Christi — Substantia corporis Christi — Christus vere, realiter, substantialiter — Est panis caelestis, vivus* etc. Huiusmodi enim formulae nihil sunt aliud, quam explicita evolutio illius conceptus, qui implicita quadam ratione verbis formae significatur, uti ex huc usque dictis satis constat. Quapropter uti in formae verbis datur sufficiens fundamentum inferendi transsubstantiationem seu conversionem panis in corpus Christi esse causam, seu causalitatem, seu rationem formalem (haec enim in praesenti nobis unum idemque sunt) non-esse, aut desitionis et destructionis substantiae panis, et esse ac positionis corporis Christi; eodem prorsus pacto ex aliis formulis inferendum est conversionem esse causam, seu causalitatem aut rationem formalem quare desitio negativa panis et positio corporis Christi, connexa quadam ratione, locum habeant.

Est habitudo formalis causae effectusque.

Ex verbis formae consecrationis.

Ex variis Patrum formulis.

29. Atque huiusmodi nexus causalitatis, quem argumentando intulimus, formali etiam ratione in doctrina Patrum continetur. Res vel leviter in catholica Theologia versatis est prorsus manifesta, ut merito liceret ab afferendis Patrum auctoritatibus temperare. Conversionem eucharisticam, uti apud Doctores catholicos ratum est, Patres alii significant dicendo: *Christum fecisse panem — fecisse de pane corpus suum.* Hoc pacto loquuntur Tertullianus: « Acceptum panem, et distributum discipulis, corpus illum suum fecit: *Hoc est corpus meum, dicendo* »[2]: De quo testimonio legendus omnino est Bellarminus[3]; Ambrosiaster: « Ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi »[4]; S. Gaudentius Brixiensis: « Ipse naturarum creator et dominus, qui producit de terra panem, de pane rursus, quia et potest et promisit, *efficit* proprium corpus: et qui de aqua vinum fecit, *facit* et de vino sanguinem suum »[5].

Nexus causalitatis conversionem inter desitionemque panis in doctrina Patrum continetur.

Tertullianus.

Ambrosiaster, S. Gaudentius Brixiensis.

30. Patres alii eandem conversionem *mutandi* verbo significant. Cyrillus Hierosolymitanus: « Aquam olim in vinum, *inquit*, quod sanguini affine est, in Cana Galilaeae *transmutavit:* et eum parum

S. Cyrillus Hierosolymitanus.

---

[1] Tridentinum, *Sess. 13. c. 4.*
[2] Tertullianus, *Adversus Marcionem, lib. 4. c. 40.*
[3] Bellarminus, *De Sacramento Eucharistiae, lib. 2. c. 7.*
[4] Ambrosiaster, *De Sacramentis, lib. 4. c. 4. n. 14.*
[5] S. Gaudentius Brixianus, *Sermo II. De Exodi lect. 2.* — Migne.

dignum existimabimus cui credamus, cum vinum in sanguinem *transmutavit?* »[1]. — Chrysostomus, postquam magnifice de Christo in eucharistia praesente data opera eloquutus est, haec habet: « Non sunt humanae virtutis haec opera. Is, qui tunc in illa coena haec confecit, et nunc etiam operatur. Nos ministrorum habemus ordinem: qui vero illa sanctificat et *transmutat*, ipse est..... Haec ipsa mensa est, quae nihil minus quam illa habet. Neque enim illam Christus, hanc homo facit; sed hanc et illam ipse »[2]. Atque eodem pacto loquuntur Nyssenus, Damascenus, Theophylactus in superioribus laudati, Patresque alii omnino multi.

Chrysostomus.

Ambrosius.

31. Patres demum alii, ne nimii simus, ipso utuntur *convertendi* verbo: « Advertimus igitur, *ait Ambrosius*, maioris esse virtutis gratiam quam naturam; et adhuc tamen propheticae benedictionis numeramus gratiam. Quod si tantum valuit humana benedictio, ut naturam *converteret;* quid dicimus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur? Nam sacramentum istud, quod accipis, Christi sermone conficitur. Quod si tantum valuit sermo Eliae, ut ignem de coelo deponeret[3]; non valebit Christi sermo, ut species mutet elementorum?.... Sermo Christi, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea, quae sunt, in id mutare quod non erant? Non enim minus est novas rebus dare, quam mutare naturas »[4]. — Et Isidorus Hispalensis: « Quando benedicendae, *inquit*, verbis coelestibus creaturae sacris altaribus imponuntur, antequam invocatione summi nominis consecrentur, substantia illic est panis et vini; post verba autem Christi, corpus et sanguis est Christi. — Quid autem mirum est, si ea, quae verbo potuit creare, verbo possit creata *convertere?* »[5]. Eodemque pacto alii.

Isidorus Hispalensis.

Ex allatis auctoritatibus assertus causalitatis nexus colligitur et declaratur.

32. In his et locis similibus, quae passim apud Patres inveniuntur, negatio ac porro physica, uti probatum est, panis destructio positioque Christi corporis in eucharistia verbo aliquo conversionem exprimente significantur, copulanturque inter sese ita, ut conversio sic significata ratio sit et desitionis panis, et praesentiae corporis Christi. Quapropter in doctrina revelata utrumque dubio procul continetur: in eucharistia nimirum et panis substantiam in physicum non-esse abire, et id quidem ex vi conversionis ipsius in corpus Christi. Ex hac autem doctrina, quae factum utique respicit, non sine fundamento licet inferre ordinem illum causalitatis, inter conversionem panis in Christi corpus atque physicam ipsius desitionem destructionemve intercedentem, non esse ordinem mere *accidentalem*, ab adventitio aliquo principio repetendum; sed esse ordinem *quidditativum*, ab ipsa rerum conversionisve natura plane requisitum. Hunc enim causalitatis nexum Patres exhi-

[1] S. Cyrillus Hierosolymitanus, *Catechesi 22. Mystagogica 4. n. 2.*
[2] S. Ioannes Chrysostomus, *In Matthaeum, Homil. 82.* (*al. 83.*) *n. 5.* — Migne.
[3] *III. Reg. 18, 30-38.*
[4] S. Ambrosius, *De Mysteriis c. 9. n. 52.*
[5] S. Isidorus Hispalensis, *Sermo de corpore et sanguine Domini, nn. 15, 16.*—*Qp. S. Isid. tom. 7. Append. 12.* — Migne.

bent uti constantem necessariumque sive *a posteriori* procedant, sive omnino *a priori*. *Panis*, aequivalenter inquiunt, *non est. Ergo conversus est;* et: *Panis in Christi corpus conversus est. Ergo non est.* Fit hinc ut, in determinatis adiunctis, ex negatione termini *a quo* liceat *a posteriori* conversionem inferre. Hoc pacto communiter arguimus ex veritate verborum formae: *Ut in sensu obvio et naturali vera sint Christi verba, solus Christus praesens est in eucharistia. Ergo panis non est. Ergo in Christi corpus conversus est.* In processu vero *a priori* necessario et semper ex data conversione physica desitio termini *a quo* inferatur opus est. Hac ratione argumentando in praesenti procedimus: *Ex doctrina Patrum et Ecclesiae, in eucharistia panis convertitur in corpus Christi. Ergo panis non est, aut physice destruitur; quia de ratione physicae conversionis est physica desitio termini a quo destructione.* Horum ratio est quod, si panis aut res alia convertibilis, absolute loquendo, aliis modis quam per conversionem potest desinere, repugnat absolute panem aut rem aliam convertibilem converti physice, quin physice desinat esse destruaturve, quippe cum de ratione physicae conversionis sit physica destructio termini *a quo*.

De ratione conversionis esse destructionem termini *a quo prob.* 2.° ex generali doctrina Patrum de conversione.

33. Probatur iam 2.° eadem assertio huc usque constabilita, nimirum physicam destructionem aut desitionem simpliciter termini *a quo* esse de ratione conversionis, praesertim substantialis, ex iis, quae de conversione universim a Patribus traduntur. Patres enim contra haereticos, ac speciatim contra Monophysitas disputantes contendebant rem, quin intereat, non posse converti; atque ex impossibilitate interitus rei, praecipue vero naturae divinae, huius absolutam inconvertibilitatem propugnabant acerrime.

Tertullianus.

Ad rem Tertullianus: « Ceterum Deum immutabilem et informabilem credi necesse est, ut aeternum. *Transfiguratio autem interemptio est pristini.* Omne enim quodcumque transfiguratur in aliud, desinit esse quod fuerat, et incipit esse quod non erat. Deus autem neque desinit esse, neque aliud potest esse. Sermo autem Deus: et sermo Domini manet in aevum[1], perseverando scilicet in sua forma »[2]. — Minus quidem diserte, sed idem omnino docet S. Leo M. « Nec enim Verbum, *ait*, aut in carnem, aut in animam aliqua sui parte conversum est; cum simplex et incommutabilis natura Deitatis, tota in sua sit semper essentia, nec damnum sui recipiens, nec augmentum; et sic assumptam naturam beatificans, ut glorificata in glorificante permaneat »[3]. Quo in loco notandum est S. Patrem excludere conversionem Verbi secundum partem, quod simplex natura est, nec partes habet; excludere vero conversionem quamlibet, quod Verbum immutabile est. Haec autem immutabilitas, ratione sui, ut excludit a Verbo augmentum, excludit etiam damnum ex conversione derivandum, quod in ente simplicissimo negationem totius esse necessario in-

S. Leo Magnus.

---

[1] *Ioann. 1, 1. — Isa. 40, 8.*
[2] Tertullianus, *Adversus Praxeam, c. 27.*
[3] S. Leo, M. *Epist. 35. Ad Iulianum Coensem Episc. II. c. 2.* Migne.

ferret. Ergo ex S. Leone conversio quaelibet termini *a quo* interemptionem ex vi sui memorat.

Vigilii Tapsensis locus insignis.

34. Hanc eandem doctrinam plenius reperimus evolutam apud Vigilium, non Tridentinum uti olim dicebatur, sed Tapsensem, quemadmodum nunc eruditi conveniunt. Placet, quod in rem nostram faciat, pleniori ratione exscribere. Urget ergo Vigilius Eutychetem eiusque asseclas sequenti pacto: « Quid sibi autem velit tanta professionis vestra varietas, ut quod una manu aedificatis, alia iterum destruatis, non intelligo; nisi quia veritatem religionis mendaciorum fucis eluditis, aliud ore, aliud corde gestantes. Nam qui paulo ante Dei Verbum *inconvertibile* fassi fueratis, rursus id nescio qua conversione mutatum asserere vultis. Ita enim de ipso dixistis: *Volens Dei Verbum liberare hominum genus, utpote creator sui figmenti, semetipsum replasmavit incarnatus de nostra substantia.* Quis tam nefandae opinionis latentem non aspiciat dolum, imo magis apertum? Ergone Dei Verbum *seipsum replasmavit*, et non carnem sibi in utero matris creavit? cui se ineffabili modo univit, iuxta Salomonis verba dicentis: *Sapientia aedificavit sibi domum*[1], quae posset morte destrui, sicut ipse in Evangelio ait: *Destruite templum hoc, et in tribus diebus suscitabo illud. Hoc*, inquit, *dicebat de templo corporis sui*[2]. Si itaque, *seipsum replasmavit, plasmatus* ergo antea, non genitus fuit. Nos autem Filium Dei ante saecula de Patre *non plasmatum*, sed genitum confitemur. Qui si, ut vos asseritis, novissimis temporibus seipsum in utero Virginis *replasmavit*, plasmatus ergo, ut dixi, id est, factus vel creatus, non genitus fuit. Ac sic obtinuit Arianum dogma, secundum istum impium sensum, facturam asserens Filium Dei. Deinde si seipsum *replasmavit, destruxit ergo semetipsum*, id est, id quod prius fuit, et *replasmavit se in id, quod antea non fuit. Replasmatio enim sine destructione prioris formae non potest intelligi.* Et audi Ieremiam:..... *Et descendi in domum figuli, et ecce ipse faciebat opus suum super rotam, et exterminatum est vas, quod faciebat, in manibus eius: et conversus replasmavit illud in aliud, sicut placuerat oculis eius*[3]. Vides ergo replasmationem novissimi operis *interitum demonstrare prioris?* Ita ergo et Verbum Dei, *sine abolitione et interitu status sui prioris, replasmare seipsum non potuit in utero matris.* Sed ut concedamus, *quod huius sententiae conditio non sinit, sine sui abolitione seipsum replasmasse...* »[4].

Collectio ex Vigilio.

35. In longiori hoc loco Vigilius conversionis Verbi Eutychianos accusat, quod hi dixerunt Verbum *seipsum replasmasse.* Ipse autem replasmationem, atque porro conversionem a Verbo propulsat: — α) Quia illa Arianismum renovat, et Verbum creaturis accenset: — β) Quia conversio et replasmatio *prioris formae destructionem — prioris interitum — prioris status abolitionem et inte-*

---

[1] *Prov. 9, 1.*
[2] *Ioann. 2, 19 seqq.*
[3] *Ierem. 18, 2 seqq.*
[4] Vigilius Tapsensis, *Contra Eutychetem, lib. 4. c. 2.* — Migne.

ritum praeseferunt; et *sine huiusmodi destructione — abolitione — interitu* non possunt intelligi. Quapropter hypothesim replasmationis conversionisve *sine prioris abolitione* traducit ut impossibilem: *Sed ut concedamus, quod huius sententiae conditio non sinit, sine sui abolitione seipsum replasmasse.* En quomodo clarissime et instantissime docet de ratione conversionis, ut sic, esse destructionem termini *a quo.*

36. Ne alios afferamus Patres negantes Deum posse converti, quia destructionis interitusque est incapax, satis sit synthesim exhibere, qua doctrinam omnium paucissimis ac dilucidis verbis, uti in more habet, conclusit Aquinas, inquiens: « Alio modo fit aliquid unum ex perfectis, sed transmutatis, sicut ex elementis fit mixtum. Et sic aliqui dixerunt unionem Incarnationis esse factam per modum complexionis. Sed hoc non potest esse. Primo quidem, quia natura divina est omnino *immutabilis*, ut in prima parte dictum est[1]. Unde *nec ipsa potest converti in aliud, cum sit* INCORRUPTIBILIS; nec aliud in ipsam, cum sit ingenerabilis »[2]. Ubi Angelicus rationem propriam et omnino *a priori*, quare essentia divina nequeat esse terminus *a quo* conversionis cuiuslibet, in eiusdem *incorruptibilitate* apertissime reponit; et consequenter innuit corruptionem destructionemve termini *a quo* esse de ratione conversionis, ut sic, atque, proportione servata, conversionis omnis. Haec autem mire concinunt cum eiusdem doctrina de conversione eucharistica, a nobis in superioribus amplissime et fidelissime relata. D. Thomas.

37. Ast ne in sola Deitate id consequi arbitremur: *Est incorruptibile. Ergo est inconvertibile;* inverit huc derivare quae propius ad rem nostram scribit Guitmundus Aversanus in Berengarium eiusque sectatores acriter invehens: « Illud sane, *inquit*, quis vel mediocriter eruditus solo auditu non perhorreat, quod videlicet caro et sanguis Domini propter indignos in panem revertantur et vinum? Caro quippe et sanguis Domini *incorruptibilis* est. Quod autem *incorruptibile* est, nec corrumpitur, nec corrumpi potest. At *essentiam suam perdere*, et in panem corruptibilem et vinum corruptibile reverti, ista quidem magna corruptio est. Igitur caro et sanguis Domini in panem et vinum iam reverti non potest. Quapropter et hic error sepeliatur aeterno silentio »[3]. — Augustinus item homines illos Ulyssis ac Diomedis comites, qui apud gentiles in lupos, aut aves, aut in alia huiusmodi animalia conversi dicebantur, non vere, sed ficte tantum putavit conversos eo etiam ex capite, quod non mutati seu destructi sed alio abducti potius fuerunt existimandi[4]. Guitmundus Aversanus. S. Augustinus.

38. Probatur 3.° eadem assertio ex consensu moraliter unanimi

---

[1] *Summ. Theol. 1. p. q. 9. a. 1.*

[2] D. Thomas, *Summ. Theol. 3. p. q. 2. a. 1. carp.*

[3] Guitmundus, *De Corpore et Sanguine Domini, lib. 3. sub finem.* — Migne.

[4] S. Augustinus, *De Civitate Dei, lib. 18. c. 18.* — Cfr. *Quaest. in Heptateuchum, lib. 2. quaest. 19. seqq. In Exod. 7, 9.*

De ratione conversionis esse destructionem termini *a quo* probatur 3.° ex consensu Theologorum.

Theologorum omnium. Uti in parte II., critice agendo, latissime demonstravimus, Theologos omnes, si tres quatuorve, certe paucos excipias, de quorum aliquo v. g. de Thoma Waldensi posset adhuc disputari: Theologos, inquam, moraliter omnes, imprimisque Halensem, Albertum M., D. Thomam, S. Bonaventuram, Aegidium Romanum; tum Paludanum, Capreolum, Aureolum, Ferrariensem, Caietanum, generatim Scotistas et Nominales; atque subinde, uti concedunt adversarii, a saeculo XVI. ad nostra tempora, Theologos reliquos intellexisse et declarasse conversionem eucharisticam per annihilationem *aut proprie, aut saltem improprie dictam* substantiae panis et vini, extra controversiam positum est. Porro hi iidem Theologi, plerique quidem etiam *explicite*, reliqui vero *virtuater et implicite* id docent, quia desitio ac porro abitus in nihilum termini *a quo* est de ratione conversionis, ut sic, uti suis locis ostendebatur. Ergo ex morali consensu Theologorum catholicorum, Scripturae, Patrum et Ecclesiae sensum declarantium, destructio aut lapsus in nihilum termini *a quo* est de ratione verae conversionis, ut sic, atque adeo conversionis substantialis, et demum conversionis eucharisticae.

Confirmatur demonstratio ex modo agendi Theologorum, Patrum, Ecclesiae.

39. Confirmatur tandem demonstratio nostra ex modo, quo non solum Theologi ac Patres, sed ipsa etiam Ecclesia solemniter definiens, in re praesenti se gesserunt, ubi non aderat specialis ratio, quare rem distinctius proponerent. In superioribus iam notavimus Theologos et Patres ex assertione conversionis panis in corpus Christi destructioni absentiaeve panis ab eucharistia satis provisum credidisse; ac rursum ex demonstrata panis destructione, iuxta ordinem sacramentalem connaturalemque, illius conversionem in Christi corpus definivisse. Eadem obtinuit agendi ratio in causa Berengariana in qua, postquam directe disceptatum est acerrime de reali substantialique Christi praesentia et de panis destructione absentiave sub speciebus consecratis, definita est aut sub anathemate proposita Christi praesentia et substantialis conversio panis et vini in Christi corpus et sanguinem, quin explicite quidquam de panis vinique absentia definiretur. Almaricus et Wikleffus ex permanentia substantiae panis transsubstantiationem negabant. Proposita est directe contra Almaricum in Lateranensi IV. Transsubstantiatio; in Wikleffo autem ratione transsubstantiationis a Constantiensi damnatus est articulus primus, quo haereticus homo contendebat corporalem substantiam panis vinique in eucharistia remanere, uti in parte I. huius disquisitionis satis expendimus. Haec autem innuunt panis physicam destructionem, quemadmodum ex demonstratis non permanentia panis in eucharistia intelligenda est, sic cum eiusdem conversione cohaerere, ut conversio non possit intelligi quin eius terminus *a quo* funditus pereat destruaturque.

In causa Berengariana.

In causa Almarici et Wikleffi.

§ II.

Sententia Transsubstantiationem explicans per mutationem positivam impetit dogmata non permanentiae substantiae panis, et realis Christi praesentiae.

Impossibile est per mutationem positivam totam panis substantiam cessare.

40. *Probatur.* Impossibile est per mutationem positivam totam panis substantiam cessare aut esse desinere. Atqui, si hoc, sententia, quam impugnamus, impetit dogmata non permanentiae totius substantiae panis, et realis Christi praesentiae in eucharistia. Ergo. — *Prob. mai.* — α) Omnis mutatio positiva habetur per acquisitionem alicuius formae aut esse, uti omnis mutatio negativa per alicuius formae aut esse amissionem; ita ut, si mutatio positiva *impropria* sit, habeatur transitus a non esse simpliciter ad esse simpliciter, et est creatio; si autem sit *propria*, habeatur transitus unius eiusdemque subiecti ab aliqua privatione ad formam, vel ab aliquo non esse ad aliquod esse; mutatio enim omnis a termino specificatur, et *positiva* aut *negativa* dicitur, prout terminus positivus aut negativus est. Atqui impossibile est ut, quod est, per acquisitionem formae aut esse, cesset aut desinat esse id, quod erat, quamvis forsan *aliud*, vel *aliter* fiat; quia mera positio alicuius esse non repugnat alteri esse: ceterum si repugnaret et excluderet, iam non esset sola mutatio positiva sed, contra hypothesim, mutationem includeret negativam. Ergo.

Adversariorum actione transsubstantiativa nequit cessare tota panis substantia.

41. *Prob. eadem mai:* — β) In tantum per mutationem positivam cessaret in eucharistia tota panis substantia, in quantum cessaret actione formaliter transsubstantiativa substantiae panis in corpus Christi, uti volunt adversarii. Atqui, etiam praescindendo ab inconvenientibus aut contradictionibus, quae in hoc conceptu includuntur et de quibus in secunda parte thesis erit sermo, actione transsubstantiativa ad mentem adversariorum nequit cessare tota substantia panis. Nam, ad mentem adversariorum, actio transsubstantiativa et transsubstantiatio esset *conversio totius et solius substantiae in substantiam*, non solum in quantum excluderet conversionem accidentium in accidentia, aut substantiae et accidentium in substantiam; sed etiam in quantum excluderet quamlibet aliam variationem, praeter illam, quae est substantiae in substantiam, atque adeo *panis entitas maneret.* « Tertia opinio negat, *scribit Suarez*, manere aliquid substantiae panis sub eadem differentia specifica, sub qua antea erat. Affirmat tamen *hanc individuam entitatem panis per conversionem fieri corpus Christi, et ita manere.* Hanc sententiam insinuat Henricus[1]; praecipue tamen tribui solet Caietano, qui multum illam insinuat.....[2] ». Atqui eiusmodi conversione nequit in eucharistia cessare tota panis substantia. Non cessaret enim physica ratio *entitatis* panis, ex aperta

[1] Henricus. *Quodlibeto 9. quaest. 9.* et *Quodl. 11. quaest. 4.*
[2] Suarez, *In 3.am p.em D. Thomae, q. 75. a. 2. Disp. 49. Sect. 4. n. 3.*

Actione illa non cessaret saltem realis panis entitas.

confessione adversariorum : ceterum si haec etiam cessaret, non positive, sed negative cessaret tota panis substantia, cum in purum nihilum tota abiret. Et sane, in hac hypothesi, substantia panis nihil omnino esset in se ; nihil in Christi corpore, quod nullo modo cum panis substantia intrinsece connecteretur ; nihil in alio quolibet, cum in nihil aliud converteretur. Ergo simpliciter non esset, et consequenter actione negativa in nihilum simpliciter fuisset prolapsa. Iam si non cessat realis entitatis ratio, tota realis panis substantia, secus ac Concilia, praesertim Constantiense et Tridentinum definiunt, reapse non cessat; ens enim nominaliter sumptum est praedicatum quidditativum, et in substantiis substantiale Ergo.

42. *Prob. min. 1.° arg.* Si in eucharistia ac porro in Christi corpore remanet *realis entitas* substantiae panis aut *aliquid* ex reali pane, uti aiebat Henricus, quidquid sit utrum hoc possibile sit aut impossibile, evidenter falsum est totam, realem seu corporalem substantiam panis non remanere, seu nihil de tota, reali seu corporali substantia panis remanere ; sunt enim hae propositiones stricte contradictoriae, quarum proinde una aliam necessario excludit. At Concilia, praesertim Constantiense et Tridentinum, uti suo loco expendimus, hoc definiunt, nihil videlicet de tota panis substantia in eucharistia remanere. Ergo. — Rursum si in Christi corpore, prout in eucharistia est, remanet *realis entitas* aut *aliquid reale* de substantia panis ; ergo Christi corpus, prout est in eucharistia, non est illud idem corpus substantialiter immutatum, quod traxit de Virgine, quod pependit in cruce, quod in coelo sedet ad dexteram Patris. Corpus enim hoc in sua quidditate non includit *realem entitatem*, aut *aliquitatem* ex panis substantia, uti ipsam includeret Christi corpus, prout in eucharistia est. Atqui si hoc, sententia adversariorum impetit dogma realis praesentiae Christi, prout ab Ecclesia in causa praecipue Berengariana propositum est. Ergo.

Nihil remanere de tota panis substantia, et aliquid remanere contradictoria sunt.

Si in Christi corpore aliquid remanet de panis substantia, non est illud corpus immutatum substantialiter, quod in coelo est.

Declaratur ex Suaresio.

43. Iuverit hanc minorem, atque una superius dicta, confirmare Suaresii verbis : « Sequitur, *inquit*, ex illa sententia (*quae docet remanere in eucharistia realem entitatem aut aliquitatem ex panis substantia) :* Primo, non totam substantiam panis converti ; quia quod manet, non convertitur : dicitur autem manere illa substantia, prout haec..... entitas est. Sequitur secundo, non manere duntaxat accidentia panis; quia haec entitas panis non est accidens, et manere dicitur. Sequitur tertio, non esse omnino idem corpus Christi, quod est in coelo, et quod est in sacramento quoad entitatem suam, quod est contra fidem. Patet sequela; quia corpus, quod est in sacramento, est illa entitas, quae fuit panis: corpus autem, quod est in coelo, non est illa entitas, quia non est creatum ex illa. Quin potius sequitur quarto, haec corpora saltem numero distingui. Quod ita declaro ; quia ante consecrationem haec entitas panis distinguebatur numero a corpore Christi, quod est in coelo, et tamen post consecrationem dicitur manere eadem numero entitas sub esse corporis Christi in Sacramento. Ergo

corpus Christi, prout est in sacramento, est res et substantia numero distincta ab eodem corpore, prout est in coelo; non enim potest manere eadem numero entitas, et non distingui numero suo realiter ab eo, a quo per seipsam distinguebatur. Quin potius cum per conversionem dicatur haec entitas mutare specificationem suam, et ita ex pane transire ad esse corporis Christi, necesse est, ut illud esse corporis Christi, quasi individuetur per hanc entitatem, quam contrahit. Ulteriusque sequitur quinto, sub diversis speciebus sacramentalibus multo magis esse corpora Christi numero distincta; quia sub illis erant panes numero distincti non solum in esse panis, sed etiam in esse huius entitatis..... »[1].

Obiectio.

44. *Dices:* Absurda huiusmodi theologica, atque errores non recte inferuntur; quia realis panis entitas, utut identica sibi ante et post consecrationem, post consecrationem tamen est omnino conversa in illud idem Christi corpus, quod est in coelo. — *Respondeo: Nego instantiam eiusque rationem.* Nam ut praescindamus: Utrum quod conversum est, identicum sibi ante et post conversionem esse possit, quod mox erit discutiendum; ast id sartum tectumque, ex dictis, esse debet, conversionem non dari, imo nec dari posse, ubi idem remanet, quod erat convertendum. Probavimus enim de ratione conversionis esse desitionem simpliciter abitumque in nihilum termini *a quo:* quod certe non habetur, ubi ante et post conversionem remanere eadem dicitur realis entitas. Itaque adversariorum doctrina, omnibus perpensis, doctrinae fidei videtur inimica.

Responsio.

Secunda thesis pars.

Sententia per substantiae panis vinique positivam mutationem Transsubstantiationem explicans in se inspecta non videtur probabilis.

Declaratur 2.ª Thesis pars.

45. *Declaratur.* — Quandoquidem sententia, quam impugnamus, si nova non est, est noviter post fata ex cineribus excitata, eademque non sine magna contentione in scholis ab aliquibus propugnatur; quamvis quoad suam substantiam satis fuerit a nobis in superioribus proposita; iuvat tamen, corrogatis unde unde subsidiis ex editis libris, ex foliis lithographice excussis, ex manuscriptis aliis, quae ad nos pervenerunt, eam plenius hoc loco illustrare. Silebuntur autem auctorum nomina, cum publici iuris nondum omnia sint facta.

Quid asseritur a sententia, quae impugnatur.

46. In sententia ergo, quam nunc discutiendam suscipimus, Transsubstantiatio, formaliter aut active inspecta, in actione reponitur, quae pro formali termino habeat efficere, ut: *Quod erat panis, sit corpus Christi:* videlicet non efficere Christi corpus, ut sic; sed efficere, ut panis substantia iam sit corpus Christi. Si inquiras: Quid hoc memoret? difficilis explicatio est. Universim asseritur talem esse actionem quae, quin panis substantiam destruat, ipsam in Christi corpus immutat; atque ita plane, ut *desitio* sub-

Quomodo intelligitur.

[1] Suarez, *In 3.am p.em E. Thomae, q. 75. Disp. 49. Sect. 4. n. 9.*

Desitio substantiae panis est ipsa successio corporis Christi.

stantiae panis sit ipsa *successio* corporis Christi; et substantia panis, quin physice amittat esse substantiae panis, fiat aut per positivam mutationem adducatur ad hoc, ut sit ipsummet Christi corpus immutatum. Conversio totius substantiae in substantiam, *aiunt*, est totalis desitio unius perfecti, quae non solum ratione simultaneitatis coniungitur cum *successione* alterius perfecti, sed etiam est *ipsamet* quadam ineffabili et inexplicabili ratione. Neque enim panis desinit per lapsum in non esse, sed per hoc, quod in eodem indivisibili instanti totus convertitur et conversus est in corpus Christi. Conversio enim ista active sumpta, ex hoc ipso quod attingit illud, circa quod versatur, in ipso instanti illud facit esse in aliud transmutatum. Nam Transsubstantiatio non est unius substantiae destructio, alterius positio; sed est una simplex actio, qua Deus, qui ut auctor entis habet actionem in totum ens, immediate mutat in id, quod est entitatis in substantia corporis Christi, quidquid entitatis est in substantia panis; ita ut subiectum actionem patiens non sit ullo modo corpus Christi, sed sola substantia panis, quae per mirabilem illam et singularem conversionem adducitur ad hoc, quod sit ipsummet corpus de Virgine natum et ad dexteram Patris sedens.

Subiectum actionem patiens est sola substantia panis.

47. Quatenus ergo per transsubstantiationem panis substantia, quin destruatur, sic immutatur, ut fiat seu adducatur ad hoc ut sit ipsummet Christi corpus, dicitur actio transsubstantiativa habere pro termino, ut: « *Quod erat panis, iam sit corpus Christi* », seu ut habeatur identitas inter id quod erat panis mutatum et corpus Christi. Huiusmodi autem identitatem explicant, aiendo eam non esse *secundum permanentiam subiecti* utrique termino communis, qualis habetur in sequenti et similibus propositionibus: *Quod erat album, nunc est nigrum;* sed secundum *permanentiam huius entis in confuso accepti:* atque hoc pacto volunt intelligi debere illud: *Quod*, huiusmodi identitatem ex parte subiecti propositionis exhibens. Legimus: Si quaeras, quid fiat per istam conversionem, seu quis sit terminus eius, respondeo: Non fit motus receptus in pane, tanquam accidens in subiecto. Non fit corpus Christi: « Certe tunc non fit eius humanitas, quia facta est in conceptione; non fit gloria corporis, quia facta est in resurrectione; non fit perfecta aetas, quia triginta annorum spatio est perfecta » [1]. Sed fit, ut *quod* erat panis, iam sit corpus Christi, per illud *quod* intelligendo non commune subiectum manens, sed *hoc ens in confuso* quod, cum prius esset panis, nunc per totalem sui conversionem est corpus Christi praeexsistens et immutatum.

Identitas inter id quod erat panis et corpus Christi.

48. Ast vero quando dicitur: *Hoc ens in confuso quod, cum prius esset panis, nunc..... est corpus Christi*, animadvertamus oportet *rationem illam entis in confuso* in re ipsa non posse dari; sed tantum in conceptu aut in propositione rem, in se quidem determinatam, confuso modo seu indistincte significante. Quaerimus:

Ens in confuso nequit dari in re, sed solum in conceptu aut propositione.

---

[1] S. Bonaventura, *IV. Dist. X. part. 2. q. 2.* — Videsis quae de hoc loco Seraphici Doctoris diximus *Part. 2. Sect. 3. § V. n. 91.*

Quid confuso huic conceptui obiective respondeat? Estne ratio aliqua entis realis aut physici, an logici aut metaphysici? Videlicet illud ens in confuso, quod prius erat panis et iam est corpus Christi, atque adeo huic identicum est ratione entitatis, estne aliquid reale seu in physico rerum ordine exsistens; an vero est ens conceptum secundum rationem intelligibilitatis et praedicabilitatis? Panis et corpus Christi conveniuntne in reali entitate, aut conveniunt solum in abstracta et analogica ratione entis, ut sic, aut entis convertibilis, aut in univoca ratione entis substantialis seu substantiae? Si primum diceretur, entitas panis et entitas corporis Christi, in quod panis substantia conversa est, essent una et eadem physica entitas: si secundum, entitas panis et entitas corporis Christi essent una et eadem entitas, non tamen realiter et physice, sed logice aut metaphysice. Horum duorum sensuum prior *strictior* est et *plenior;* alter *latior;* quia, iuxta priorem, identitas et unitas subiecti et praedicati habetur in ordine tum physico, tum logico; iuxta posteriorem, in ordine tantum logico.

Adversariorum mens.

49. Horum duorum sensuum uter sit adversariorum sensus non satis constat, uti non constat de vero Caietani sensu, quem hac in re imitantur[1]. Videntur priorem sectari. Non solum enim physicam panis destructionem negant; sed ut illa Tridentini verba declarent: « Quae conversio convenienter et proprie a sancta Catholica Ecclesia *Transsubstantiatio* est appellata »[2], valde communiter aiunt eucharisticam conversionem proprie dici Transsubstantiationem duplici ex capite, ex eo nimirum quod includit, et ex eo quod de connotato negat. Ex priori capite Transsubstantiatio dicitur, quia eius termini formales non sunt principia substantiarum, nimirum formae substantiales, sed totae sunt substantiae ipsae panis nimirum et vini, et corporis Christi et sanguinis. Ex altero, quia excludit omnem aliam mutationem praeter illam, quae est substantiae unius in substantiam alterius; ita ut non sit mutatio totius panis, substantiae scilicet et accidentium, in corpus Christi; neque mutatio substantiae panis in corpus Christi cum mera corruptione accidentium; neque mutatio substantiae panis eiusque entitatis in substantiam et entitatem corporis Christi; sed mutatio totius et solius substantiae panis in substantiam corporis Christi. Hinc entitas videtur esse physice eadem in pane et Christi corpore. Diximus sensum hunc strictiorem *videri* sensum adversariorum; quia *forsan* quae attulimus exponi possunt sensu latiori, uti Doctores varii Caietanum interpretantur. Ceterum, sive stricto sive lato sensu loquantur, si simul retinent substantiam panis non mutari negative sed solum positive, eorum sententiam dicimus non esse probabilem.

Definitur assertionis sensus.

---

[1] Cfr. Sotum, *IV. Dist. 9. q. 2. a. 4.* — Valentiam, *In 3.am p.em D. Thomae, Disp. 6. q. 3. punct. 3.* — Vasquez, *In 3.am p.em D. Thomae, Disp. 181. c. 10.* — Suarez, *In 3.am p.em D. Thomae, Disp. 50. Sect. 4. etc.*

[2] Tridentinum, *Sess. 13. cap. 4.*

Probatur argumento generali.

50. PROBATUR. — Sententia carens convenienti auctoritatis suffragio, quae nullo solido nititur fundamento, quaeque contra se rationes habet validissimas ac prope evidentes, non est sententia probabilis; his enim positis, neque intrinsece, neque extrinsece probabilis est, uti ex communi probabilitatis notione satis superque intelligitur. Talis est autem sententia per mutationem positivam substantiae panis et vini in Christi corpus et sanguinem transsubstantiationem explicans. Ergo.

Mutatio positiva in conversione caret auctoritatis suffragio.

51. *Prob. 1.ª min. pars.* — Uti demonstratum est in disquisitione critica[1], sententia, quam impugnamus, innuitur ab Innocentio III. et a Magistro Sententiarum, fere certo traditur ab Henrico Gandavensi, probabiliter a Thoma Waldensi; tum, Soto teste, a quibusdam sui temporis Lectoribus defendebatur in scholis, nostris demum temporibus fuit rursum e cineribus excitata, et ab aliquibus S. Theologiae Professoribus non levi contentione defenditur. Atqui eiusmodi auctoritatis suffragium non videtur conveniens. Nam: — α) non solum *relative* ad reliquos catholicos Theologos, sed etiam *absolute* patroni illius sententiae numero pauci sunt, et plerique sunt etiam ignoti: — β) praeterea Innocentius et Magister eam sententiam referunt, sed suam non faciunt: de Henrico aut saltem de Thoma Waldensi posset disputari, num illius sententiae patroni sint: praesentibus Professoribus certe non deest auctoritas, sed non ea est ut, etiam cum Henrici et Waldensis auctoritate coniuncta, sufficiens haberi possit ad doctrinalem speculativamque sententiam adstruendam, praesertim contra auctoritatem fere totius theologiae catholicae, et quodammodo contra ipsa Ecclesiae et revelationis scita, uti satis probatum est: ex ignotis et privatis Doctoribus vix aut ne vix quidem haberi potest auctoritas. Ergo.

Adversariorum fundamenta.

52. *Prob. 2.ª min. pars.* — Fundamentum illius sententiae est: si per mutationem positivam non explicaretur transsubstantiatio: — α) In eucharistia negaretur *vera conversio:* — β) Si utcumque admitteretur conversio, huiusmodi conversio non esset *singularis et mirabilis:* — γ) Certe non posset dici *Transsubstantiatio* — δ) Quin non solum nomen, sed ipsum Transsubstantiationis dogma evaderet otiosum et inter quaestiones scholasticas omnino amandandum. Atqui huiusmodi fundamentum non est validum. Ergo.

In sententia opposita non negatur vera conversio.

53. α) Principio statuendum est non esse formaliter, *saltem clare*, revelatum, neque esse immediate evidens conversionem veram et physicam non posse stare cum physica totius substantiae panis destructione seu cum mutatione negativa, et requirere mutationem positivam. Videntur id concedere adversarii cum, saltem indirecte, id conentur ostendere: haec autem concessio aut permissio in praesenti satis est. Hinc autem inferimus repugnantiam illam esse demonstrandam. Atqui nequit demonstrari ex admissa physica destructione totius substantiae panis veram et physicam conversionem negari aut removeri. Ergo.

Repugnantia mutationis negativae termini *a quo* cum vera conversione non demonstratur.

[1] Supra, *Part. 2. Sect. 3. § VIII. n. 111. seqq.*

54. Uti satis demonstravimus, neque revelatione *quoad nos*, neque ratione aut communi consensione, omnino indubia et propria aut conversionis, ut sic, aut huius conversionis nostrae habetur notio. Iam vero si conversionis, praesertim huius nostrae, propria ratio indubie non habetur, nequit demonstrari verae et realis conversionis incompossibilitas cum physica destructione totius substantiae panis et vini. Etenim eiusmodi incompossibilitas non aliunde statui posset, nisi vel ex ipsa notione sive conversionis, ut sic, sive huius conversionis, vel ex aliqua eius proprietate, vel ex aliquo consequenti, vel demum ex alio utcumque, vere tamen connexo; sufficiens enim medii termini convenientia aut discrepantia cum extremis aut terminis conclusionis necessaria prorsus est ad demonstrandum, et in re nostra nonnisi ex illis quatuor capitibus potest haberi. At si deest propria notio conversionis, ut sic, ac magis multo conversionis huius nostrae, illius repugnantiae demonstratio est revera impossibilis. Certe si propria deest conversionis notio, ex hac adornari non potest demonstratio. Sed neque poterit ex aliis; quia illa non erunt sufficienter nota, ac porro pro demonstratione dicenda sunt simpliciter ignota. Ex ignotis autem adornari nequit demonstratio. Haec ex dicendis clariora evadent.

Ex ignotis adornari nequit demonstratio.

55. *Dices:* Non est necesse, ut habeatur propria notio conversionis, ut sic, aut huius conversionis, ut certo possit ostendi eius repugnantia cum determinata assertione v. g. cum physica panis destructione quoad substantiam. Et patet. Ad hoc enim satis est, ut unum saltem praedicatum, sive constituens sive necessario dimanans etc., ut certum teneatur; quia exinde ostendi potest repugnantia determinatae assertionis cum tali praedicato, atque porro cum conversione ipsa. Ergo.

Obiectio.

56. *Respondeo:* Si indubium aliquod conversionis, praesertim huius, praedicatum, sive genericum illud sit, sive specificum aut etiam stricte proprium etc. cum destructione totius substantiae physicae panis certo repugnaret, haud dubium quin illud sufficeret ad eam destructionem certo excludendam; haberetur etiam ius asserendi eiusmodi destructionem esse contra fidei articulum ab Ecclesia definitum. Ast enim eiusmodi praedicatum in re praesenti nullum est. Nam neque de conversione, ut sic, neque de hac nostra ratum est sub quo genere, si id fieri potest, sit ponenda, sive qua differentia concludatur[1]. Quare alii volunt eam sub *transitu*, ut sic, contineri, aut esse formaliter *transitum;* alii collocant sub *mutatione* et volunt esse *quasi-mutationem;* alii meminere *successionem et ordinem*, sive substantialem sive saltem substantiarum, aut meram successionis et ordinis *relationem*, vel quid simile. Adde quod, quidquid demum dicatur, addendo etiam quod unum certum in praesenti est, conversionem nimirum nostram esse totius substantiae in totam substantiam, non exinde destructio panis excludetur.

Responsio.

Conversio an Transitus, an Mutatio, an Successio, an Relatio.

[1] Scotus, *Reportationum in IV. Dist. XI. q. 1. § Dicunt sub quo genere.*

Quid transitus.

57. *Transitus* enim, si consideretur *ex parte subiecti vel quasi subiecti*, praesefert subiectum aut quasi subiectum, quod ex uno loco v. g. vel ex una determinatione aut forma *it* in alium locum in aliamve determinationem aut formam, uti quidam transitum hic explicant, quatenus panis *it* in corpus Christi. Si vero spectetur ex parte non subiecti sed formae, signat formam, quae quasi *it* aut desinit in aliam, sive hoc sit in subiecto, sive non in subiecto, sed cum quodam ordine ad tertium aliud comune, sive demum neque in subiecto, neque cum ordine ad tertium cummune, sed praecise per sese, si hoc possibile est, cum non desint, qui id negent. Si transitus inspiciatur *formaliter*, significat *itum* ipsum unius in aliud; si *principiative*, exhibet actionem, qua transitus causa efficit, ut unum in aliud uno vel alio modo eat. Age iam quocumque sensu accipiatur transitus, non excludit destructionem vel rei quae transit, vel determinationis aut formae, ratione cuius dicitur transire; contra vero, ut de physico transitu loquamur, destructionem illam physicam exigit. Transire enim physice res dicitur in aliam, quum physice amplius ipsa non est, sed est alia: sic dum homo transit in cadaver, τὸ esse hominem physice non est, atque ivit in aliud esse, nempe cadaveris. Atque idem est de ligno transeunte in ignem, ut *quod*, de forma ligni transeunte in formam ignis, ut *quo*, de *hic* locato transeunte in *ibi* locatum: in quibus omnibus sive subiectum, sive forma, sive quasi forma transitum denominans desinit physice esse. — Atque quod diximus de transitu, a fortiori dicendum est de mutatione vel quasi mutatione, de successione, de aliis. Haec enim omnia non excludunt destructionem rei, quae stricte vel late mutatur, vel cui altera ordinate succedit, vel termini relationis, si haec sit repugnantiae; sed potius in suo ordine proportionaliter includunt.

Non excludit imo includit destructionem transeuntis, qua transeuntis.

Idem dicendum de aliis.

Obiectio altera ex terminis conversionis.

58. *Dices adhuc:* Certum est omnino et apud omnes ratum ad veram conversionem requiri duos terminos positivos *a quo* et *ad quem*. At si substantia panis destrueretur, non haberentur duo termini positivi, sed alter saltem esset negativus. Ergo. — *Respondetur:* Ad conversionem requiruntur duo termini positivi, *Dist. mai.* Id est, *primus et ultimus*, seu quibus clauditur conversio, *Conc. mai.* Id est, *termini intermedii*, seu quibus continetur pars aut quasi pars, vel aliquid conversionis, *Neg. mai.* Seu aliter: Requiruntur termini duo *secundum se* positivi, *Conc. mai.* Positivi etiam *secundum quemlibet statum*, quem in conversione obtinent, *Neg. mai.* Et, contradistincta minori, sub datis distinctionibus, *Neg. consequentiam.*

Responsio.

Declaratur.

59. Concedendum est conversionem proprie dictam, ac porro positivam, non intelligi nisi inter terminos positivos. Sed termini positivi illi sunt, quibus tota continetur et clauditur conversio, seu qui proprie a conversione denominantur, ita ut unus dicatur conversus, alter vero dicatur esse id, in quod prior ille terminus conversus est. Non requiritur autem, ut termini quilibet intermedii, seu quilibet status terminorum illorum, praecisive inspectus, in ipsa conversione positivus sit. Et plane in conversione

naturali, v. g. in transformatione, res est evidens. Lignum enim v. g., dum convertitur in ignem, quatenus ex actione agentis paullatim amittit dispositiones requisitas ad formam ligni atque corrumpitur, varias privationes ac demum ipsum non-esse ligni subit: quae certe negationem ac statum quendam negativum ligni manifestant. Privatio enim omnis ac formale non-esse vel negatio sunt, vel negationem includunt. Atqui, non obstante huiusmodi quasi media negatione, termini transformationis naturalis positivi dicuntur, et transformatio ipsa dicitur esse vera conversio. Ratio a priori est, quod conversio non denominat singulos terminos sive seorsim, sive in medio aut quasi medio conversionis, sed denominat utrumque, et quidem in initio et fine conversionis. Sic non concipitur neque dicitur conversio in naturalibus quoad unus terminus varias modificationes subit, sed ad summum dicitur corruptio, vel simile aliud. Conversio intelligitur et dicitur ubi, posita corruptione termini *a quo*, ab initio positivi, generatur positivus terminus *ad quem*. Si ita res se habet, variae modificationes intermediae nequeunt officere, quominus inter terminos positivos conversio dicatur facta. Conversio enim, quamvis non excludat, non semper tamen eas omnes modificationes requirit, aut eodem modo. Eas igitur modificationes non denominat sed, ab iisdem praescindendo, denominat ultimos terminos, seu terminum primum et ultimum. Adde quod, si termini secundum omnem statum positivi sint, conversio quaelibet esset reapse impossibilis. Tunc enim terminus *a quo*, quamvis nova quaedam perfectio ipsi adderetur, maneret in suo esse invariatus. Quod autem remanet omnino invariatum, nequit dici in aliud conversum, cum sit illud idem, quod prius erat. Unde communiter admittitur de ratione conversionis esse, ut terminus *a quo* aliquo modo desinat; atque adeo denominationem aliquam negativam secundum aliquod esse medium subeat oportet. Quapropter cum destructio panis seu non panis non sit terminus ultimus, sed medius et quidam quasi status termini *a quo* in ipsa conversione, non autem in principio aut fine, conversioni ipsi, ex hoc quod debet esse inter terminos positivos, nequit obstare.

In vera conversione non requiritur ut quilibet status intermedius terminorum positivus sit.

Conversio denominat terminos ultimos.

60. *Instabis:* Esto, termini, secundum statum quendam medium, negativam aliquam mutationem subeant: nequeunt tamen eam mutationem negativam subire, quae sit pura annihilatio. Annihilatio enim, ex omnium sententia, conversioni repugnat: annihilari est desinere in purum nihilum, non in aliud converti. Atqui, in re nostra, substantiae panis et vini destructio esset vera et pura annihilatio, uti Lessius v. g. fatetur, atque alioquin res claret per sese. Nam in praesenti conversione terminus *a quo*, ex Tridentino, non est panis, sed sola panis et vini substantia. Ergo si haec destruitur et in nihilum abit, totus terminus *a quo* in nihilum abit. Tum abit in nihilum ipsa cessatione divinae conservationis, uti aut conceditur, aut etiam necessario concedendum est. Res enim quaevis nequit aliter in nihilum absolutum abire, quam per suspensionem divinae conservationis. Praeterea cum in tali

Instantia.

sententia nullus sit nexus ex natura rei inter destructionem panis et positionem corporis Christi, destructio utcumque substantiae panis ad positionem corporis Christi nequit alio modo rationabiliter intelligi, quam per illam divinae conservationis cessationem. Quapropter destructio substantiae panis haberet pro termino immediato absolutum nihilum ex vi cessationis divini concursus eam conservantis. Atqui destructio, quae huiusmodi terminum immediatum habet, est vera et pura annihilatio, non conversio: « cuius terminus immediatus *ad quem* non est nihilum, sed aliquid positivum ». Sic adversarii plures.

Disiicitur. 61. Respondeo: Termini conversionis nequeunt subire eam mutationem negativam, quae sit pura annihilatio, *Dist. mai. et simul rationem additam.* Quae sit pura annihilatio *stricte et proprie* dicta, *Transeat maior;* de hoc enim sequenti thesi erit agendum. *Late et improprie* dicta, *Neg. mai.* Esto, prior illa annihilatio verae conversioni repugnet; non repugnat altera.

Halensis. 62. Velint nolint adversarii, et inspecta summorum Doctorum auctoritate, et inspecta re, duplex illud annihilationis genus agnoscendum est. Haud grave fuerit ex Halensi heic repetere quae superius exscripsimus: « Ad hoc ergo, quod obiicitur, *inquit*: quod modo est panis, iam non erit panis simpliciter etc.; Dicendum quod annihilari duas habet intentiones. Unam, secundum quam redigi dicitur in nihilum, *cuius nihil manet, sed quae eius sunt omnino desinunt esse quod fuerunt prius; nihilominus mutatur in aliud.* Secundum hunc modum loquendi *panis redigitur in nihilum in transmutatione*: sed sic redigi in nihilum nihil est aliud, quam desinere esse quoad esse eius substantiale, et esse partium illius in quantum huiusmodi. Alio modo dicitur redigi in nihilum, *quando ipsum penitus deperit et quidquid illius est, nec aliqua fit mutatio illius in aliud:* et sic non dicitur panis in hac mutatione redigi in nihilum »[1]. — Albertus M. item: « Dicendum quod hoc est verum de re, *cuius esse in nullo conservatur, nec in aliquid transmutatur.* Et ideo diminute proponitur, quando dicitur: *Res cedit in nihilum, cuius esse non conservatur.* HOC ENIM EST FALSUM IN OMNI TRANSMUTATIONE SUBSTANTIALI »[2]. Et eodem pacto alii. Hisce in locis uterque agnoscit duplex annihilationis genus. Et prior quidem id facit formalibus sententiis; alter vero virtualiter: ast hic addit non sufficere ad propriam annihilationem, ut res secundum suum esse pereat ex vi suspensionis divinae conservationis, sed praeter hoc aliud requiri. Redditur ratio: *Hoc enim*, ait, *est falsum in omni transmutatione substantiali.* Videlicet quia forma desinit secundum totum suum esse, quod non conservatur, et tamen non dicitur annihilari: desinit compositum, qua tale, nec ipsum annihilatur.

Albertus M.

---

[1] Halensis, *Summ. Theol. p. 4. q. 10. art. 3. § 3. — Resolutio.*

[2] Albertus M., *In IV. Dist. XI. a. 7. ad 8um.* — Cfr. quae supra, *Part. 2.* ex Doctoribus aliis veteribus, ac praesertim ex Capreolo et Aureolo exscripsimus.

63. Si rem ipsam consulamus, quod in nihilum abit, potest vel sic in nihilum abire, ut desinat esse tanquam sequela alicuius actionis positivae, aut ut dispositio negativa ad terminum positivum; vel sic, ut desinat esse mere ex vi actionis negativae seu negatae conservationis, et quin sit dispositio ad alium terminum positivum, vel huius sequela. Ista duo inter se diversa sunt et, sin minus utrumque exsistens, utrumque tamen est possibile. Atque utrumque esse possibile intelligitur ex annihilatione absoluta et ex corruptione v. g. formae. Bina vero illa diversa esse in comperto est. In priori enim hypothesi agens intenderet haud sane purum nihil, sed aliquid positivum; in altera, non nisi merum nihilum, nec ad alterius productionem ordinatum. Intentio autem haec non esset omnino extrinseca actioni et operi, sed inferens determinatam actionem opusque determinatum.

Quotuplici modo potest aliquid in nihilum abire.

64. Bini isti agendi seu operandi modi optime distinguuntur nominibus *annihilationis strictae et propriae*, et *annihilationis latae et impropriae*. Nam: — α) sufficienti usu id firmatum est: — β) usus ille fundamento non caret. Enimvero ubicumque rei manet nihil, iure universim dicitur res illa annihilari. Si vero rei nihil maneat non ex vi actionis adaequatae et termini ultime intenti, sed solum ex vi partialis actionis et termini immediati aut proximi; quod nil rei manet, neque est ex nulla prorsus actione, neque sine ullo termino positivo. Quapropter, in hoc casu, nihilum absolutum aut omni ex parte non habetur; atque adeo eiusmodi annihilatio optime ab illa distinguitur, in qua nihilum omni ex parte adest, nimirum ex parte rei desinentis, actionis ad eius desitionem ordinatae, termini non solum proximi, sed etiam ultimi. Porro communiter usus obtinuit, ut *annihilatio stricta et propria* annihilationis nomen sibi vindicaret; *lata* vero et *impropria* diceretur *destructio* et, in generabilibus, *corruptio*. Nec, nisi subiecta, dixerim, nota aut declarato sensu, eiusmodi denominationes ab optimis auctoribus aliter adhibentur.

Annihilatio propria — impropria.

Annihilatio stricta annihilatio simpliciter: annihilatio lata destructio aut corruptio.

65. His universim praemonitis, permittimus aut etiam concedimus ultro adversariis, terminum *a quo* conversionis positivae non posse pati annihilationem stricte dictam aut simpliciter talem eo etiam ex capite, quod tunc inter terminos *a quo* et *ad quem* nullus esse posset nexus ad conversionem sufficiens, quidquid aliqui, non omnes Doctores extra scholam D. Thomae, fuerint opinati. Ast si sermo sit de annihilatione lata seu de destructione, quin obsit quidquam terminum *a quo* destrui aut corrumpi; contra, nisi destruatur aut corrumpatur, uti probatum est, dari non posset vera conversio. Itaque in hoc altero sensu asserta illa maior propositio eiusque ratio omnino negatur.

Quid adversariis permittatur aut concedatur.

66. Ut ad minorem gradum faciamus, qua asserebatur, in doctrina nostra, destructionem substantiae panis esse veram et puram annihilationem, ipsam ad normam superioris responsionis contradistinguimus. Est vera et pura annihilatio, *stricta*, *propria*, *simpliciter* talis, *Neg. Lata, impropria, secundum quid, Conc.* Neque plus probant adversariorum rationes. Lessius imprimis, loco indi-

Desitio substantiae panis in Eucharistia annihilatio lata; non stricta.

cato, non aliam nisi latam annihilationem concedit: quamvis, cum modo oratorio loquatur, ipsum non esse substantiae panis, missis ceteris, ad suum intentum amplificet et exornet. Sit satis Lessium legisse: « Circa substantiam panis et vini *primum miraculum* est, quod hae substantiae vi consecrationis *funditus pereant, et* VELUTI ANNIHILENTUR, *quamvis non solemus dicere eas annihilari*, eo quod haec desitio ex intentione divina non sistat in nihilo, sed dirigatur ad positionem corporis Christi... ».[1]

Sitne panis, an panis substantia terminus totalis *a quo* conversionis eucharisticae.

67. Utique probabiliter dici potest, ac forsan est magis Tridentino et aliis Conciliis conforme asserere, non panem in concreto sed solam panis substantiam, uti non vinum cum accidentibus sed solam vini substantiam esse totum terminum *a quo* conversionis eucharisticae; adeoque identificari hic id, quod convertiur, seu terminum totalem *a quo*, et id *quo* convertiur, seu formalem terminum *a quo*. Fatendum tamen modum loquendi non paucorum Theologorum distinguentium, etiam in hac conversione, terminum formalem *a quo*, substantiam videlicet panis et vini, a termino totali *a quo*, a pane et vino cum suis accidentibus, probabilitate non carere, tum ob ipsam Theologorum auctoritatem, tum maxime quod multoties apud Patres et in ipsis Ecclesiae documentis, uti suo loco monuimus, panis ipse et vinum dicuntur converti. Verum utrumvis seligas, ad rem praesentem parum refert. Esto, totus terminus *a quo* non solum formalis, sed etiam totalis abeat in nihilum; quin in nihilum abeat *proxime* ipsa cessatione divinae conservationis. Quid tum? — Ergo est simpliciter annihilatus. — Negatur consequentia, uti in superioribus legimus eam fuisse negatam ab Halensi, Alberto, Capreolo, atque sin minus formaliter aut signate, saltem exercite a D. Thoma et Doctoribus aliis. Relegesis quae attulimus ex singulis. Quamvis enim sola substantia panis sit totus terminus *a quo*, atque suspensione divinae conservationis tota proxime in nihilum abeat; cum tamen cessatio istaec divinae conservationis ac desitio totius substantiae sit, uti declaravimus, sequela alterius actionis positivae, et ordinetur ad ultimum terminum positivum, non est *annihilatio simpliciter talis* repugnans conversioni iuxta doctrinam D. Thomae (qui, atque hoc sit obiter dictum, hac in re, uti in pluribus aliis, nutantem adhuc catholicorum Doctorum sensum videtur firmasse); sed est *annihilatio secundum quid*, seu destructio vel quid simile, ad proprie dictam conversionem, uti probatum est, omnino requisitum.

Quaestio in praesenti adiaphora.

An in nostra doctrina negetur nexus inter conversionis terminos.

68. Quod aiunt de defectu nexus connaturalis, seu ex natura rei, inter desitionem panis et positionem corporis Christi; id, si de huius aut illius Theologi doctrina intelligatur, facile veritate non caret. Sed enim, uti suo loco demonstravimus[2], Doctorum pars maxima nexum agnoscit ac sufficienter explicat. Nos autem hanc sententiam, quam nostram fecimus, pleniori in luce forsan

---

[1] Lessius, *De perfectionibus moribusque divinis, lib. 12. c. 16. n. 109.*

[2] Vide supra, *Part. 3. Sect. 2. ac praesertim n. 13. seqq.*

collocavimus. Adversariorum igitur instantia contra Doctores universim mutationi positivae repugnantes sophistica alicui posset videri: ea certe contra nos vi omni destituitur.

69. Ex dictis omnibus tandem concludimus falsum esse et contra veteres Doctores asserere destructionem, quae habeat pro termino *immediato* absolutum nihilum, esse annihilationem simpliciter dictam; ad hoc enim requiritur, ut *terminus ultimus* absolutum nihilum sit. Si secus sit, desitio illa non erit simpliciter in nihilum, sed simpliciter in aliquid, adeoque non annihilatio sed conversio. Falsum etiam est, et contra vel formalia verba, vel saltem contra mentem veterum Doctorum, in conversione *terminum immediatum ad quem* non esse nihilum, sed aliquid positivum. Conversio requirit non ut terminus immediatus *ad quem*, sed ut terminus ultimus positivus sit. Lignum v. g. dum convertitur in ignem, subit prius, prioritate saltem naturae, mutationem ligni in non-lignum, ac porro habet immediatum terminum *ad quem* negativum: verum dicitur converti atque de facto convertitur in ignem, quia terminus ultimus actionis conversivae ignis est. Falsum tandem est recentiores theologos mirum in modum laborare, ut se ab annihilatione expediant. Hac in re non plus laborant recentiores, quam veteres theologi: imo, cum nunc quaestio sit magis eliquata et loquendi modus determinatus, facillime ab illa quaestione recentiores theologi expediunt sese, eam inter quaestiones de nomine valde communiter amandando[1]. Universalis conclusio.

70. β) Secundo loco, ceu fundamentum mutationis positivae ad explicandam transsubstantiationem panis in Christi corpus affertur Tridentinum inquiens: « Si quis..... negaverit mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiae panis in corpus, et totius substantiae vini in sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis et vini..... anathema sit »[2]. Aiunt nimirum: Si conversio explicaretur non per positivam, sed per negativam mutationem substantiae panis in substantiam corporis Christi, Tridentinum non dixisset *mirabilem* et *singularem* ipsam conversionem, sed aliquid aliud, puta adductionem aut productionem corporis Christi sub speciebus. Atqui mirabilem et singularem dixit ipsam conversionem. Ergo. Secundum adversariorum fundamentum. Conversio mirabilis et singularis.

71. Respondeo: Concesso Tridentini loco, et consequenter concessa minori argumenti, *Neg. mai. et consequentiam.* Ut a singularitate conversionis incipiamus, veteres fere omnes graviores theologi, quibus accinunt recentiores, docuere conversionem eucharisticam *singularem* esse, quod nulli alteri conversioni, aut mutationi, aut quasi-mutationi naturali, aut conversioni alteri etiam supernaturali nobis cognitae, ad plenum similis est. Discrepat enim a *creatione*, quia habet terminum *a quo* positivum, qui in creatione negativus est: ab *annihilatione* proprie dicta, quia eius terminus Quî conversio eucharistica a mutationibus aliis differat.

---

[1] Cfr. si lubet, Suaresium, *In 3.am p.em D. Thomae, Disp. 50. Sect. 7.*, vel quemlibet alium plenius hac de re disserentem.

[2] Tridentinum, *Sess. 13. can. 2.*

ultimus *ad quem* positivus est, annihilationis vero negativus: a *conversione formali accidentali*, quia substantialis est: a *conversione substantiali naturali*, quia haec est tantum totius in totum per transitum eiusdem subiecti ab una ad aliam formam substantialem; illa autem sic est totius perfecti in totum perfectum, ut sit etiam partium in partes: a *mutatione loci*, quia qui locum mutat, ita novum acquirit, ut priorem amittat; heic vero novus acquiritur locus aut quasi-locus sine amissione prioris; a *corruptione*, quia hic, proprie loquendo, nulla corruptio est; Deum enim divino modo heic agentem minus decet corruptio, quae imperfecta est, atque porro hic panis et vini substantia non per dispositiones contrarias paullatim esse amittit, nec, retento communi subiecto, secundum sui partem tantum desinit, sed desinit totaliter, et quidem in instanti. Ad huiusmodi autem naturales mutationes, quae in verbo Dei nobis manifestantur mutationes supernaturales aliae, spectata earum substantia, plusve minusve reducuntur. Relege quae in superioribus ex Halensi, ex D. Thoma, ex S. Bonaventura, ex Aegidio Romano singillatim retulimus. — Age iam discrimina haec, atque exinde subsequuta conversionis eucharisticae singularitas, servantur optime, sive dicatur mutatione negativa termini *a quo* transsubstantiatio perfici, sive positiva; non enim in mutatione termini *a quo* discrimina iila unice fundantur, sed aliunde sunt petita. Unum illud nobis maxime favet, si staret adversariorum doctrina, negandam esse conversionem eucharisticam, ac porro eiusdem *singularitatem*, uti iam probatum est, et plenius adhuc probabitur.

Conversio eucharistica mirabilis.

72. Haud dissimili ratione facillime demonstratur, quo pacto in sententia mutationis negativae *mirabilis* dicenda sit eucharistica conversio. Mirum enim aut mirabile, ex D. Thoma, universim est, quod admirationem parit aut excitat. Excit autem admirationem effectus qui, cum patens sit, occulta producitur causa [1]. Atqui, in sententia mutationis negativae, per fidem nobis proponitur conversio, quae occultam simpliciter habet causam, Deum videlicet modo prorsus occulto ac supra captum nostrum operantem. Ergo. — Praeterea conversio eucharistica, quemadmodum supra ex Alberto M. audivimus, est: « Opus mirabile, eo quod nos cognoscendo et operando non possumus in illud, cum tamen speremus illud solitum nobis ex vi sermonis Domini » [2]. Atqui transsubstantiatio, per mutationem negativam termini *a quo* explicata, tale opus est. Transsubstantiatio enim, per mutationem negativam termini *a quo* explicata, *active* quidem eam praesefert actionem, qua sic ponitur corpus Christi, ut ex vi huius positionis tota desinat in nihilumque abeat substantia panis, solis remanentibus panis speciebus: *passive* vero est hic idem effectus, quatenus ad illam actionem dicit habitudinem. At quod huiusmodi

Ex D. Thoma.

Ex Alberto M.

---

[1] D. Thomas, *Summ. Theol. 1. p. q. 105. a. 7. corp.* — *Contra Gentes, lib. 3. c. 109.* etc.

[2] Albertus M., *In IV, Dist. 11. a. 4. Solutio.*

est, tale opus est ut nos, cognoscendo et operando, nihil in illud possimus, quamvis speremus illud solitum nobis ex vi sermonis Domini. Enimvero neque nos, neque limitatus ullus intellectus, independenter a revelatione, de tali opere unquam cogitasset, neque forsan potuisset cogitare ; certo autem non potuisset cognoscere factum, seu talis mysterii exsistentiam ; supposita vero revelatione, solo rationis lumine ut praescindit a fidei lumine, nullo modo eius exsistentia potest probari, cum opus Dei liberum sit, nec naturale medium suppetat unde certo possit inferri ; quidditas vero aut ipsius essentia, quantumvis ex aliis fidei principiis subserviente ratione declaretur, nonnisi analogico quodam conceptu intelligitur, ut notum est. Utcumque vero intelligatur, id est eiusmodi mysterium, etiam secundum nostram explicationem, ut nonnisi ab omnipotenti Deo fieri possit. Quaenam enim creatura, utut perfecta supponatur, posset vi sua Christum ponere sub speciebus sine ordine ad locum, et quidem ita ut, dum panis species in se et per se manent, tota panis substantia physice destruatur, atque esse desinat ? Profecto ad hunc effectum requiritur agens, quod possit in Christum et in totum ens, seu quod attingat substantiam, ut *substantiam*, et non ut *quantam*, uti ex Aegidio didicimus ; seu quod pertingat usque ad materiam, adeoque pro obiecto formali suae actionis ipsam *entis, ut sic*, rationem habeat, uti concinne D. Thomas declaravit ; vel quod possit in *substantiam et accidens*, adeoque in totum ens producibile, uti loquuntur Halensis et S. Bonaventura[1]. Age iam huiusmodi agens solus Deus est, et plane supra communes in praesenti naturae ordine statutas leges penitus operatus.

Nil, cognoscendo, in transsubstantiationem possumus.

Nil operando.

Solus Deus omnipotens potest.

Aegidius.

D. Thomas.

Halensis et S. Bonaventura.

73. Adde quod, ex Catechismo Concilii Tridentini, mirabilis eucharistica conversio est, quia mira praesertim tria ex vi ipsius in Sacramentum redundant, videlicet realis et substantialis Christi praesentia, totalis desitio substantiae panis, permanentia specierum seu accidentium sine subiecto[2]. Tria autem haec doctrina nostra maxime celebrantur, uti praecedenti argumento declaratum est. — Tandem, ne plura persequamur, adversariis ipsis nostris in hac re mirabilis est illa conversio, utpote humano intellectui impervia, atque adeo stricte supernaturalis. Atqui, iuxta doctrinam nostram talis remanet conversio eucharistica uti modo, Alberti definitionem declarando, probatum est. Ergo.

Catechismus Concilii Tridentini.

74. *Dices:* Tridentinum dicit *mirabilem*, seu stricte supernaturalem aut mysterium (hoc enim significat in stylo Tridentini illud *mirabile*, ut patet ex eo, quod vocat *admirabilem* unionem hypostaticam[3]) ipsam conversionem: *Negaveritque mirabilem illam et singularem conversionem :* in definitionibus autem fidei Concilia cum magna terminorum proprietate loquuntur. Atqui in doctrina explicante conversionem per mutationem negativam termini *a quo*,

Obiectio.

---

[1] Vide supra, *Part. III.*

[2] Catechismus Concilii Tridentini, *Part. 2. De Eucharistiae Sacramento, c. 25.*

[3] Tridentinum, *Sess. 13. cap. 3.*

ipsa conversio non esset mirabilis : — α) In ea enim explicatione aufertur mysterium a conversione, ut sic, scilicet a transitu substantiae in substantiam, qui explicatur per aliquam meram substitutionem ; sicut quando ad invocationem Magorum Pharaonis daemones auferebant virgas, et ponebant serpentes : — β) Praeterea, si quod remaneret mysterium, illud ad summum inveniretur in actione exercita circa Christi corpus primo et immediate, non autem in ipsa conversione. Quod si ita esset, Tridentinum omnino dixisset : *Negaveritque mirabilem illam et singularem positionem corporis et sanguinis Christi sub solis remanentibus speciebus, destructa aut annihilata panis vinique substantia.* Nunc autem dixit : *Negaveritque mirabilem illam et singularem conversionem.* Ergo.

Responsio.

75. Respondeo : *Conc. mai.* Notarim solummodo, contra speciale intentum adversariorum, Tridentinum, uti dicit mirabilem conversionem, sic dicere : *Hoc tam admirabile Sacramentum*[1], et : « *Sacramentum hoc instituit . . . . . memoriam faciens mirabilium suorum*[2]. Iuxta Tridentinum, non solum mysteriosa seu mirabilis est conversio, ut sic ; sed etiam mirabile est totum Sacramentum, cum in toto Sacramento mirabilium cumulus detur, ac nihil sit non maxime mirabile : mirabilis vero speciatim dicitur conversio, quod est *totius* substantiae panis in Christi corpus, et quod ex ipsa reliqua pendent.

Mirabilis conversio, Mirabile Sacramentum eucharistiae.

76. Ad minorem respondeo : *Nego simpliciter.* Negatur rursus probatio prior et allata paritas. Undenam habent adversarii in doctrina nostra et illorum Doctorum, qui nobiscum transsubstantiationem explicant per mutationem negativam substantiae panis, conversionem nihil esse aliud nisi substantiarum substitutionem meram ? Nam quod quidam admittunt sufficere ad conversionem, ut sic, vel etiam ad hanc eucharisticam, inter terminos *a quo* et *ad quem* nexum ex solo extrinseco Dei decreto repetendum, hoc enimvero commune non est, sed relative paucorum. Admisso etiam extrinseco huiusmodi nexu, conversio horum theologorum non est mera substitutio localis terminorum, ac minus multo cum substitutionibus Magorum Pharaonis comparanda. Neque enim in hac sententia loco pellitur aut exinde abripitur panis, ut in eodem loco ponatur corpus Christi ; sed substantia panis destruitur simpliciter, ut Christi corpus succedat sive tantum ad Sacramentum constituendum, sive etiam ad supplendas active substantiae vices in conservatione accidentium, et quidem non in subiecto, sed in se. Demum etiamsi esset mera substitutio localis, numquid non esset mysteriosa ac valde mirabilis ? Mysterium nullum est, credo, Christum, Deum-hominem, Regem gloriae, sedentem in coelis ad dexteram Patris poni hic sub speciebus panis et vini, quin ad eas commensuretur, sive ut sit signum sensibile et efficax gratiae pro animabus nostris, sive etiam ut accidentia sine subiecto et absque ulla inhaerentia efficienter sustentet ! Nullum mysterium

Nexus extrinsecus a paucis defenditur.

In sententia nexus extrinseci, conversio eucharistica non comparanda cum substitutionibus Magorum.

Mysteria eucharistica.

---

[1] *Idem, Sess. 13. cap. 1. 2. et can. 4.*
[2] *Idem, Sess. 13. cap. 2.*

desinere ex vi illius substitutionis totam panis substantiam! Nullum manere accidentia sine subiecto! Et haec non uno tantum in loco, sed in millibus simul! etc. Haec omnia scilicet, praesertim quoad factum, vel naturali lumine cognoscuntur, vel naturali potentia fieri possunt!

77. *Sed dices:* Si remanet mysterium, saltem aufertur ab ipsa conversione, et ponitur in actione immediate exercita circa corpus Christi, contra Tridentinum: quae erat secunda probatio primae minoris. — Respondeo distinguendo. Aufertur mysterium a conversione ipsa, quae non est conversio, uti probatum est et adhuc probabitur, *Conc. instantiam.* Aufertur mysterium a conversione *vera et propria* iuxta rationem simul et divinam revelationem, *Neg. instantiam* seu alteram minoris probationem. Instantia. Disiicitur.

78. Uti ab initio vidimus, adversarii eam ponunt conversionem, ut significet actionem eo modo circa panem exercitam quae, quin ipsum physice destruat, sic tamen positive mutet, ut secundum totam singularem substantiam eo ducat, ut sit singularis substantia corporis Christi, eadem illa praeexsistens et immutata, quam traxit de Virgine et quae nunc est in coelis. Si hoc dicis ininteligibile, respondent: *Hoc mysterium est, in hoc praecise mysterium est et esse debet, ut mira seu mysteriosa eucharistica appelletur conversio.* Theologi vero catholici, uti probavimus, ad unum moraliter omnes huiusmodi conversionem non docent; quidam eam habent ceu omnino negandam aut aliter notandam: specie tenus non mysterium, sed aliquid valde obscurum esse videtur. Nos ex dictis eam heic reiicientes, innuemus subinde plenius quid de ipsa sentiendum sit. Itaque concedimus adversariis conversionem ex mutatione negativa termini *a quo* intellectam non esse mirabilem eo specifico sensu, quo ipsi vellent eam mirabilem esse debere; sed una hunc sensum penitus negamus. Declaratur responsio. Conversio ex mutatione positiva termini *a quo* caligo et tenebra.

79. Si non arbitrarie praecipiatur conversionis notio, sed *vere* et *proprie*, conversioni eucharisticae ratio *mirabilis* aut *mysteriosae* nullo modo eripitur, quin plenissimo iure ipsi servatur. Conversio enim, ut sic, spectari potest *principiative* seu ex parte principii aut causae, et *terminative* seu ex parte termini. Terminative vero, aut est *adaequata* et significat tum terminos conversionis, tum actionem conversivam quam, utpote actionem transeuntem, in termino esse supponimus; aut est *inadaequata*, et horum duorum meminit unum aut alterum. Conversio vero inadaequata esse potest aut *formalis*, et proprie est ipsa actio conversiva, vi cuius tum causa dicitur *convertens*, tum termini *a quo* et *ad quem* dicuntur unus in alium conversi: hinc autem ipsa haec actio *conversio activa* fuit appellata; aut *materialis*, et presse innuit ipsas res conversas, utpote quae proprie aut improprie actionem agentis convertentis receperunt aut terminarunt. Itaque ipsae dicuntur conversionem passae, et ex hac passione ulterius vocantur *conversio passiva.* Haec demum conversio passiva aliquando stat pro ipsis rebus, ut fundantibus *relationem successionis et ordinis* inter terminos; aliquando vero pro ipsa hac relatione ex terminis resultante.

80. His in memoriam revocatis, quando adversarii dicunt in explicatione transsubstantiationis per negativam mutationem termini *a quo* mysterium auferri a conversione ipsa et transferri, ad summum, ad actionem immediate exercitam circa corpus Christi, quo sensu de conversione loquuntur? Loquunturne de conversione *principiative* accepta? Si ita est, quod asserunt veritate caret. In nostra enim doctrina conversionis causa princeps alia non est nec esse potest, nisi solus Deus, operatus quidem secundum legem providentiae supernaturalis, sed supra omnes vires et contra multas leges totius naturae sive creatae sive etiam creabilis, atque porro mirabili prorsus ratione agens. — Loquuntur de conversione *terminative* inspecta, sive *adaequata*, sive *inadaequata* sed *materiali* aut *passiva*? Falsum est prorsus conversionem eucharisticam, hoc pacto inspectam, non esse mirabilem. Hoc enim sub adspectu omnia vel pleraque includit mysteria, quorum tria praesertim suspicit Catechismus Concilii Tridentini, et horum: « Alterum est, *ait*, nullam in eo elementorum substantiam remanere: quamvis nihil magis a sensibus alienum et remotum videri possit[1] »[2]. — Loquuntur demum de conversione *inadaequata* sed *formali*, quae etiam dicitur conversio *activa*? Atqui, si ita est: — α) Falsum supponunt, videlicet conversionem formalem seu activam non esse actionem immediate exercitam circa corpus Christi; hoc enim falsum esse inferius probabitur: — β) Petunt principium. Hoc enim praecise, aut saltem praecipue, in quaestione est: In qua actione conversio formalis seu activa sit reponenda. Adversarii autem ceu ratum omnino assumunt ac sine alia probatione, nisi hac: suae nimirum explicationis mysterium esse aliarum explicationum mysteriis praeferendum, conversionem nimirum formalem non consistere nisi in actione illa inintelligibili, qua panis substantia, quin destruatur, adducatur ad hoc, ut sit individuum Christi corpus praeexsistens et immutatum. In nostra igitur doctrina, conversio eucharistica, non quidem arbitrarie uti quodammodo vellent adversarii; sed, quocumque modo inspiciatur, *vere* et *proprie* mirabilis aut mysterium est.

Conversio principiative mirabilis.

Passive mirabilis.

Active aut formaliter mirabilis.

81. γ) Tertio loco, ad defendendam mutationem positivam termini *a quo* in conversione eucharistica contendunt adversarii, in doctrina opposita, *Transsubstantiationis* nomen non salvari. Hoc iam nunc inquirendum est. De Transsubstantiationis nomine Suaresius, quod sciam contradicente nemine, sequentia scribit: « Si quis confiteatur praesentiam corporis Christi et absentiam panis, neget tamen veram conversionem unius in aliud, in haeresim labi; quia Ecclesia Catholica non solum duo priora, sed etiam hoc tertium definit et docet..... Si quis tamen, confitendo rem totam,

Tertium adversariorum fundamentum.

Suarez de nomine Transsubstantiationis.

---

[1] Cfr. Cypr. *de Coena Domini* — Eusebium Emiss. (Isidorum Hispalensem) *Homil. 5. de Paschate* — Cyrillum Hierosol. *Catechesibus 1. 3. 4.* — Ambrosium (veterem Auctorem) *lib. 4. De Sacramentis c. 4.* — Chrysostomum, *Homilia 83. in Matthaeum, et 60. ad Populum Antiochenum.*

[2] Catechismus Conc. Trid., *Part. 2. De Euchar. Sacramento, c. 25.*

vocem *Transsubstantiationis* abiiceret ut ineptam et barbaram, in reipsa non existimo esse haereticum; quia usus vocis per se non pertinet ad obiectum fidei: esset tamen valde temerarius, scandalosus ac pias aures offenderet, ac denique in externo foro habendus esset vehementer de haeresi suspectus »[1].

82. Dant ultro adversarii nos Transsubstantiationis nomen catholice amplecti; negant tamen nomen illud cum doctrina nostra posse componi. Oppositum obtinet prorsus. Tridentinum ait: « Sancta Synodus declarat per consecrationem panis et vini conversionem fieri totius substantiae panis in substantiam corporis Christi Domini nostri, et totius substantiae vini in substantiam sanguinis eius: quae conversio convenienter et proprie a Sancta Catholica Ecclesia Transsubstantiatio est appellata »[2]. Atqui, uti ex dictis intelligitur ac ex dicendis plenius intelligetur, in nostra doctrina stat prorsus conversio totius substantiae panis et vini in substantiam corporis et sanguinis Christi; quae conversio mutatione positiva termini *a quo* obiective negatur. Ergo nostra doctrina servat prorsus Transsubstantiationis nomen, quod opposita doctrina obiective negatur.

Quid ex Tridentino meminerit Transsubstantiatio?

83. Catechismus Concilii Tridentini habet: « Haec itaque admirabilis conversio convenienter et proprie a Sancta Catholica Ecclesia Transsubstantiatio est appellata, quemadmodum sacra Tridentina Synodus docuit. Ut enim generatio naturalis, quod forma in ea mutatur, recte et proprie transformatio dici potest; ita etiam, quod in Sacramento Eucharistiae tota unius rei substantia in totam alterius rei substantiam transeat, verbum Transsubstantiationis recte et sapienter a maioribus nostris inventum est »[3]. — Et Bellarminus contra garrientem Kemnitium docte et graviter scribit: « Patres passim vocant conversionem et transmutationem; et Theophylactus in caput XIV. Marci vocat transelementationem, quae certe vox nihil minus significat, quam transsubstantiatio. Nam transelementatio significat mutationem totius rei usque ad prima elementa, id est, usque ad ipsam materiam, quae ab Aristotele elementum vocatur. Denique mutatio solius formae recte dicitur a Graecis μεταμόρφωσις, et a Latinis *transformatio;* et mutatio externae figurae dicitur *transfiguratio* etiam in Evangelio; cur mutatio substantiae non poterit recte dici transsubstantiatio? »[4]. Ex quibus, ea ratione convenienter et proprie in hoc Sacramento dicitur transsubstantiatio, qua in generatione naturali dicitur transformatio, et in alteratione externae figurae dicitur transfiguratio. Atqui, ex iisdem, in generatione naturali convenienter et proprie dicitur transformatio, quod forma mutatur negative, seu per sui desitionem et non esse, ac tum ipsa, ut *quo*, tum totum compositum, ut *quod*, transit in aliam formam et in aliud compositum;

Ex cathechismo Concilii Tridentini.

Ex Bellarmino.

---

[1] Suarez, *In 3.am p.em D. Thomae, q. 75, Disp. 50, Sect. 1. fin.*
[2] Tridentinum, *Sess. 13, cap. 4. et can. 2.*
[3] Catechismus Concilii Tridentini, *Part. 2. De Sacramento Eucharistiae, c. 4.*
[4] Bellarminus, *De Eucharistia, lib. 3. c. 23.*

et in alteratione figurae convenienter et proprie dicitur transfiguratio, quod figura mutatur negative, seu per sui desitionem et non esse; ipsa vere, ut *quo*, accidentale autem compositum, ut quod, transit in alteram figuram et in alterum figuratum. Ergo etiam Transsubstantiatio convenienter et proprie dicitur, quod tota substantia panis per sui negativam mutationem aut non esse transit in substantiam corporis Christi.

Illatio notanda. Potestas particulae *Trans* in compositis.

84. Ex dictis datur intelligi particulam *Trans* in huiusmodi compositis: *Transsubstantiatio — Transaccidentatio — Transformatio — Transfiguratio* etc. non necessario se tenere ex parte subiecti aut tertii communis, quod ab una forma, vel ab uno loco aut statu debeat quasi ire per medium ad aliam formam, aut ad alium locum aut statum, ne quidem ubi datur tale subiectum aut tertium commune. Revera enim potest se tenere et in praesenti, iuxta catholicum usum, debet se tenere ex parte ipsius formae aut termini formalis, quatenus hic, cum praecedat et, ipsa alterius termini positione, sive ut negativa dispositio sive ut sequela, ex agentis et actionis intentione desinat, in alium terminum dicitur transire. Praeterea debet semper se tenere ex parte termini totalis *a quo* qui, desitione termini formalis *a quo* et positione termini formalis *ad quem*, in terminum totalem *ad quem* tandem transit. Parum imo, ad modum loquendi quod spectat, nihil prorsus refert utrum termini formales adaequentur necne terminis totalibus. Atque hic est communis Philosophorum et Theologorum usus in transitu unius in aliud intelligendo, uti inductione patet. Sic lignum dicitur trans-ire in ignem, album in nigrum, et forma dici potest ut *quo* trans-ire in formam etc.

Obiectio.

85. *Dices:* His non obstantibus, in doctrina mutationis negativae termini *a quo* non salvatur nominis Transsubstantiationis proprietas. Salvaretur vel praecisione facta a remanentibus speciebus, vel specierum habita ratione. Neutro salvatur modo. Non primo; quia in illa hypothesi substantia panis transit in purum nihilum, non in substantiam corporis Christi. Non altero; quia tunc non transiret substantia in substantiam, sed accidentia ex una in aliam substantiam. Hoc autem *Transsubiectatio* dici potest, non Transsubstantiatio. Particula enim *Trans*, ubi manet elementum commune, ex parte se tenet huius elementi, et conversio specificatur per formam, quam accipit. Itaque cum in hypothesi manerent accidentia, quae acciperent, tanquam formam, novam subiectationem, huiusmodi conversio ab accidentibus noviter *quasi-subiectatis* dici deberet *Transsubiectatio.*

Responsio.

86. *Neg. assert.*, et *ad prob.* addo *tertium:* Vel, proportione servata, utroque modo. Primo quidem modo; quia, in doctrina mutationis negativae termini *a quo*, substantia panis non transit in nihilum, sed in corpus Christi, quod est terminus ultimus *ad quem* actionis conversivae. Declaravimus enim, ac mox probabitur, in doctrina nostra substantiam panis, etiam praescindendo a remanentibus speciebus, non annihilari proprie, sed vere et proprie converti. Atque heic, cum loquamur non de re, sed de voce

et eius technico valore in theologia, sensus et usus Theologorum in ipsis Ecclesiae declarationibus et definitionibus fundatus, is demum est: *Quem penes arbitrium est, et ius et norma loquendi.* — Altero modo; quia non incongrue dici potest panis, qui probabiliter uti conversionis totalis terminus potest haberi, secundum accidentia *trans-ire* ex sua substantia in substantiam corporis Christi; quemadmodum ignis v. g. dicitur *trans-ire* secundum materiam ex una forma in aliam. Neque verum est praefixum *Trans* in compositis, ubi habetur elementum commune, hoc pracise elementum appellare. Neque enim in conversione naturali materia, seu id quod manet, dicitur *trans-ire*, sed contra dicitur *trans-ire* compositum, quod non manet, et quidem ut *quod;* et forma, quae non manet, ut *quo* formali; dicenda *trans-ire* ipsa materia, ut *quo* materiali si, uti locum habet conversio formalis, ita obtineret materialis conversio, quae absolute non repugnat. Ubi in solo nomine insistitur, difficillime affertur aliquid, quod communem intelligendi et loquendi modum solide impetat: aderit usque ratio aliqua nomen illud rei, de qua agitur, coaptandi.

Communis loquendi et intelligendi modus difficulter impetitur.

87. — δ) Quarto loco aiunt: In doctrina conversionem explicante per mutationem negativam termini *a quo* ipsum Transsubstantiationis dogma, a Tridentino definitum, in solemni fidei professione contentum, quod ex authentica declaratione Pii VI. in damnatione Pistoriensium explicite tradi debet fidelibus in expositione fidei, evaderet prorsus inutile et otiosum, quin evaderet perniciosum quodammodo. Esset *inutile;* quia, cum panis cesset per annihilationem, et Christi corpus fiat praesens per actionem qua ponitur sub speciebus, Transsubstantiatio panis in Christi corpus neque est necessaria ad explicandam Christi praesentiam in eucharistia, neque ad augendam dignitatem, venerationem, cultum ipsius Sacramenti. Quapropter, si daretur transsubstantiatio, haec staret quasi per sese, seu ad nullum bonum esset ordinata, atque adeo esset *otiosa.* Quod si subiiciatur ipsam panis annihilationem et positionem corporis Christi esse Transsubstantiationem; hoc, quin novum quid adderet, difficiliorem solummodo redderet intelligentiam absentiae panis et praesentiae corporis Christi in eucharistia, et porro esset aliquid *perniciosum* quodammodo. Recte igitur a Pistoriensibus inter quaestiones scholasticas ad exercenda ingenia amandaretur. Pistorienses tamen, quorum doctrina est ipsissima doctrina mutationis negativae termini *a quo*, damnati sunt.

Quartum fundamentum adversariorum.

88. *Respondeo: Neg. assertum* quoad tria, quae statuit. Ac primo quidem, in doctrina nostra, dogma Transsubstantiationis non est aliquid *inutile*, seu non multiplicat entia sine necessitate; sed exhibet medium et modum, quo ex Christi institutione ipsemet fit et fieri debet praesens in eucharistia, ut in ratione cibi spiritalis animarum nostrarum constituatur, nosque eum praesentem colamus, eiusque vita in praesenti aeternumque perfruamur. Ut enim in superioribus satis declaratum probatumque fuit, absolute quidem loquendo, Christus fieri poterat in eucharistia praesens aliter quam per transsubstantiationem, seu per conversionem

Dissicitur.

Quot modis Christus fieri potest praesens in eucharistia.

totius substantiae panis et vini in eius corpus et sanguinem; puta per supernaturalem quendam localem motum, aut per novam quandam creationem sui corporis et sanguinis ex nihilo *tum sui* in hoc loco, *tum subiecti;* poteratque penetrative coexsistere sub iisdem speciebus cum substantia panis et vini, aut hanc simpliciter annihilare, et se solum ibi sistere. Poterat etiam fieri praesens per conversionem totius substantiae panis et vini in eius corpus et sanguinem. Sive vero quia rebus semel creatis, si excludatur motus localis quem hic excludi debere facillime intelligitur, connaturale non est ut novam praesentiam acquirant per novam creationem, sed per conversionem aliarum in ipsas; sive quia conversio hoc habebat connaturaliter, ut, destructa substantia panis, solus ipse sub speciebus remaneret amori nostro adorationique propositus; sive quia ex conversione panis in ipsum nobis commendabatur ipsum esse cibum animarum nostrarum, remedium, solatium, subsidium viae, iucunditatem patriae; sive ob hos et alios fines sanctissimos; ipse libere selegit ut non aliter fieret praesens, quam per veram transsubstantiationem panis et vini in eius corpus et sanguinem et, per legem generalem supernaturalis providentiae, illam constituit medium et viam, ut eucharistica eius habeatur praesentia. Qua institutione posita, sequitur transsubstantiationem non solum non esse *inutilem*, sed esse *medium connaturaliter et hypothetice necessarium*, ut Christi praesentia eucaristica possit haberi. Sequitur ulterius eandem non esse *otiosam* seu ad nullum bonum ordinatam, sed esse ordinatam ad magnum bonum, illudque producere. Sequitur tandem non *damno*, sed *bono* esse fidelibus transsubstantiationis dogma ipsis proponere, et proportionata convenientique quadam ratione declarare; quamvis profundior cognitio ipsius mysterii nonnisi intelligentioribus aut etiam doctioribus possit exhiberi, uti Catechismus Concilii Tridentini subinde, loco laudato, id monet esse faciendum.

Ad realem Christi praesentiam conversio eucharistica connaturaliter et hypothetice necessaria ad eoque Transsubstantiatio.

89. Quod ultimo loco addebatur doctrinam nostram et Doctorum illorum, quibus patronis eam defendimus, a damnata Pistoriensium doctrina in re non differre, omni prorsus destituitur veritate. Quare et quo sensu damnati fuerint Pistorienses, ex ipsis Summi Pontificis verbis satis dilucide in superioribus docuimus[1]. Vidimus enim eos fuisse damnatos, quod in sua fidei expositione dogma conversionis totius substantiae panis et vini in Christi corpus et sanguinem *explicite* non tradiderunt, omiseruntque ipsam *Transsubstantiationis* vocem ad illud dogma contutandum ab Ecclesia consecratam. Hoc directe damnatur: quamvis Pontifex, omissionem illam suspiciosam vocando, sufficienter innuit Pistoriensium mentem de dogmate Transsubstantiationis posse esse magis erroneam. De quaestione vero: Num, propositis articulis binis de praesentia corporis Christi sub speciebus et de cessatione substantiae panis, asseratur necne una dogma transsubstantiationis *in re ipsa*, S. Pontifex nihil definit. Quidquid

Quare et quo sensu damnati Pistorienses.

[1] Vide supra, *Part. 1. Sect. 2. § 6.*

enim de hoc sit, verum semper et patens erit *expositionem illam fidei non explicite proponere dogma vocemque transsubstantiationis*, quae ob rationes a Pontifice allatas etiam explicite erant proponenda. Fit hinc, ut expositio illa per sese damnabilis sit: quod potiori dicetur iure, si expositionis illius auctores merito in fide suspecti habebantur. Declaravimus autem suo loco binos illos articulos, secundum praecisum conceptum inspectos, realiter transsubstantiationem non involvere; implicite autem transsubstantiationem continere, si connaturaliter, secundum Christi institutionem verbo Dei nobis manifestatam, catholico sensu intelligantur.

Doctrina nostra toto coelo differens a doctrina Pistoriensium, quatenus fidei expositio est.

90. His in mentem revocatis, quod asseruimus in perspicuis esse fatendum est. Doctrina Pistoriensium spectari proprie debet quatenus *formaliter est fidei expositio.* Hoc sub adspectu, doctrina nostra tota substantia a Pistoriensi differt. Pistorienses enim non proponebant explicite conversionis dogma, ceu a duobus propositis distinctum, nec vocis *Transsubstantiationis* mentionem ullam iniiciebant: nos contra et Catholici Doctores omnes conversionem totius substantiae panis in Christi corpus asserimus, declaramus, tuemur, vocemque Transsubstantiationis ceu aptissimam ad dogma contutandum amplectimur. — *Praeterea* si Pistorienses, propositis duobus articulis, ne quidem implicite intendissent proponere tertium de transsubstantiatione, errassent certe; sed in hoc errore non haberent nos et catholicos Doctores secum consentientes, qui appositum e diametro omnino sentimus.

Hypothesis prior.

91. Enimvero, uti saepe dictum est, Transsubstantiatio spectari potest aut *adaequate*, aut *inadaequate:* atque hoc altero modo vel *formaliter seu active*, vel *materialiter seu passive.* Age iam dum nos et catholici Doctores contendimus transsubstantiationis conceptum universim contineri in eo, quod panis substantia desinit esse ex vi positionis corporis Christi sub speciebus, atque adeo ita, ut sit vera connexio inter positionem unius et desitionem alterius; quandoquidem totum hoc effectus aliquis novus est, dubio procul ipsum proponimus vel ut dependentem a sua propria causa media actione proportionata; vel ita, ut per terminum declaremus actionem, qua a causa pendet; vel demum ut terminum ipsum in se consideratum, sed praecisa non exclusa habitudine, quam dicit ad actionem qua positus est, et ad causam a qua esse habuit. Patet hoc ex eo, quod Patroni nostrae sententiae, dum Transsubstantiationis doctrinam tradunt, illa omnia magis vel minus diserte profitentur, diserte omnino profitetur Suaresius in locis superius laudatis et ad litteram exscriptis. Nunc autem, dum primo modo loquimur, evidenter Transsubstantiatio adaequata *explicite* a nobis proponitur secundum conceptum aliquem minus clarum: dum altero, *explicite* proponitur Transsubstantiatio activa aut formalis, implicite adaequata: dum tertio, *explicite* proponitur Transsubstantiatio materialis aut passiva, *implicite* formalis, imo adaequata. In facta igitur hypothesi nequit ullo modo doctrina nostra cum Pistoriensium doctrina comparari: binae doctrinae non sunt termini proprie comparabiles.

Hypothesis altera.

92. Supponamus tandem, quod verius est aut unice verum, notas illas binas a Pistoriensibus propositas, quidquid fuerit de ipsorum mente, *in re* saltem connaturaliter et de facto Transsubstantiationem continere. Discrimen adhuc latissimum est inter nos et ipsos in modo illam doctrinam proponendi. Pistorienses enim, in sua expositione, vel non tradunt sufficientem nexum inter illa duo; siquidem, si quis agnoscitur, nexus ille est tantum moralis et in tempore, atque porro certo certius insufficiens: vel si sufficiens est, illum non diserte proponunt sed, ut constat ex dictis, oportet colligere: vel demum terminos illos binos cum suo qualicumque nexu non proponunt ceu ipsius transsubstantiationis explicationem, sed uti articulos in doctrina fidei independentes ac quasi stantes per sese. Opposita omnia obtinent in doctrina nostra. Nos primo, uti in parte tertia declaravimus, cum Doctoribus pluribus inter duos illos conversionis terminos nexum asserimus obiectivum ac vere sufficientem. Si vero Doctores aliqui insufficientem assignant, in hoc certe falluntur: in eo vero quod ut sufficientem tradunt, aperte a Pistoriensibus discriminantur, qui de nexu duos illos inter terminos nullo modo in sua expositione sunt solliciti. Adde, quod caput est, negativam panis desitionem ex vi positionis corporis Christi cum sufficienti nexu inter utrumque nos diserte exhibere uti declarationem seu explicationem dogmatis Transsubstantiationis et consequenter dogma ipsum proponere. Pistorienses autem de hoc silent. Quapropter si doctrina synodi spectetur formaliter, *quatenus fidei expositio est*, ea toto coelo differt a doctrina nostra, imo etiam ab omnium Theologorum catholicorum doctrina.

Differt etiam inspecto expositionis obiecto.

93. Coronidis loco addimus doctrinam Pistoriensium, non inspecta fidei expositione sed inspecto expositionis obiecto, adhuc dupliciter a doctrina nostra differre. Primo quidem videntur ipsi, uti notat Pontifex, Transsubstantiationem eucharisticam inter quaestiones mere scholasticas amandare: nos contra profitemur esse fidei dogma ab Ecclesia explicite et sollemniter definitum. Secundo vero, cum ipsi non proponant obiective nisi terminum actionis conversivae, quin illius ad hanc habitudinem declarent, dubium esse potest habitudinem illam agnoscant necne. Si autem non agnoscerent aut negarent, cum ab actione formaliter denominetur conversio, ipsam certe negarent conversionem. Huiusmodi autem negatio, etiam dato termino, possibilis est. Idem enim terminus, saltem seorsim, duplici dependentia aut actione diversa in pluribus potest haberi. In re nostra, si daretur hinc quidem stricta substantiae panis annihilatio, inde vero simultanea positio corporis Christi sub speciebus, haberetur plane idem terminus aut effectus, qui nunc habetur ex vi actionis conversivae, non tamen haberetur conversio. Atque de hoc satis.

Habet contra se validissimas rationes. Prima ratio — Doctrina mutationis positivae re identica damnatae sententiae Baymae.

94. *Prob. 3.ª min. pars.* Sententia transsubstantiationem explicans per positivam mutationem substantiae panis habet contra se validissimas rationes. *Prima ratio* contra illam sententiam, strictiori, quem diximus, sensu intellectam, est. Illa sententia,

in re, est identica sententiae Baymae. Atqui sententia Baymae est damnata a S. Congregatione Inquisitionis [1], et ex thesi praecedenti est obiective fidei contraria. Ergo. — *Prob. mai. Realis entitas*, ac multo magis *haec realis entitas*, seu *hoc reale ens*, utut in confuso consideretur, est entitas et ens, quod exsistit in determinata specie et in determinato individuo. Neque enim genus potest inveniri realiter nisi in aliqua specie, neque species nisi in aliquo individuo : aliunde vero in uno et eodem ente differentia individualis non differt *realiter* a ratione specifica, neque differentia specifica a ratione generica, ut habet communis et vera sententia : ceterum argumentum vim suam non amitteret, etiamsi diceretur esse materia signata principium individuationis. Specifica enim *entitas* panis, si realis est, est realis substantia corporea. Realis autem substantia corporea necessario includit *materiam signatam*, in qua nimirum, uti D. Thomas docet, *tres dimensiones possunt designari*, quae, in hypothesi esset individuationis principium [2]. Atqui ex adversariorum doctrina in eucharistia remanet, *strictiori sensu*, hoc reale ens, quod erat panis, utut in confuso consideratum. Ergo remanet in specie et in individuo panis. Iam vero ens reale cum differentia aut quasi differentia (ens enim, ut sic, proprias differentias non habet) specifica ipsum contrahente ad esse panis, et cum differentia individuali ipsum contrahente ad esse huius panis, si non est panis substantia, certe erit saltem *realis natura panis; realis* proinde *materia*, *realis forma* etc., quamvis forsan alio modo ac ante conversionem ; quod pro praesenti argumento indifferens est. Haec autem est sententia Baymae, si spectetur res, non autem modus eam proponendi.

Secunda ratio.

95. In sensu strictiori superius declarato, doctrina mutationis positivae termini *a quo* non verbis, sed *re* statuit: — α) Illud ens, quod erat panis, manere et non manere panem, seu panis substantiam : — β) Panem converti, et tamen manere illud ens, quod erat panis : — γ) Christum esse illum eundem numero, qui est in coelis, et tamen esse illud reale ens, quod erat panis etc. Atqui haec et similia sunt in terminis contradictoria. Ergo. — Maior patet ex declaratione sententiae ab initio positae. Dicunt enim ex vi conversionis haberi ut : Illud reale ens, quod erat panis, iam sit immutatum Christi corpus, quod est in coelis.

Substantia panis manet simul et non manet.

96. *Declaratur.* — α) Uti argumento superiore declaratum est, illud ens quod erat panis, seu hoc ens individuum sibi identificat tum differentiam aut quasi differentiam specificam, tum differentiam individualem, adeoque est realiter idem cum pane, seu cum panis substantia. Ergo qui dicit manere hoc ens reale panis et non manere panis substantiam, in sensu reali, dicit panis substantiam manere simul et non manere. — Item : — β) qui dicit manere rea-

---

[1] Vide supra, *Part. 1. Sect. 2. § VII.*

[2] Cfr. nostrum opus : *De Distinctione actuatam inter essentiam exsistentiamque creati entis intercedente etc.* Sect. III. s^{a} 1. Analysis Opusculi : De Ente et Essentia, *n. 152. seqq.*

Substantia panis convertitur simul et non convertitur.

liter illud ens, quod erat panis, dicit panem non destrui physice, seu non desinere simpliciter. Atqui qui dicit panem non desinere simpliciter, dicit panem non converti realiter; de essentia enim conversionis, uti probatum fuit, est desitio simpliciter termini *a quo*. Ergo qui dicit manere illud ens, quod erat panis, dicit panem realiter non converti. Ergo qui simul dicit manere illud ens, quod erat panis, et panem converti, dicit simul panem converti et non converti: quod est contradictorium. — Rursum qui dicit manere illud ens, quod erat panis, dicit panem manere, ante et post conversionem, identicum sibi et distinctum ab aliis. At quod ita est, conversum non est; siquidem non transiit in terminum *ad quem*, cum in se idem maneat et ab eo, quod deberet esse terminus *ad quem*, realiter distinguatur post conversionem, uti ante distinguebatur. Ergo qui dicit realiter manere illud ens, quod erat panis, dicit panem non converti. Si ergo hic idem asserit simul panem converti et manere illud reale ens, quod erat panis, asserit panem converti simul et non converti, seu loquitur pugnantia. Maior huius totius argumenti constat ex praecedentibus. — γ) Qui dicit Christum esse illum eundem numero, qui est in coelis, et prorsus immutatum, ac simul esse illud reale ens, quod erat panis, dicit Christum simul esse et non esse illum eundem numero prorsus immutatum, qui est in coelis. Dicit esse ex hypothesi, imo ex explicita assertione: dicit simul non esse; quia Christus, prout numerice est in coelis et prorsus immutatus, in sua entitate reali individua non includit illud reale ens, quod erat panis. Haec autem et similia, quibus in superioribus omnia effugia praeclusa sunt, apertam portendunt in ipsis terminis contradictionem. Atque haec sufficiant. Qui plura cupit, adeat Suaresium[1], et Sotum[2].

Christus in eucharistia simul idem et non idem.

Tertia ratio.

97. *Tertia ratio.* In sensu latiori ac diminuto superius declarato, identitas affirmata inter id, quod erat panis et corpus Christi est identitas non physica et rei, sed logica et praedicationis. Ut hoc obtineat, opus omnino est, conversione facta, physicae entitatis substantiae panis nihil prorsus superesse aut remanere. Quaerimus: quo pacto nihil remaneat? Respondent adversarii: Nihil remanet, quatenus modo prorsus ineffabili et inexplicabili ipsa entis ratio in panis substantia convertitur in illam entis rationem quae individualiter est in Christi corpore, quod in coelis est. Iam hoc non est ineffabile et inexplicabile, sed est omnino falsum.

98. *Prob. haec min.* Istaec conversio quae modo ineffabili et inexplicabili, quin ipsam destrueret, converteret panis substantiam in Christi corpus praeexsistens et immutatum, praeseferret vel actionem mere negativam, quae mere negative substantiam panis immutaret; vel actionem mere positivam, quae eandem panis substantiam immutaret mere positive; vel demum actionem partim negativam partim positivam, quae consequenter panis substantiam

---

[1] Suarez, *In 3.am p.em D. Thomae, Disp. 49. Sect. 4.*
[2] Soto, *In IV. Dist. 9. q. 2. a. 4.*

immutaret partim negative partim positive. Nihil horum dici potest. Non 1.um Actio enim negativa, quae nonnisi negative terminum immutat, ex sese tendit in non-ens. Actio vero huiusmodi evidenter nequit, ipsa non destructa, convertere substantiam panis in corpus Christi; cum neque Christi corpus sit non-ens, neque possit non-ens terminare conversionem transsubstantiativam, quae positiva est: ceterum patroni sententiae quam impugnamus, actionem mere negativam absolute excludunt. — Non 2.um Actio namque mere positiva, quae terminum mere positive attingit, ea actio est, quae aut terminum primo unice ponit, quin aliquid removeat; aut, si subiectum supponit, ipsi vel conservat perfectionem quam habet, vel novam unice confert. Si enim, praeter haec, quidquam adimeret, non esset amplius actio et mutatio mere positiva, uti facile intelligitur. Atqui eiusmodi actio nequit convertere totam panis substantiam in substantiam corporis Christi; quia vel conservaret mere totam substantiam panis, quae non est primo ponenda, vel ipsi conservatae novam unice adderet perfectionem: quod totum nullo modo est unum in alium substantialiter convertere, ac minus multo ita, ut nihil prioris substantiae non destructae supersit. — Non 3.um Actio enim partim negativa partim positiva, qua negativa est, aliquid saltem substantiae panis, contra hypothesim, perimeret: qua vero est positiva, relinqueret saltem partialiter panis substantiam sibi identicam, utut forsan nova alia perfectione donatam, adeoque non conversam. Si vero ea ratione negativa partim, partim positiva diceretur actio, ut est in generatione naturali, transformatio quidem haberetur, non transsubstantiatio. Si demum, iuxta doctrinam nostram, partim negativa, positiva partim diceretur actio, haberetur plane vera transsubstantiatio, sed hanc maxime nolunt adversarii nec, stando suis principiis, possunt ullo modo velle.

Actio negativa per se se tendit in non-ens.

Actio mere positiva tendit per sese ad ens.

Actionis mixtae terminus.

99. *Dices:* Addo quartum: vel praeseferret actionem mere conversivam seu positivam conversivam, quae ad hoc formaliter tendit, ad unum videlicet omnino in aliud convertendum. — Atqui huiusmodi actio nulla est. Talis enim actio, uti iam probatum est, asseritur sine sufficienti auctoritate et sine ratione ulla, imo contra omnem rationem. Nam uti in ordine logico et praedicationis non datur transitus a disparato ad disparatum nisi per contradictionem; ita neque datur in ordine physico, nisi per physicam contradictionem aut remotionem unius ad positionem alterius. Petrus v. g. dici nequit esse leo, quin negetur ipsum esse hominem: et, eodem pacto, nequit esse physice leo, quin desinat physice esse Petrus vel homo. Ratio ontologica est quod, cum disparata essentialiter inter se differant, nequit unum fieri aliud in ordine sive logico sive physico, quin in eo ordine essentiam suam amittat aut neget, et aliam induat. Iam vero si daretur illa actio conversiva, quam adversarii comminiscuntur, haberetur transitus a disparato in disparatum in ordine tum logico tum physico sine contradictione. Panis namque, quin physice amitteret esse panis, evaderet secundum totam suam physicam substantiam cor-

Obiectio.

Disiicitur.

A disparato ad disparatum non datur transitus, nisi per contradictionem.

Quare.

pus Christi et corpus Christi diceretur, adeoque in disparatum simpliciter transiret sine transitu per contradictorium.

Quarta ratio.

100. *Quarta ratio.* Actio conversiva, qua de loquimur, sic dicitur panem convertere, ut tamen ipsum non destruat; atque porro panis non desinit physice simpliciter esse. Hoc autem dici nequit. Si enim panis substantia physice non destruitur ac desinit simpliciter esse, physice aliquid est, et consequenter alicubi (ad modum plane substantiae, non quantitatis) vel in se, vel in alio est; secus enim ex Augustini doctrina, quam de loco agentes retulimus, et ex rei veritate, nihil esset prorsus, et quidem in re nostra ex vi conversionis. At, per adversarios, panis substantia nullibi, neque in se neque in alio, aliquid est. Ergo non positive sed negative mutata est. *Prob. min.* Panis substantia non est in se, quia tota dicitur esse conversa ac prorsus non manere: non est in Christi corpore, quia dicitur esse illud idem omnino immutatum, quod est in coelo, quodque nihil continet substantiae panis: non est demum in alio quolibet corpore aut ente convertibili, cum in haec non dicatur panis ille conversus aut, si ita esset, certe in Christi corpus conversus dici non posset, uti cum D. Thoma docemus omnes contra illos veteres, qui ponebant panem resolvi in praeiacentem materiam[1]. Ergo.

Panis non destructus aliquid et alicubi est.

S. Augustinus.

Obiectio.

101. *Dices:* Si panis substantia tum in se tum in alio nihil est, et nullibi est; id tamen, in quod conversa est, ad modum certe substantiae, aliquid est et alicubi. Ergo quod neque in se neque in alio aliquid est et nullibi est, physicam eius destructionem nullo modo infert. — *Respondeo:* Iste argumentandi modus, qui D. Thomae, Alberto, Halensi, S. Bonaventurae etc. communis est ad stricte dictam panis annihilationem excludendam, non recte ab adversariis adhibetur, ubi de sola panis lata aut impropria annihilatione aut destructione, uti in praesenti est, movetur quaestio. Ut enim probavimus, Doctores illi substantiae panis destructionem omnino agnoscebant: negabant vero annihilationem simpliciter seu strictam, quia haec sub omni respectu tum in actione, tum in termino *a quo*, tum in ultimo termino *ad quem* nihilum exigit. In conversione autem eucharistica terminus ultimus *ad quem* aliquid est, quamvis physice nihil in se contineat termini *a quo*. At vero ubi sermo est de rei alicuius destructione, cum haec, ex sui conceptu, non exigat nihilum sub omni respectu, sed sub uno tantum, nimirum sub respectu termini proximi *ad quem*, nequit excludi ex eo, quod ultimus terminus *ad quem* sit aliquid, si rei conversae nihil in se continet. Plane si physice aliquid destructum non est, physice est aliquid, atque, una vel alia ratione, in se aut in alio physice erit. Si autem hoc idem dicitur nullo modo manere physice, uti in praesenti fit; idem dicitur simul physice manere et non manere, quod est contradictorium.

Responsio.

Quinta ratio.

102. *Quinta ratio* ex parte corporis Christi. Corpus Christi, in quod panis dicitur ex vi positivae illius mutationis intimae con-

[1] D. Thomas, *Summ. Theol. 3. p. q. 75. a. 3. corp.*

versus, estne illud idem *semel*, quod est in coelo? Estne ex vi conversionis *bis* idem? Estne demum aliud *numero* ab eo, quod est in coelo? Hoc tertium dici nequit, neque revera dicunt adversarii, qui cum tota Ecclesia catholica repetunt esse illud idem *numero*, quod est in coelo praeexsistens et immutatum, saltem substantialiter. Secundum dici nequit ab adversariis, qui illud quam maxime in sententia Suaresiana et communiori impugnant. Ceterum, si dicerent, contra ipsos iure, uti ex dictis facillime intelligitur, converterentur tela, quae contra doctrinam Suaresianam incassum contorquent, quemadmodum suo loco erit videndum. Superest ergo ut primum dicant, et de facto primum dicunt. Sed tunc explicandum ipsis remanet quid faciat sua conversio. Cum enim in Christo, qui est in coelo et quatenus est in coelo, nihil omnino fiat, dum panis intime positive mutatur, nescitur prorsus quo demum, uti in terminum, perveniat conversio. Explicandum quomodo panis substantia in Christi corpus dicatur conversa, cum in Christi corpus, quod in coelo est omnino ut prius erat, nullo modo dici possit transiisse; secus enim quidquid positive mutatur, pari ratione dici posset conversum in Christi corpus et in omne aliud ens convertibile praeexsistens et immutatum. Recurrent ad intentionem agentis? Habebimus doctrinam extrinseci decreti, contra quam non iniuria clamitant. Explicandum quomodo Christus qui est in coelo, unus ille idem *semel*, sit etiam in altari. Estne ex vi ordinationis specierum altaris ad Christum, qui *semel* est in coelo? Habebitur actio *adductiva* specierum, imo totius substantiae panis, quae non destruitur, ad Christum, qui est in coelo; et ulterius, perfecta consecratione, *tota substantia panis*, positive solummodo mutata per ordinationem ad Christum, qui *semel* est in coelo, et quidem *sola*, erit in eucharistia, contra omnes in hac materia Ecclesiae definitiones.

Christus idem numero in coelo et in hostia.

An bis, ter... idem.

An semel idem?

103. Inferimus ex dictis adversariorum conversionem, quae *absolute* dicebatur necessaria ad reddendam rationem praesentiae Christi in eucharistia, quaeque *unice* dicebatur rationem reddere talis praesentiae iuxta Christi institutionem, rebus aequa lance perpensis, mysterium eucharisticum omni ex parte pessundare. Est enim, uti probatum est, obiectiva negatio conversionis substantiae panis in Christi corpus: relinquit sub speciebus realem aut physicam panis substantiam: inficiatur *obiective* Christum esse vere, realiter, substantialiter sub speciebus. Neque enim Christi corpori, prout est in coelo, competit proprie dicta immensitas, aut aliquid immensitati simile ut, ad eum modum quo id de Deo dicitur, facta mutatione positiva in alio, Christi corpus substantialiter, aut per essentiam, praesentiam et potentiam ibi sit, ubi illa mutatio obtinuit. Quapropter si mutatio illa utcumque dici posset conversio, talis conversio non Christum ad species, sed potius panis substantiam ad Christi corpus in coelo ordinaret, efficeretque non ut Christus sub speciebus esset in terra, sed potius ut panis substantia, ubi Christus est, in coelo esset. Quacumque ergo ratione opinio illa inspiciatur, in se plane apparet improbabilis.

Ultima illatio.

Obiectio.

104. *Dices:* Panis non convertitur in corpus Christi, quod est in coelo et quatenus est in coelo; sed substantia panis convertitur in substantiam corporis Christi, *quatenus praecise substantia est.* Substantiae vero, quatenus substantia est, non debetur hic aut ille locus; sed ipsa, qua talis, potest esse in omni loco. Ergo substantia corporis Christi, quatenus substantia est, potest vere et realiter esse in coelo et sub speciebus illius panis, qui in ipsam conversus est, et sic terminare transsubstantiationem, et excludere a speciebus substantiam panis, et sub ipsis sistere Christum vere, realiter et substantialiter praesentem.

Responsio.

105. *Respondeo:* Transeat, aut etiam concedo maiorem. Ad 1.am minoris partem: Substantiae, ut substantia est, non debetur hic aut ille locus, *Dist.* Determinate, *Conc.* Indeterminate, nimirum unus aliquis, sive sit hic, sive ille, *Neg.* Ad 2.am partem: Sed ipsa, qua talis, potest esse in omni loco, *Dist.* Si sit substantia simpliciter infinita, *Conc.* Si sit finita, *Subd.* In omni loco inadaequato et continuo, *Conc.* Adaequato et praesertim discontinuo, rursum *Subd.* Successive, *Conc.* Simul, adhuc *Subd.* Connaturaliter, et praecise quia substantia est, *Neg.* Supernaturaliter, et quatenus a Deo, una vel alia ratione, in pluribus simul locis potest poni, *Concedo.*

Substantia metaphysice considerata.

106. Si substantiam, prout praecise substantia est, metaphysice consideremus, substantia hoc modo inspecta a loco praescindit, nec utcumque sibi locum adsciscit sive illimitatum sive limitatum, sive continuum sive discretum, sive unum sive multiplicem, sive hunc sive illum; quamvis in suis inferioribus analogicis horum nihil ipsi repugnet. Ast vero, physice aut realiter loquendo et praescindendo ab ordine a Deo constituto, realis substantia omnis individua, aliter et aliter, sicut in III. Parte de loco et praesentia locali agentes declaravimus, prout nimirum spiritualis est aut corporalis, *intrinsecum locum* quendam sibi vindicat; vindicat etiam sibi aptitudinalem aut actualem occupationem alicuius *loci extrinseci indeterminate*, huius nimirum aut illius, non *determinate* huius et non illius. Quando subinde additur: *Substantia, ut substantia, potest esse in omni loco*, si sermo sit de substantia infinita, haec non solum potest, sed exigit esse in omni loco aut actu, si loca realia sint, aut plenissima sufficientia, si sint solum possibilia; ita ut, si illa loca actualia fiant, eadem sine ulla sui mutatione occupet de facto. At si sermo sit de substantia finita, haec non omnem locum actualem et possibilem, sed sibi vindicat solummodo locum aliquem suae entitativae perfectioni aut naturae proportionatum, qui dici solet locus adaequatus et constare potest partibus pluribus, quae relate ad illam substantiam locum constituent inadaequatum. Sic anima humana pro loco adaequato corpus habet humanum, cuius diversa membra, quae informat, eius locus sunt inadaequatus.

Considerata physice aut realiter.

Quoad locum intrinsecum et extrinsecum.

Si sit infinita.

Si sit finita.

Quid ipsi connaturaliter conveniat.

107. Age vero si quaestio sit de substantia spirituali aut forsan, iuxta aliquos, de quidditate substantiae materialis; haec certe in pluribus locis inadaequatis et continuis connaturaliter esse potest;

ast, cum limitata sit et una, adeoque in se indivisa, quatenus limitata est, non sibi adsciscit immensitatem ; quatenus una est et in se indivisa, repugnat ut connaturaliter sit in pluribus locis discontinuis etiam inadaequatis, ac magis multo in pluribus discontinuis adaequatis. In priori enim casu erit simul in se indivisa et divisa ; in altero, praeter hoc, habebitur etiam effectus sine causa eo ipso, quod substantia, ut substantia realis tamen et limitata, supra suam connaturalem exigentiam et potentiam occupandi suum locum adaequatum, occuparet, utique ad modum substantiae, alium locum. Itaque dum substantia una et limitata dicitur, ut substantia, esse posse in omni loco ; hoc de substantia metaphysice inspecta dicitur praecisive et negative, tum quia substantia huiusmodi, ut substantia, praescindit a loco et in quocumque loco ponatur, erit substantia, ut substantia ; tum quia ipsi, ut sic, nec repugnat in aliquo inferiori analogico esse positive in omni loco, nec in aliis ipsi debetur locus aliquis determinatus, quia in quocumque loco erit substantia, ut substantia. At si de substantia physica sermo sit, id non dicitur quasi haec substantia, etiamsi non sit infinita, ut substantia, occupet aut possit simul occupare omnia aut plura loca, etiam discontinua; sed dicitur quia, ut substantia, non sibi vindicat hunc praecise locum, et potest esse, non simul sed successive, in omnibus realibus locis, si aliud non obsit. Supernaturaliter vero substantia creata, ut substantia certo et, si de corporali substantia loquimur, etiam ut *quanta*, probabilius esse potest in pluribus locis, etiam adaequatis et discontinuis. Hoc autem non praecise quia substantia est (id enim est prorsus impertinens) ; sed quia a Deo supernaturali actione in pluribus locis talibus, una vel alia ratione, potest poni. Tunc autem una quidem et limitata substantia esset, sed haberet duas aut plures praesentias accidentales, si id fieri potest ; vel una realiter et limitata substantia esset, sed bis, ter, centies in diversis locis reproducta aut replicata, et virtuali quadam ratione esset multiplex.

Quid ipsi potest supernaturaliter convenire.

· 108. Ut ad rem nostram propius accedamus, quando dicitur panis converti in substantiam corporis Christi, ut substantia est, et non prout est in coelo, si substantia corporis Christi acciperetur metaphysice, haberemus conversionem panis in notionem abstractam, et consequenter vel fictionem quandam, vel solam aliquam denominationem extrinsecam, cum Calviniana praesentia eucharistica per virtutem et fidem quodammodo comparandam. Si vero substantia corporis Christi accipitur physice, tunc cum physice et connaturaliter nonnisi unum locum adaequatum et continuum possit occupare ; occupet autem de facto suum locum adaequatum in coelo et quidem realiter et substantialiter, secundum suam connaturalem exigentiam in Sacramento realiter et substantialiter esse non potest. Fit hinc ut, si hoc solum dicitur, negetur revera *obiective* realis et substantialis Christi praesentia in eucharistia, et vel negetur, *utique obiective*, vera transsubstantiatio panis in Christi corpus, vel transsubstantiatio reducatur ad hoc,

Quo sensu dicitur substantia panis converti in substantiam corporis Christi, ut substantia est, et non ut est in coelo.

ut panis morali et intellectuali ratione referatur ad substantiam corporis Christi, quae in coelo est, etiamsi non quatenus in coelo est. Hoc autem est subvertere totam rationem eucharisticae institutionis, et plura dogmata fidei *obiective* negare. Atque ex his potest intelligi quare theologi catholici, qui omnino concedunt panem converti in substantiam corporis Christi, ut substantiam et non quatenus est in coelo, ut supernaturalem modum significent, quo corpus Christi est realiter et substantialiter praesens in eucharistia, transsubstantiationem intelligant et explicent, analogice ad naturales conversiones maxime substantiales, verius per actionem supernaturalem aliquo modo productivam vel effectivam ipsius substantiae corporis Christi *hic*, et quidem *ex pane*, modo iam indigitato et subinde plenius declarando demonstrandoque.

109. Scholion. — Declaravimus suo loco[1] quid verius intellexit Caietanus ubi dixit: per transsubstantiationem fieri ut *id, quod erat panis, iam sit corpus Christi.* Per hoc non negatur destructio substantiae panis, sed edicitur solum panem destrui ex vi illius actionis adaequatae, qua Christi corpus, sub specibus ponitur et sic converti in Christi corpus; ita ut in abstracta aut metaphysica ratione entis aut substantiae habeatur identitas inter substantiam panis et Christi corpus, atque logice dici possit: *Quod erat panis, est Christi corpus.* Ex quo intelligitur: *Quod erat panis, est Christi corpus*, idem esse ac: *Contentum sub speciebus, quod prius erat panis, iam est Christi corpus.* Hoc autem facile derivatur ex doctrina D. Thomae aientis: « Quia in hoc sacramento, facta consecratione, aliquid *idem* manet, scilicet accidentia panis, ut supra dictum est[2]; secundum quandam similitudinem aliquae harum loquutionum possunt concedi, scilicet: *Panis fit corpus Christi*, vel: *Panis erit corpus Christi*, vel: *De pane fit corpus Christi;* ut nomine panis non intelligatur substantia panis, sed in universali: *Hoc, quod sub speciebus panis continetur*, sub quibus prius continetur substantia panis, et postea corpus Christi »[3].

THESIS III.

Sententia per proprie dictam substantiae panis annihilationem Transsubstantiationem explicans, quamvis non possit notari censura theologica, est tamen simpliciter falsa.

Declaratur.

Cum quibus adversariis agendum.

1. Declaratur. — Asserta thesis, in qua cum tertio adversariorum genere, ut diximus, confligendum est, fere non eget declarari. Iam enim satis intelligitur cum catholicis iis Doctoribus nobis ineundum esse certamen, qui contendunt panis substantiam in eucharistia desinere aut in nihilum abire per meram suspensionem divinae conservationis ad ipsam negative, et quidem primo

[1] Vide supra, *Part. 2. Sect. 3. n. 118.*

[2] D. Thomas, *Summ. Theol. 3. p. q. 75. a. 5.*

[3] *Idem, Ibidem, a. 8. corp.*, et *q. 78. a. 5. corp.*, et *IV. Dist. 11. q. 1. a. 4.* — Cfr. Suaresium, *In 3.am p.em D. Thomae, Disp. 50. Sect. 4.* — Vasquez, *In 3.am p.em D. Thomae, Disp. 181. c. 10.*

et per se terminatam. Iuxta hos conversio eucharistica duplicem praesefert actionem aeque principalem, alteram negativam, alteram positivam. Illa, substantia panis simpliciter annihilatur; hac, substantia corporis Christi sub speciebus constituitur. Neutra actio seorsim conversio est: utraque simul, et quidem extrinseco solum Dei decreto connexa, vel per sese conversio est, vel saltem est haec specialis conversio. Itaque Doctores isti omnia, quae ab Ecclesia definita sunt, profitentur: absentiam panis, praesentiam Christi realem substantialemque, conversionem panis in Christi corpus. Quandoquidem autem notio aut conversionis, ut sic, aut huius conversionis neque fide, neque ratione est omnino certa, nequit etiam plena certitudine affirmari eos, suo modo conversionem intelligendi, conversionem de facto negare, quamvis maiori aut minori vi id ita esse privati Doctores possint contendere. Ceterum doctrina illa, uti suo loco monuimus[1], in sinu et in facie Ecclesiae a compluribus gravibus catholicis Doctoribus, ipso favente Scoto, fuit propugnata. Atque ex his ratio habetur, quare doctrina illa censura theologica nequeat inuri[2].

Quid doceant.

Adversarii omnia ab Ecclesia definita profitentur.

Adversariorum doctrina censura theologica nequit inuri.

2. Itaque scholastica solum ratione edicimus sententiam illam esse simpliciter falsam. Qua in definitione praeeuntem sequimur D. Thomam, qui postquam ostendit substantiam panis et vini in eucharistia non desinere per resolutionem in praeiacentem materiam, sic subdit: « Unde posuerunt illud sub disiunctione, scilicet quod vel annihiletur, vel in praeiacentem materiam resolvatur.— Sed nec hoc potest esse, quia non est dare aliquem modum, quo corpus Christi verum esse incipiat in hoc sacramento, nisi per conversionem substantiae panis in ipsum: quae quidem conversio tollitur, posita vel annihilatione substantiae panis, vel resolutione in praeiacentem materiam. Similiter etiam non est dare unde talis resolutio vel annihilatio in hoc sacramento causetur, cum effectus sacramenti significetur per formam: neutrum autem horum significatur per haec verba formae: *Hoc est corpus meum.* Unde patet praedictam positionem esse FALSAM »[3].

D. Thomas.

3. PROBATUR. — Uti in demonstratione thesis praecedentis ex fontibus revelationis satis superque ostendimus, substantia panis et vini in eucharistia, ex Christi institutione, desinit esse aut abit in nihilum ex vi conversionis eius in substantiam corporis et sanguinis Christi. Quod autem ex vi conversionis in nihilum abit, simpliciter non annihilatur, uti etiam declaratum est. Ergo substantia panis et vini in eucharistia simpliciter non annihilatur; et consequenter sententia transsubstantiationem explicans per annihilationem simpliciter substantiae panis et vini est falsa. *Minor* declaratur ex dictis. Plane quod abit in nihilum ex vi conversionis in aliud, primo quidem in nihilum abit non ex vi actionis

Quod abit in nihilum ex vi conversionis, simpliciter non annihilatur.

---

[1] Vide supra, *Part. 2. Sect. 2. § III. n. 13 seqq.*

[2] Viva, *Cursus Theologicus, Pars. 1. De Trinitate, Disp. 5. q. 6. n. 6.*

[3] D. Thomas, *Summ. Theol. 3. p. q. 75. a. 3. corp.* — Cfr. *IV. Dist. 11. q. 1. a. 2.*, et *Contra Gentes, lib. 4. c. 63.* etc.

merè negativae, sed ex vi actionis primo et per se positivae, quamvis secundario actionem aliquam negativam inferat; secundo vero pro termino ultimo aliquid habet non mere negativum, sed omnino positivum. Quod autem sic in nihilum abit, simpliciter non annihilatur; annihilatio enim simpliciter talis nihilum exigit in intentione agentis, in vi actionis, in ultimo termino.

Panis abit in nihilum, quatenus Christi corpus sub speciebus ponitur, ut in se et per se sustentans accidentia efficienter.

4. Praeterea, ex constabilitis in tertia parte huius Disquisitionis, substantia panis et vini in eucharistia abit in nihilum quatenus sub speciebus ponitur Christi corporis et sanguinis substantia, ut *in se* et *per se* efficienter sustentans accidentia. Hinc enim fit: — α) ut influxus substantiae in conservationem accidentium non sit connaturaliter necessarius, et ipsa, ex hoc capite, conservationem connaturaliter non exigat; fit: — β) ut eius unio cum accidentibus destruatur et ab ipsa separetur quantitas et reliqua accidentia in quantitate proxime subiectata, et consequenter omnis ei adimatur connaturalis actio, quae sine quantitate nequit haberi: enti autem privato sua connaturali operatione connaturaliter non debetur conservatio. Quod autem sic abit in nihilum, simpliciter non annihilatur. Quod enim sic abit in nihilum, desinit esse vel ut dispositio negativa ad terminum ultime positivum ab agente sua actione intentum, vel ut sequela ultimi termini positivi; atque porro illa desitio non dat *nihilum simpliciter*, sed *aliquid simpliciter*, et consequenter non est simpliciter annihilari. Sic quia in transformatione naturali forma et ipsum compositum, qua tale, in nihilum abit sive ut dispositio negativa ad novam formam ad novunque compositum ab agente sua actione intentum, sive ut sequela termini ultimi actione illa positi, non dicuntur simpliciter annihilari, sed dicuntur *corrumpi* aut, plenius, ut *quod*, vel ut *quo converti*. Ergo.

Substantia panis dici nequit simpliciter annihilata neque in conversione, neque in se.

5. Ad haec, substantia panis et vini in eucharistia diceretur simpliciter annihilata vel in conversione ipsa, vel in se, uti in superioribus ex Scoto[1] audivimus. Neutrum dici potest. Non primum. Id enim esset simpliciter negare conversionem substantiae panis et vini in substantiam Christi corporis et sanguinis; quod enim simpliciter annihilatur, in aliud non convertitur, ut videtur evidens, et plenius intelligetur ex iis, quae mox dicemus. Sed neque secundum. Nam si substantia panis *secundum se* diceretur annihilata; ergo secundum se non posset dici conversa in corpus Christi; et tunc, ut vult aut innuit Scotus, conversio eucharistica non esset substantiae panis in corpus Christi, sed esset conversio panis *praesentis* in corpus Christi *praesens*, seu conversio praesentiae panis in praesentiam corporis Christi. Atqui hoc videtur esse contra totam doctrinam Ecclesiae, parte I. huius Disquisitionis exhibitam, ac praesertim contra Tridentinum definiens: « Si quis... negaverit mirabilem illam et singularem *conversionem totius substantiae panis in corpus, et totius substantiae vini in sanguinem* (Christi)... Anathema sit »[2]. Ergo.

[1] Vide supra, *Part. II. Sect. 2. § 3. n. 18.*

[2] Tridentinum, *Sess. 13. can. 2.*

6. Tandem ponere in eucharistia annihilationem simpliciter substantiae panis, in re, est negare veram et propriam conversionem substantiae panis in Christi corpus. Ergo sententia transsubstantiationem explicans per proprie dictam panis annihilationem est simpliciter falsa et, in re, plusquam falsa; ex fide enim in eucharistia datur vera et proprie dicta conversio. *Prob. ant.* Proprie dicta annihilatione substantiae panis non negaretur vera et proprie dicta conversio, quatenus haec, uti loquitur Bellarminus, nihil esset aliud, quam: « Quaedam voluntas seu volitio Dei, qua ipse vult non conservare panem, ut in eius locum ponatur corpus Domini »[1]. Atqui hoc: — α) sine fundamento asseritur. Hoc namque dicendi pacto tota ratio conversionis in voluntatem decretumve Dei tanquam in causam proximam transfertur contra id, quod totus ordo naturalis conversionis exhibet; et contra documenta Patrum et summorum Doctorum, ex analogia conversionum naturalium conversionem eucharisticam declarantium: — β) asseritur sine necessitate. Adest enim modus declarandi et tuendi absentiam totius substantiae panis ab eucharistia, quin opus sit ad proprie dictam ipsius annihilationem recurrere, uti in III. Parte huius disquisitionis planissime et plenissime ostendimus. Sed quod caput est: — γ) asseritur falso. Plane si illo dicendi modo, prima fronte, facile dicitur quid sit conversio eucharistica, non exinde sequitur illud esse conversionem eucharisticam. Ecclesia enim, ex doctrina revelata, veram et propriam conversionem, iuxta communem intelligendi et loquendi modum praesertim Patrum et Theologorum, in eucharistia agnoscit et inculcat. Communis autem ille intelligendi modus non est, quem celebrant adversarii, sed qui ex analogia conversionum naturalium colligitur. — Praeterea, in sententia adversariorum, in eucharistia haberetur conversio unice, quia Deus voluit annihilationem simpliciter substantiae panis et subsequutam positionem corporis Christi sub speciebus conversionem esse. Hoc autem est oppido falsum. Nam si eucharistica vera et propria conversio est, verae et propriae conversionis quidditate instruatur opus est. Quidditates autem rerum a divina voluntate non pendent.

Annihilatio simpliciter substantiae panis, *in re*, conversionis negatio.

Ex adversariis, in eucharistia per eorum annihilationem unice haberetur conversio quia Deus voluit, quod est falsum.

7. *Dices:* Sacramenta Ecclesiae, et quae ad ea perficienda concurrunt, potius quam entibus naturalibus, accensenda sunt entibus artificialibus quodammodo: quod intelligitur tum ex eorum supernaturalitate, tum ex eo quod constant rebus et verbis, quae, etiam ut unita, non exhibent nisi quid artificiale in ordine ad proprium sacramenti effectum significandum. Ratio autem entium artificialium tota pendet a voluntate artificis. Ergo ratio sacramentorum tota ipsa pendet a voluntate Christi. Si ergo Christus voluit, ut sic panis substantia in suum corpus converteretur, quatenus, illa annihilata, in eodem instanti suum corpus sub accidentibus succederet; esto, non erit haec conversio, uti sunt naturales

Obiectio: Sacramenta entibus artificialibus accensenda.

---

[1] Bellarminus, *De Sacramento Eucharistiae, lib. 3. c. 18. fin.*

conversiones, sed non exinde desinet esse haec specialis et supernaturalis conversio, quam Christus instituit.

Responsio prior.

8. *Respondeo 1.°:* Propter hanc et rationes alias ab initio subindicatas sententia transsubstantiationem explicans per proprie dictam annihilationem substantiae panis nequit dici stricte haeretica. Praesertim cum illa sententia omnia definita ab Ecclesia prorsus tueatur, et solum in notione conversionis huius (quae nec definita, nec certa omnino est) a communiori recedat catholica sententia. Hinc autem non sequitur sententiam illam non esse falsam, et facile in re ipsa, non in auctorum mente, aliquid contra fidem non continere, uti probant argumenta nostra.

Responsio altera.

9. *Respondeo 2.°: Conc. vel Transeat mai. et min.* Utique Sacramenta nostra haberi possunt tanquam entia supernaturalia artificialia; quod satis probatur et Suaresius non improbat[1]. *Dist. 1.um consequens*, Sacramenta pendent a voluntate Christi, *operantis iuxta connaturales rerum exigentias*, *Conc. consequentiam.* Operantis *supra* vel *praeter* rerum exigentias, *Nego consequentiam.* Totus ordo supernaturalis utique naturali ordine altior est et perfectior, ast ordini naturali, per regulam generalem, non repugnat nec contra ipsum est; sed ordini naturali mire congruit ipsumque perficit. Gratia enim naturam non destruit, sed perficit. Addendum praeterea est ordinem supernaturalem non solum, per regulam generalem, ordini naturali non esse contrarium ipsumque non perimere; sed, si praescindimus praedicata stricte specifica supernaturalitatemque constituentia, in praedicatis genericis magis minusve remote cum naturali ordine saltem analogice et aliquando etiam univoce convenire, ut patet in actibus vitalibus naturalibus et supernaturalibus. Hinc ordo supernaturalis non solum non est *contra*, sed neque est omnino *praeter* ordinem naturalem; sed naturis rerum, quando et in quo Deus miraculose non agit, generatim accommodatur. Ab hoc principio, magnam partem, nostra pendet Theologia scholastica. Sequitur ex hoc oportere, nisi aliud ex ipsa revelatione aut aliunde constet, divinas res conformiter ad naturas rerum et esse constitutas et esse intelligendas. Cum igitur ex verbis institutionis eucharistiae constet Christum realiter et substantialiter esse praesentem sub speciebus panis et vini, ab ipsisque vere ac porro unice signari, intelligimus ipsum sic poni sub speciebus, ut substantia panis prorsus excludatur. Praesentia autem alicuius rei in aliquo loco cum exclusione alterius, negato ut hic fieri debet motu locali, connaturaliter haberi nequit nisi per conversionem unius in alteram: id quod et intelligentia divini verbi scripti, et formaliter explicita aut aequivalens doctrina Verbi Dei traditi de Christi praesentia in eucharistia nos edocent. Conversionem autem eucharisticam nullibi legimus in documentis fidei esse annihilationem proprie dictam substantiae panis et simul substitutionem corporis Christi sub speciebus; sed legimus esse veram et propriam conversionem, ipsamque ad normam na-

Ordo supernaturalis, per regulam generalem, neque contra, neque praeter, sed est naturis rerum coaptatus.

Scholastica ab hoc principio pendens.

[1] Suarez, *In 3.am p.em D. Thomae, q. 75. Disp. 50. Sect. 8. n. 2.*

turalium conversionum invenimus declaratam. Ex generali igitur principio et ex speciali doctrina omnino fateri cogimur Christum, utut quasi artificiose operatum, conversionem eucharisticam instituisse cum naturalibus conversionibus genere saltem analogico convenientem, non proinde annihilationem unius et successionem alterius solo extrinseco decreto connexas, sed vere transitum unius in aliud, altiori tamen ratione et in pluribus miraculose, uti in naturalibus conversionibus generice usuvenit.

Conversio eucharistica transitus unius in aliud altiori ratione.

10. *Instabis:* Sed enim in documentis fidei et apud Patres legimus panis substantiam in eucharistia *non manere — desinere — non esse panem*, *sed corpus Christi* etc. Haec autem annihilationem sonant.

Instantia.

11. *Respondeo: Dist. mai.* Legimus illa, et simul legimus panis substantiam *vere et proprie converti*, *Conc. mai.* Illa legimus *sola*, *Neg. mai.* Et *Contr. min.* Illa simul cum conversione, et ratione conversionis sonant substantiae panis annihilationem, *Neg. min.* Sola, *Subd. min.* Sonant panis annihilationem *determinate*, id est, propriam et simpliciter talem, *Neg. min.* *Indeterminate*, id est, propriam aut impropriam, rursum *Subd. min.* Per sese, *Transeat* vel *Conc. min.* *In contextibus*, *Neg. min.* Ratum est nos in documentis fidei et apud Patres illa legere, quae obiectio meminit. Verum non illa sola legimus, sed legimus etiam veram et proprie dictam conversionem substantiae panis in corpus Christi; imo legimus substantiam panis ideo non manere, desinere etc., quia convertitur in Christi corpus. Haec autem, si conversio intelligatur analogice ad normam conversionum naturalium, uti eadem documenta intelligendam esse vehementer insinuant, quamvis per sese possent innuere annihilationem proprie dictam; de facto tamen non innuunt nisi annihilationem impropriam, quam de ratione conversionis, etiam substantialis, esse in praecedenti thesi demonstratum est. Superest ergo annihilationem proprie dictam in illis loquutionibus non posse agnosci, cum haec vel obiective transsubstantiationem negaret vel, ea data, an et cuiusmodi esset illa conversio et transsubstantiatio, vix aut ne vix quidem posset intelligi.

Disiicitur.

THESIS IV.

Sententia Transsubstantiationem explicans per actionem accidentalem, quocumque demum appelletur nomine, ad ipsum Christi corpus terminatam, quamvis probabilitate non careat, est tamen minus probabilis.

1. DECLARATUR THESIS. Cum iis catholicis Doctoribus iam nunc agendum est qui, cum nobiscum conveniant in declaranda transsubstantiatione per impropriam annihilationem seu per destructionem termini *a quo* ex vi positionis corporis Christi sub speciebus; hoc totum fieri autumant actione quadam accidentali circa Christi corpus, prout in coelo est, primo exercita. Actionem hanc, quam omnes dicunt actionem conversivam, uti constat ex systematis in tertia parte expositis, alii pressius vocant *actionem adductivam*, quatenus ex vi ipsius talis modus supernaturalis fit in

Declaratur thesis. Cum quibus agendum.

Christi corpore, ut ad species ordinetur et praesentiam sacramentalem acquirat, ac si esset per motum localem ad species adductum. Alii vocant *actionem introductivam* aut *constitutivam* corporis Christi sub speciebus et, praeter modum sacramentalis praesentiae, volunt efficere alligationem quandam Christi corporis ad species ut, non solum ibi sit ubi sunt species dum primo fit consecratio, sed etiam ut moveatur aut deferatur ad motum specierum. Alii vocant *actionem unitivam*, *replicativam*, aliam. Hi omnes, semotis nominibus, in eo conveniunt, ut actione quadam accidentali Christi corpus primo modificante et, aut *simul natura* aut *natura post*, modis iam declaratis, substantiam panis destruente, conversionem activam activamque transsubstantiationem contineri asserant. Hanc doctrinam dicimus: 1.° probabilitate non carere: 2.° esse minus probabilem prae altera, quam thesi quinta constabiliemus.

Conveniunt, quod transsubstantiationem activam in actione accidentali Christi corpus modificante omnes reponunt.

2. Fere opus non esset in mentem revocare, ubi sententia asseritur vere probabilis aut probabiliter vera, non solum rei assertae veritatem adstrui; sed adstrui etiam modum, quo ad nostram cognitionem res asserta se habet. Est profecto iste modus quasi connaturalis sequela motivorum, quibus assertio fulcitur, atque exinde obscure et in actu exercito plerumque argumentando statuitur. Nihilominus ipse est, qui scientifice et quasi per se cognoscitur; veritas autem rei habetur quasi materialiter ratione connexionis probabiliter agnitae inter motiva et assertionem seu rem, dixerim, motivatam. Cognitio ergo rei, ut probabilis, non est *per se* cognitio possessioque veritatis in seipsa aut in suis principiis: attamen probabili cognitione aliquid revera cognoscitur, et aliqua tenetur veritas. Quaenam haec? Ipsa plane gravia motiva, quamvis non necessaria sed, in ratione motivorum, contingentia, eorumque nexus sufficiens, quamvis et ipse non necessarius sed per se contingens, cum re asserta. Age iam hoc obtinet quoties altera imprimis contradictionis pars evidens non est neque omnino certa, excludens consequenter ab altera contradictoria, etiam pro statu logico seu cognitionis, omnem veritatem tum nimirum motivorum tum nexus; subinde vero talis datur ratio sive extrinseca, sive intrinseca, sive extrinseca simul et intrinseca, quae possit movere virum prudentem ad assensum, non plane necessarium, sed qui ipsum, qua prudentem et gravem, non dedeceat.

Opinio probabilis rei veritatem, et modum, quo veritas cognoscitur, simul adstruit.

Quandonam habeatur opinionis probabilitas.

3. Quae huc usque diximus locum habent non solum in veritatibus naturalibus, sed etiam in revelatione ipsa. Demus aliquid in seipso inspectum, prae suo contradictorio, aut revelatum esse aut non revelatum: idem, quoad nos, potest apparere probabiliter revelatum et probabiliter non revelatum; intellectus enim probabilis se habet ad contradictoria. Aliquando, utut coneris, res esse possunt, ubi nonnisi probabilitas possit obtineri. Ceterum, a parte rei, altera tantum contradictionis pars vera erit, altera necessario falsa.

Probabilitas opinionis locum habet in naturalibus et supernaturalibus.

4. Hac igitur ratione de sententia per actionem accidentalem

transsubstantiationem explicante asserimus in thesi: 1.° eam probabilitate non carere, quatenus hinc quidem nulla est evidens aut omnino certa ratio, quae ipsam certo falsam ostendat; inde vero in auctoritate gravissimorum theologorum et in rationibus ad ipsam confirmandam allatis grave et solidum habetur motivum, ut vir prudens et gravis ad assensum, qui ipsum deceat, moveatur. Ast vero cum motivum hoc, si cum motivo sententiae per actionem substantialem transsubstantiationem explicantis conferatur, debilius sit; inde: 2.° dicimus eam esse minus probabilem. Hisce positis.

Quo sensu asserta sententia probabilis.

Quo sensu minus probabilis.

5. PROB. 1.ª PARS. Sententiam, de qua agimus, non carere probabilitate extrinseca in comperto est. Uti enim constat ex iis, quae in tertia parte huius disquisitionis dicta sunt, missis quibusdam secundariis et maxime nominum discrepantiis, quoad substantiam eam tradunt Doctores numero plures et auctoritate graves: quod ad extrinsecam probabilitatem satis est superque.

Probatur 1.ª pars.

Habet pro se Doctores graves.

6. Non carere item probabilitate intrinseca, seu convenientibus rationibus, facile ostenditur. 1.° Gabriel Vasquez, postquam disputatione 181. ac praesertim cc. 11. et 12. multa in omnem partem versavit, admittenda tamen vel reiicienda pro dictorum merito, sequenti pacto, quam proposuimus, sententiam confirmat: « Ecclesia sua definitione solum contendit talem esse vim et efficacitatem verborum ratione significationis, ut efficiant corpus et Sanguinem Christi praesentem et, hoc ipso, ipsius panis et vini substantiam destruant ob rationem superius dictam (*nimirum individuae significationis corporis Christi, alia ac porro panis substantiam excludentis*); ac proinde panis et vinum in corpus et sanguinem Christi convertantur, eorumque conversio recte transsubstantiatio appellatur. Est enim instar conversionis rei naturalis, quae corrumpitur hoc ipso, quod alia opposita ex eadem materia generatur: cumque sit conversio totius substantiae in substantiam in hoc sacramento, qualis non esset ulla alia naturalis, recte dicta est Transsubstantiatio: quae omnia ex veritate sola verborum, ut contendit Ecclesia, absque ulla alia nova ratione philosophandi collegimus et explicuimus »[1].

Probatur ex Vasquez.

7. Vasquesiana eiusmodi argumentatio, si ab iis praescindamus quae auctori sunt propria, eamque ad commune placitum Doctorum, cum quibus disputamus, inflectamus, huc tandem redit. Ad explicandam transsubstantiationem illa sola sunt asserenda, quae ad verborum salvandam veritatem sufficiunt, quaeque hoc ipso ex capite veritatis verborum docet Ecclesia. At sola actio adductiva, aut introductiva, aut constitutiva corporis Christi sub speciebus, ut per verba formae significati, sufficit ad verborum salvandam veritatem, atque ad ea omnia contutanda, quae ex veritate verborum docet Ecclesia. Enimvero cum ex vi illius actionis Christus ita fiat praesens, ut ibi esse non debeat panis substantia, haec ad positionem corporis Christi, uno vel alio modo in

Vasquesii argumentatio declaratur.

---

[1] Vasquez, *In 3.am p.em D. Thomae, Disp. 181. c. 12. n. 142.*

parte tertia declarato, esse desinet aut destruetur. Hoc autem est, quod venit nomine conversionis uti, proportione servata, patet in naturalibus. Quandoquidem vero haec conversio est totius substantiae in totam substantiam, recte ad mentem Ecclesiae dicitur Transsubstantiatio.

Probatur ex Suaresio.

8. *Probatur* 2.° *ex Suaresio*, cui ubique sane, sed maxime hic ubi pro adversariis contra suam opinionem loquitur, nemo unus auctoritatem denegabit. Scribit eximius Doctor: « Prima sententia est huius actionis (*conversivae*) terminum esse praesentiam corporis Christi, et actionem ipsam esse *adductivam* huius corporis ad hunc locum.... Fundamentum est quod in principio quaestionis est indicatum, quia formalis terminus actionis videtur esse id, quod de novo fit in effectu. In corpore autem Christi nihil fit de novo, nisi praesentia localis sub speciebus. Illa ergo erit formalis terminus actionis huius. — Praeterea quia hoc satis est ad veritatem verborum; quia si Christus vere fit praesens sub speciebus, nihil amplius ex hac parte requiritur. Ergo nihil aliud est ponendum. Patet consequentia; quia, ut Tridentinum docuit, tota haec actio et conversio solum excogitata est, quatenus in verbis Christi fundamentum habet, et ad eorum veritatem est necessaria: ad quod sine dubio satis esse videtur, quod corpus Christi adducatur sub speciebus, et inde expellatur substantia panis ».

Formalis terminus actionis conversivae.

9. « Ad rationem vero dubitandi in contrarium positam respondebit haec opinio: Ad essentiam transsubstantiationis satis esse conversionem seu successionem substantiarum sub iisdem accidentibus, sive haec vocetur conversio substantialis, sive tantum conversio substantiarum; neutrum enim potest ex Conciliis definite colligi. Solum enim dicunt substantiam converti in substantiam, quod potest esse verum non ratione termini formalis de novo producti, sed ratione termini adaequati, qui necessario debet includere substantiam, quae loco alterius substituitur (*praesertim si in ordine ad munus substantiale substituatur, uti ex huiusmodi Doctoribus plures contendunt*): quod etiam ipsum nomen Transsubstantiationis praeseferre videtur, quia illa particula: *Trans*, de se, transitum significat, ut patet in his verbis: *Transferre — Transmutare — Transvadere*. Unde applicata substantiis, ut fit per vocem: *Transsubstantiationis*, significat transitum unius substantiae in aliam, qui veram rationem substantiae (*forsan* CONVERSIONIS SUBSTANTIALIS; *videtur enim esse mendum typographicum*) obtinebit, sive substantia producatur de novo, sive adducatur. Ex quo tandem fit ut, iuxta hanc opinionem, Transsubstantiatio denominata sit non a termino formali, sed a materiali, seu subiecto, circa quod fit terminus formalis, sicut: *Lapidare*. Quemadmodum enim, si intelligeremus accidentia panis esse vacua omni substantia, et postea sub illis introduci substantiam aliquam, dici posset hoc sensibile *substantiari* illa actione; ita quando fit sub illis mutatio substantiarum potest dici *Transsubstantiatio*: quae sententia sic explicata non est omnino improbabilis »[1].

[1] Suarez, *In 3.am p.em D. Thomae, Disp. 50. Sect. 4. nn. 1. 2.*

10. *Probatur 3.° ex De Lugo:* « Conversio formalis non est productio nova formae succedentis, sed unitio eius cum materia, connotando expulsionem alterius formae. Ergo similiter conversio substantialis, seu transsubstantiatio non erit productio nova substantiae succedentis, sed positio eius sub accidentibus, connotando desitionem alterius substantiae praecedentis; a qua actione dicitur confici eucharistia, sicut a productione unionis dicitur fieri homo. Quare sicut, ablata illa actione, non manet homo, licet maneat conservatio formae; sic etiam, ablata positione corporis Christi sub speciebus, non manet eucharistia, quamvis perseveret omnis productio et conservatio ipsius corporis Christi. Ergo cum illa solum actione convertatur panis in corpus Christi, qua conficitur Eucharistia; haec autem non sit productio, sed positio corporis Christi sub speciebus; haec etiam sola, et non alia, erit actio conversiva[1] ». Probatur ex De Lugo.

11. Hanc sententiam impugnant aliqui aiendo: Etiamsi abstrahamus ab eius implicantia aut possibilitate; negari nequit esse illam aeque mysteriosam et captu difficilem, ac quidquid unquam mysteriose fuit propositum. Sequitur enim corpus aliquod per interiecta spatia ab aliquo loco positive distans posse in illo loco locari, non pertransita distantia, imo servando semper eandem distantiam. Sequitur corpus illud numero unum posse a seipso dividi, a seipso distare et separari. Sequitur unum posse esse duo, centum, mille; quandoquidem nullum est evidentius signum distinctionis realis, quam actualis divisio seu separatio..... Superadditur difficultas concipiendi praedictum ubicationis modum, maxime si dicatur quod, per illum, res spatio immobili imaginario efficitur realiter praesens. Superadditur difficultas admittendi quod ad motus omnium hostiarum mundi debeant perpetuo mutari intrinsecae ubicationes corporis Christi. Superadditur difficultas concipiendi quomodo, sine ulla nova productione substantiae res substantialis fieri possit virtualiter saltem et aequivalenter multiplex. Superadditur demum difficultas intelligendi quomodo, sine motu locali, corpus locatum in A possit in loco B distanti localiter constitui. — Haec illi. Quae contra hanc sententiam ab aliquibus obiiciuntur.

12. Ut verum fateamur, si praescindimus primam sequelam et binas difficultates postremas, quae ad illam quodammodo reducuntur, reliqua ad impugnandam sententiam accidentalis actionis conversivae modo congesta ad rem non sunt. Ad rem non sunt quae respiciunt non *modum, quo Christus fit in eucharistia praesens*, de quo uno quaestio est; sed *modum, quo in eucharistia praesens est.* Quaecumque ad priorem quaestionem subiiciatur responsio, consequens erit semper Christum, ubi praesens sit, esse simul in coelo, et hic, et alibi in sacramento. Explicandum supererit: Utrum Christus, prout est hic et in coelo, sit unus aut multiplex; Quae obiiciuntur, partim non sunt ad rem.

---

[1] De Lugo, *De Sacramento Eucharistiae, Disp. 7. Sect. 6. n. 2.* — Cfr. *Bellarminum, De Eucharistia, lib. 3. c. 18. seqq.* — Mastrium, *De Venerabili Eucharistiae Sacramento, Disp. 3. q. 12. a. 2.* etc.

divisus a seipso, vel non divisus; distans realiter a seipso vel indistans: Utrum hic et ibi debeat necessario eadem agere, vel possit facere diversa; aequivalere pluribus, vel non aequivalere etc. Brevi istae, et huiusmodi plures aliae difficultates sententiis omnibus circa transsubstantiationem communes sunt, cum proprie oriantur non ex eo, quod Christus hoc aut illo modo dicitur fieri realiter praesens, sed ex eo, quod *realiter in locis pluribus praesens est.* Hoc ergo sub adspectu dicta pleraque in illa impugnatione ad rem non faciunt, et difficultates continent a catholicis omnibus Doctoribus solvendas.

Partim sunt minus erudita aut gravia.

13. Minus etiam ad impugnandam sententiam faciunt, quae innuuntur de ratione praesentiae localis, de intrinseco *Ubi*, et de ordinatione per illud ad spatium imaginarium, uti ex dictis in tertia parte huius disquisitionis facillime potest intelligi. Illa, male evocato spatii imaginarii phantasmate (uti alias fieri solet de *forma cadaverica*) rem gravem ad iocularia transferunt. Meminisse iuverit non omnibus patronis actionis adductivae probari Lugonianam doctrinam de propria ratione praesentiae localis: quibus vero probatur, eos aliter prorsus eam proponere ac declarare. Itaque Doctores varii, qui in Christi adductionem quadantenus conveniunt, quisque pro suo systemate, uti probabiliter fieri potest, illas difficultates aut implicantias solvunt. Videsis solutiones apud auctores modo laudatos, quae omnes, paucis immutatis, in eo fundantur, quod per praesentiam unius et eiusdem corporis in pluribus locis multiplicantur, ac porro distinguuntur, dividuntur, separantur loca et relationes locales, quae in locis ipsis fundantur, quin tamen multiplicetur, distinguatur, dividatur, separetur subiectum, quod ubique unum est sibique identicum. Distinctio vero localis aut locorum realis distinctionis locatorum signum est non essentiale, sed tantum connaturale; adeoque hic, ubi supernaturaliter res fit, minime obtinet.

Partim probabiliter solvi possunt.

14. Seposuimus iam inde ab initio primam sequelam et ultimas difficultates, quae praesentem quaestionem revera attingunt et, una cum aliis mox afferendis, explicationem transsubstantiationis per actionem adductivam minus omnino probabilem efficiunt. Ast vero patronis huius sententiae ad illas solvendas probabilis aliqua ratio non deest, derivata praesertim ex modo quo spiritus sunt in loco, quem modum Christus Dominus in Sacramento imitatur.

Guitmundus Aversanus.

Huiusmodi ratio est, quam Guitmundus Aversanus contra Berengarianos disputans concinne exhibet in haec verba: « Quotidiano experimento cognoscimus quia intellectus noster, id est verbum cordis nostri, cum illum quodammodo voce vestimus, ut qui in corde nostro latens nobis solis cognitus erat, per vocem etiam aliis manifestari possit eodem tempore, et totus in corde nostro remanet, et totus aeque mille hominibus cum assumpta voce sua, quantum in se est, ita apparere potest, ut non solum ipse simul omnium corda collustret, sed aures etiam cunctorum ipsa qua vestitus est voce, eodem tempore, tota et indivisa perstringat. Si igitur humano verbo Deus tantum praestitit, ut non solum ipsum,

Conceptus voce prolatus unus idemque in pluribus.

sed etiam vox, qua quodammodo vestitur, ad mille homines eadem simul totaque pertingere valeant; nemo hoc ipsum de Omnipotentis Dei unico et omnipotente et coaeterno Verbo et de carne eius, quam similiter, ut nobis ipsum Verbum appareret, vestivit, etsi capere non possit, habere incredibile debet, quod de fragilissimo et transitorio verbo hominis et momentaneis vocibus vixque exsistentibus et nunquam praevalet capere, et tamen pene semper experimento habet. Ipsam certe animam nostram corpore quod corrumpitur aggravatam, non particulatim per singula corporis membra dividi, sed in singulis portiunculis totam atque integram contineri beatus Augustinus validissime probat. Qui ergo hanc animae nostrae potentiam praebuit, ut una eademque et indivisa in singulis quibusque particulis sui corporis eodem tempore tota consistat; quare suae propriae carni id dignitatis, si vult dare, non valeat, et ipsa in diversis sui cuiusdam corporis, quod est Ecclesia, partibus tota simul et indivisa possit haberi, cum sicut anima nostra vita est corporis, ita sit Ecclesiae (imo multo melius per Dei gratiam) vita caro Salvatoris? »[1]. Videlicet uti unus idemque conceptus voce vestitus, et una eademque anima humana, quin in se multiplicentur, praesentes sunt pluribus quasi locis aut totalibus et discontinuis, aut saltem partialibus et continuis v. g. manui et pedi, quia sic sunt naturaliter ordinati; atque aliqua possut agere aut pati in uno loco et non in alio, v. g. unam mentem convincere, aliam non; in manu calescere et moveri, in pede frigescere et non moveri etc; ita etiam Christi corpus, per modum aliquem accidentalem supernaturaliter ordinatum ad diversa loca, potest iisdem praesentiam suam exhibere, et aliqua facere aut pati in uno loco, quae in alio loco non faciat aut patiatur. Sed de his confer patronos varios huius sententiae, qui non omnes, ut diximus, eadem prorsus ratione haec et similia declarant.

Anima humana una totaque in variis corporis partibus.

15. *Probatur 2.ª pars.* Sententiam vero huc usque expositam minus esse probabilem prae sententia transsubstantiationem explicante per actionem productivam universim probatur, tum quia haec pleniori potiorique instruitur auctoritate; tum quia validioribus reapse fulcitur rationibus. Et primum quidem iam a nobis ostensum est in secunda parte, in qua critice constituimus actionem productivam Corporis Christi tradi a D. Thoma et communiter a Thomistis, tum satis a praecipuis antiquitatis Doctoribus insinuari, expresse defendi a recentioribus Doctoribus pluribus insignioribus. Alterum vero patebit ex probatione thesis sequentis, in qua concinnanda graviores, quas dicimus, rationes exhibebuntur.

Probatur 2.ª pars.

Sententia transsubstantiationem explicans actione productiva potior auctoritate et ratione.

16. Praeterea indubitata fide tenendum est Christum totum, illum eundem qui in coelis est, esse *vere*, *realiter*, *substantialiter* in Sacramento, seu in singulis hostiis consecratis et sub qualibet hostiae parte, saltem separatione facta, uti Tridentinum definivit[2].

---

[1] Guitmundus, *De corporis et sanguinis Domini veritate, lib. 1. n. 11.*
[2] Tridentinum, *Sess. 13. can. 1. et 3.*

Actio accidentalis non satis explicat realem Christi praesentiam in eucharistia.

Huiusmodi autem dogma actione illa accidentali adversariorum vix aut ne vix quidem intelligitur. Enimvero Christi corpus esset vere, realiter, substantialiter in sacramento, quatenus ex vi modi cuiusdam aut substantialis aut accidentalis his speciebus ordinaretur, cum ipsisque uniretur, eas efficienter loco substantiae panis sustentando, ipsisque esset sic alligatum ut ab ipsis motis secum traheretur. Hoc autem vix aut ne vix quidem est intelligibile. Principio quidem dabunt, ni fallimur, adversarii ex vi illius modi neque communicari neque posse communicari corpori Christi proprie dictam immensitatem aut ubiquitatem, etiam eo sensu, ut ibi vel exigat esse aut de facto sit, ubi sunt species consecratae. Proprie dicta enim immensitas et ubiquitas fundatur in perfectione essentiali, quae talem exigit modum essendi per suam substantiam in locis omnibus etiam possibilibus, si realia fiant, aut saltem in locis omnibus realibus ut, tali loco dato, sine sui mutatione, ibi sit[1]. Haec autem perfectio certe connaturaliter corpori Christi, etiam glorioso, nullo modo debetur; fundatur enim in illimitatione essendi, quae nulli corpori competit. — Sed neque potest competere supernaturaliter. Competeret vel ex vi primae institutionis, vel ex efficacia singularum consecrationum. Neutrum videtur posse dici; cum sola modificatio corporis, non solum accidentalis sed etiam substantialis, non videatur posse corpori conferre id quod, summa ac forsan unice infinita perfectione substantiali potest haberi. Praeterea si primum diceretur: — α) consecratio non conficeret sacramentum ac poneret corpus Christi sub speciebus; sed esset mera conditio, qua posita, Christus ex vi primae institutionis et ex modo sui esse esset praesens sub speciebus: quod videtur opponi modo loquendi Ecclesiae et Sanctorum: — β) Christus post institutionem, sive adhuc mortalis et moriturus in terra sive immortalis in coelo, debuisset et deberet habere modum essendi sacramentalem vel, praeter modum essendi naturalem, etiam sacramentalem: quod videtur falso et saltem sine fundamento asseri. — Si vero diceretur secundum; et tunc, si productus ille modus in Christi corpore esset substantialis, Christus, prout est in eucharistia, esset substantialiter modaliter differens a seipso, prout est in coelo: quod contrarium videtur modo loquendi Ecclesiae et Patrum asserentium Christum in eucharistia esse *illum eundem*, qui in coelis est; hoc enim, uti docuimus, saltem de substantiali identitate est intelligendum. Si autem modus ille esset accidentalis, seu accidentalis ordinatio ad species consecratas; quomodo, ex vi accidentalis ordinationis, Christi corpus esset vere, realiter, substantialiter sub speciebus? in locis dissitis et quidem pluribus? et quin esset in medio? Dicetur quia illa ordinatione unitur cum speciebus. Sed quomodo potest uniri, si ibi non est? Actione, quatenus sustentat accidentia et alligatur ad species? Sed actio, saltem connaturaliter, supponit agens ibi, ubi agit, non facit, ut ibi sit. Supernaturaliter vero, praesertim loquendo de

Corpori Christi connaturaliter non debetur immensitas aut ubiquitas.

Non debetur supernaturaliter.

[1] Piccirelli, *De Deo Uno et Trino, in 1.am p.em D. Thomae, q. 8. § 1. n. 200. seqq.*

actione instrumentali, qualis est actio corporis Christi efficienter species sustentantis, haberi potest etiam in loco, ibi instrumentum non est, saltem si ibi sit agens principale, quod actione sua coniungit influxum instrumenti cum passo, quatenus effectum non producit nisi dependenter ab influxu ipsius instrumenti. Ad quod non requiritur, ut qualitate aliqua supernaturali instrumentum perficiatur, uti falso post De Lugo contendit P. Lahousse ; sed satis est, ut agens principale influxu suo suppleat quod deest connaturali actioni ipsius instrumenti, et habeatur integra causalitas ad producendum determinatum effectum requisita. Nihil dico de alligatione Christi ad species et de nova qualitate supernaturali requisita ad Christum trahendum, si species moveantur. Nimirum haec ingeniose forsan dicuntur, sed dicuntur sine necessitate et fundamento.

Qualitates supernaturales P. Lahousse non necessariae.

17. Neque pro hoc systemate quidquam proficeret, qui ad ipsum fulciendum exemplis verbi mentis et animae rationalis a Guitmundo allatis uteretur. Illa enim exempla analogiae quaedam sunt ad manuducendum intellectum, ut aliquo modo concipiat, non apparere claram repugnantiam, ut aliquod corpus pluribus in locis supernaturaliter constituatur ; sed non docent ex vi solius actionis accidentalis aut modalis id fieri posse. Verbum enim mentis si in pluribus distinctisque intellectibus media voce constituitur, id solum est *obiective* aut *repraesentative :* ceterum *subiective* aut *formaliter* non est in aliis intellectibus per eandem entitatem, quam in primo intellectu habet, sed per aliam, seu per tot alia verba formaliter inspecta et vitaliter expressa a singulis intellectibus, quot sunt singuli intelligentes. In hoc autem systemate Christus, ille idem substantialiter qui est in coelo, per solam modificationem accidentalem aut substantialem deberet esse substantialiter praesens in sacramento, dum substantialiter est praesens in coelo. Quis non sentiat latissimum discrimen, aut non videat in illo exemplo nihil esse aliud, quam aliqualem similitudinem ? Eodem pacto anima humana in distinctis quidem membris una eademque tota substantialiter est. Sed enim hoc non debetur accidentali aut modali alicui eius perfectioni, sed naturali perfectioni suae substantiae : illa membra distincta non constituunt loca adaequata sed inadaequata et naturaliter ordinata ad unum locum adaequatum animae efformandum, eo sensu quo relate ad animam corpus humanum eius locus dici potest : sunt praeterea membra illa coniuncta, et continuum quodammodo locum constituunt. Ast in proposito systemate Christi corpus ex vi accidentalis aut substantialis modificationis deberet esse in pluribus locis, quorum singula essent adaequata, certe essent discontinua. Hoc ergo etiam exemplum, si stricte acciperetur, revera non concluderet.

Exempla Guitmundi parum cogentia.

Verbum loquentis quomodo in pluribus intellectibus.

Quomodo anima humana in pluribus membris.

18. Ad haec, fide tenendum est, ut Tridentinum definivit[1], in hoc sacramento fieri conversionem totius substantiae panis in corpus, et totius substantiae vini in sanguinem Christi, manentibus

[1] Tridentinum, *Sess. 13. can. 2.*

duntaxat speciebus panis et vini. Quamvis autem tum quia propria notio conversionis, ut sic, non est omnino rata ac minus multo fide certa; tum quia incertior adhuc est propria notio, saltem generica, huius conversionis, dogma illud possit actione accidentali utcumque salvari; negari tamen nequit actione substantiali et melius intelligi, et conformius ad doctrinam revelatam explicari. Melius intelligitur et conformius ad doctrinam revelatam dogma transsubstantiationis explicatur, si transsubstantiatio dicatur esse *conversio substantialis;* ait enim Tridentinum, et idem docent alia Concilia, substantiam converti in substantiam: quod conversionem substantialem simpliciter et proprie, non secundum quid ac porro improprie revera sonat. Age vero conversio adversariorum esset substantialis improprie et secundum quid. Si enim conversio intelligatur active aut formaliter, meminit, ut diximus, ipsam actionem conversivam. Actio ergo accidentalis, quocumque vocetur nomine, nequit evidenter conversio activa aut formalis substantialis appellari. Si conversio accipiatur terminative, talis erit, qualis erit terminus actionis conversivae. Actio autem accidentalis nequit dare terminum substantialem, nec consequenter conversionem substantialem terminative. Et ratio *a priori* est, quod actio, ut actio, non distinguitur a termino realiter, sed solum modaliter; est enim ipse terminus in fieri. Ubi ergo terminus *ad quem*, qui actione efficitur, est accidentalis, ipsa conversio, terminative inspecta, stricte et proprie accidentalis est, non substantialis: a termino *ad quem*, uti omnis alia actio, specificatur conversio. Iam vero, fatentibus adversariis, terminus effectus per eorum actionem conversivam accidentalis est; est enim ordinatio ad species, aut unio cum speciebus et alligatio, aut praesentia localis, aut relatio quaedam accidentalis. Verum est ex vi huius termini accidentalis ipsos velle substantiam ipsam corporis Christi succedere sub speciebus substantiae panis desinenti. Verum hoc non esset ex vi actionis conversivae, sed solummodo concomitanter aut, quemadmodum expresse dicit Scotus et innuit P. Vasquez, ad ipsam conversionem praesuppositive se haberet, et nonnisi materialiter ipsam denominaret.

Actione substantiali dogma transsubstantiationis melius intelligitur et explicatur, quatenus conversio substantialis est.

Difficultati occurritur.

19. Adde, quod adversariorum sententia non solum substantialem, sed omnino *veram conversionem* substantiae panis in substantiam corporis Christi videtur de medio pellere. Primo enim communiter Theologi et, ante ipsos, Patres ad normam verarum conversionum naturalium aut supernaturalium, uti ex huc usque dictis satis constat, eucharisticam conversionem intelligebant et explicabant. In conversionibus autem naturalibus terminus *ad quem*, semper quidem totalis, et ubique ubi dicitur aut dici potest terminus formalis id esse, in quod facta est conversio, producuntur. Sic dum lignum convertitur in ignem, et aer in aquam, ignis et aqua producuntur aut generantur; et, quia ab agente in materia et ex materia, seu dependenter ab ipsa, producitur forma ignis aut aquae, forma ligni, ut *quo*, dici potest conversa in formam ignis, et forma aeris, ut *quo*, in formam aquae. Contra vero quia

Melius intelligitur et explicatur, quatenus conversio est.

In omni vera conversione terminus totalis *ad quem*, et quadantenus terminus formalis producuntur.

in hominis aut animalis nutritione caro producitur aut generatur, alimentum dicitur converti in carnem, sed forma alimenti, neque ut *quo*, dicitur converti in animam humanam aut in animam animalis. In eucharistia autem substantia corporis Christi est certo terminus formalis, quin probabilius, uti in superioribus monuimus et non male contendit Em. Card. Billot, est etiam terminus totalis. Certe ex substantia corporis Christi et accidentibus efficienter instrumentaliter ab ipsa sustentatis non fit unum neque per se, neque per accidens; uti non fit unum ex accidentibus et ex divinitate, accidentia ipsa principali efficientia una cum Christi corpore sustentante. Ex quibus patet Doctores illos omnes, qui conversionem explicant per successionem in ordine ad munus aliquod, revera admittere sophisma accidentis, et in re conversionem vel negare vel supponere, sed nullo modo explicare. Non ad solam unionem aut informationem unitur forma cum materia, sed ut generetur hoc ens totale aut partiale, prout est actio productiva, aut eductiva, aut unitiva formae cum materia, et terminus tali actione productus; qui si sit ex alio positivo simpliciter desinente, uti probatum est, propriae conversioni locum dabit: horum aliquod si desit, ex communi intelligendi loquendique modo non dabitur conversio.

Ex accidentibus et Christi corpore non fit unum neque *per se*, neque stricte *per accidens*.

20. Si vero etiam successio in ordine ad munus prioris substantiae circa tertium quodammodo commune excludatur in substantia succedente, ac magis multo si dicatur prior substantia simpliciter desinere et altera succedere sub iisdem speciebus ex vi solius decreti extrinseci; quomodo habeatur vera substantiarum conversio vix aut ne vix quidem intelligitur. In hoc casu mere videtur haberi substitutio localis. Quod si hoc nolimus dicere, quia terminus *a quo*, seu substantia panis non pellitur loco, sed omnino interit, ut corpus Christi succedat; haec, si ex conventione quadam aut ex institutione conversio dicenda sit, erit substantiarum conversio valde diminuta, ac vix tali nomine digna. Itaque, cum illa actio accidentalis vix aut ne vix quidem rationem reddat substantialis praesentiae Christi in eucharistia; vix aut ne vix quidem verae substantialisque conversionis substantiae panis et vini in Christi corpus et sanguinem; etiam missis aliis quae dici possent, ceu minus probabilis debet saltem haberi.

Si ex solo decreto extrinseco desinit panis substantia, et Christi corpus sub speciebus ponitur, multo minus intelligitur conversio vera.

THESIS V.

Sententia Transsubstantiationem explicans per actionem substantialem productivam, ad ipsam substantiam corporis Christi terminatam, revelationi et veritati conformior est.

1. DECLARATUR. — Plusquam satis suo loco declaravimus[1], quomodo haec assertio sit intelligenda. Quandoquidem autem, reiectis sententiis aliis certo falsis, diximus sententiam, quae transsubstantiationem explicat per actionem accidentalem, quocumque

Declaratur.

[1] Vide supra, *Part. 3. Sect. 4. n. 8. seqq.*

nomine appellatam, ad Christi corpus accidentaliter sed primo terminatam, probabilitate non carere; nunc nobis propositum est ostendere sententiam nostram prae hac esse probabiliorem, utpote conformiorem divinae veritati, praesertim revelatae.

Thesis conformior divinae veritati.

Probatur ex Scripturis.

2. PROBATUR THESIS 1.[0] EX SCRIPTURIS. — Probatio ex Scripturis derivanda est ex verbis institutionis, seu ex forma Sacramenti eucharistiae quae, cum ex vi significationis Christum modo aliquo determinato praesentem efficiat, modum etiam hunc aliquo pacto significet opus est. Porro hoc loco supponendum est his verbis: *Hoc est corpus meum*, significari ac effici conversionem panis in Christi corpus; significari etiam actionem aliquam conversivam, cuius vi novus ille effectus aut transitus substantiae in substantiam locum habet. Inquirimus: Cuiusmodi sit haec actio conversiva. Constat autem ex dictis eam aut accidentalem ac generali aliqua ratione *adductivam* esse debere, aut substantialem et ipsius corporis Christi heic *productivam;* talem nempe ut, pro formali termino, habeat sive unionem cum speciebus aut loci et praesentiae localis acquisitionem, sive ipsum substantiale esse corporis Christi. Erit igitur alterutra iuxta modum significandi ipsius formae; formae enim Sacramentorum, uti in doctrina catholica certum est, significando efficiunt, videlicet efficiunt per sese id, quod significant, et eo modo quo significant. Palam autem est ex ipsa verborum inspectione conversionem actionemque conversivam significari non *in fieri*, sed *in facto esse*, cum nonnisi ratione effectus aut termini *ad quem* nobis manifestetur. Docuit id ipsum expresse D. Thomas in haec verba: « Dicendum quod haec est conveniens forma consecrationis panis. Dictum est enim quod haec consecratio consistit in conversione substantiae panis in corpus Christi. Oportet autem formam sacramenti significare id, quod in sacramento efficitur. Unde et forma consecrationis panis debet significare ipsam conversionem panis in corpus Christi, in qua tria considerantur; scilicet ipsa conversio, et terminus *a quo*, et terminus *ad quem*. Conversio autem potest considerari dupliciter, uno modo ut *in fieri*, alio modo ut *in facto esse*. Non autem debuit significari conversio in hac forma ut *in fieri*, sed ut *in facto esse*. Primo quidem, quia haec conversio non est successiva, ut supra dictum est [1], sed instantanea. In huiusmodi autem mutationibus fieri non est nisi factum esse. Secundo..... » [2].

Supponendum verba institutionis conversionem et actionem conversivam significare.

Actionem illam aut adductivam esse, aut productivam.

Actio conversiva non significatur *in fieri*, sed *in facto esse*.

D. Thomas.

Talis est actio, qualis est terminus per verba significatus.

3. His in antecessum constitutis, sequenti pacto licet colligere. Talis est actio conversiva per formam eucharistiae significata, obtinensque de facto in conversione substantiae panis in Christi corpus, talisque significatus inveniendusque actionis modus, qualis est terminus per formam significatus effectusque, ipsiusque termini significata ratio; actio enim illa individua, qua hic et nunc conversio fit, nonnisi in termino effecto ac ratione ipsius termini significatur. Eo vel magis, quod actio praecisive sumpta, quate-

[1] D. Thomas, *Summ. Theol. 3. p. q. 75. a. 7.*
[2] *Idem, Ibidem, q. 78. a. 2. corp.*

nus actio aut fieri utcumque est, aliud revera quidquam non est, quam ipse terminus dum fit aut concipitur fieri : quare ex termino eiusque modo recte natura modusque actionis colligitur. Atqui terminus per verba illa significatus non est unio cum speciebus aut praesentia aliqua localis consequens actionem adductivam, ut per hanc producta ; sed est ipsa natura aut substantia corporis Christi ut effecta, et consequenter dicens habitudinem ad actionem productivam ipsius corporis Christi. Ergo actio conversiva per formam significata non est actio adductiva, sed actio aliquo modo productiva ipsius substantiae corporis Christi.

Actio, ut actio, re non distinguitur a termino.

4. In toto hoc discursu sola minor probanda est; reliqua enim vel clara sunt, vel sufficienter declarata. *Probatur ergo minoris pars prior.* Et quidem verba illa formae non significare praesentiam localem ex actione adductiva consequuturam, aut per eandem effectam evidens est prorsus. Verba enim illa nihil prorsus continent, quod localiter significet. Non significat subiectum : *Hoc*, utpote quod substantiam notat ut accidentibus subiectam. Non praedicatum: *Corpus meum*, quod substantiam aut naturam corporis Christi, et quidem quatenus substantia aut corpus Christi est, praescindens a vivente et mortuo, ut nunc supponimus: quod totum nihil locale continet. Non demum verbum: *Est*, quod de se substantivum, non locale est. Ubi autem identitatem obiectivam inter substantias, uti heic evenit, significat, substantive etiam, quatenus copula propositionis est, accipitur.

Verba institutionis non significant localiter.

5. *Dices:* Pronomen: *Hoc*, significat localiter, seu designat substantiam secundum locum. Nam *facit demonstrationem ad sensum*, ut ait D. Thomas[1], seu designat substantiam ut accidentibus sensibilibus subiectam et sensu perceptibilem. Huiusmodi autem substantia illa est, quae localiter, seu ut *hic* et *nunc* est, significatur. Quapropter in forma consecrationis pronomem: *Hoc*, exponendum est: *Contentum hic et nunc sub his speciebus est corpus meum.*

Obiectio.

6. *Respondeo: Dist. assertum.* Pronomen: *Hoc* significat localiter *primo et per se, Neg. ass. Consequenter et per accidens, Conc. Ass.* Et applico eandem distinctionem ad minorem probationis. Pronomen: *Hoc* facit quidem demonstrationem ad sensum, seu designat substantiam accidentibus subiectam et sensu perceptibilem; at vero ita plane, uti loco laudato docet Angelicus, ut primo et per se substantiam indeterminate designet, et concomitanter solum aut consequenter et, si de hoc vel de illo individuo accidente sermo sit, mere per accidens denotet accidentia, quatenus accidit huic substantiae his sensibilibus accidentibus subesse. Inter accidentia autem maxime per accidens se habet praesentia localis, seu esse *hic* vel *alibi;* tum quia extrinsecum quid est substantiae locatae; tum quia indeterminata prorsus ratione significatur. Hoc enim, quocumque loco dictum, illum locum sic innuit, ut eadem ratione alium innueret, si alibi diceretur. Fit hinc, cum significatio formae simpliciter accipienda sit secundum id, quod *primo*

Dissolvitur.

Quid significet in verbis consecrationis pronomen : *Hoc.*

[1] D. Thomas, *Summ. Theol. 3. p. q. 78. a. 5. corp.*

et *per se* dicit, non autem secundum id, quod dicit consequenter ac mere per accidens: fit, ut omnino oporteat dicere pronomen: *Hoc* substantiam ipsam contentam sub speciebus simpliciter significare, adeoque significare non localiter, sed substantialiter. Cum vero ex positione verbi eiusque significatione in aliquo loco substantia significata in illo loco ponatur, habeaturque ut contentum sub his speciebus sit corpus Christi; consequenter et per accidens corpus Christi *hic* est, quia verba *hic* proferuntur, significant, efficiunt.

Verba formae significant substantialiter.

Actio conversiva substantialis et productiva.

7. *Prob. 2.ª min. pars:* — α) Si verba formae non significant localiter sed substantialiter, terminanturque ad ipsam substantiam corporis Christi, etiam actio conversionem perficiens substantialis est, seu est substantiae productiva. Alterutrum enim, ex superius dictis, esse debet; bina siquidem illa membra, spectata non enunciatione dialectica sed re enunciata, contradictionem involvunt, nec medium admittunt. — β) Praeterea verba illa significant unam substantiam conversam esse in aliam, scilicet substantiam panis in substantiam corporis Christi. Quare significant substantiam panis et substantiam corporis Christi formaliter ut terminos *a quo* et *ad quem* actionis conversivae. Atqui illae substantiae sunt termini formales praecise secundum suam rationem substantialem, non autem secundum rationem aliam, v. g. quantitativam. Ergo ipsa substantialis ratio panis et corporis Christi significatur ut terminus *a quo* et *ad quem* huius conversionis, et consequenter removetur aut ponitur in ratione talis termini. At corpus Christi nequit poni in ratione formalis termini *ad quem* secundum substantiam suam, quin actione substantiali hic producatur. Nam fieri debet respondere termino. Si ergo terminus est ipsa substantia, ut substantia, quae *hic* de novo est; fieri debet esse actio, qua substantia, ut substantia, *hic* de novo est aut ponitur. Porro actio, qua substantia, ut substantia seu secundum rationem substantiae, de novo ponitur, est actio substantialis productiva. Adductio plane non substantiam, ut substantiam, attingit; sed aut in substantia producit locum formaliter, ut quidam vellent; aut facit aliquid aliud, v. g. unionem cum speciebus, ex qua locus, seu ubi et praesentia localis tandem resultat.

Substantia panis et substantia corporis Christi sunt termini formales conversionis.

In forma consecrationis terminus *ad quem* significatur ut habens naturam suae substantiae, non autem terminus *a quo*.

8. — γ) Possumus adhuc argumentari tertio, et confirmare argumenta iam facta. Docet D. Thomas in forma consecrationis terminum *ad quem* significari, ut habentem naturam suae substantiae; terminum vero *a quo*, cum substantialiter non maneat, significari pronomine demonstrativo cum ordine ad accidentia. At quod significatur ut habens naturam suae substantiae, si eiusmodi significatio efficax sit, talem naturam accipit. Ergo terminus *ad quem* in conversione eucharistica accipit naturam suae substantiae. At natura substantiae, ubi haec non habetur, nequit accipi sine productione ipsius substantiae seu, quod idem est, sine actione substantiali productiva. Ergo ista actio substantialis productiva significatur et ponitur ex vi formae consecrationis, eademque consequenter est actio conversiva. En ipsa D. Thomae verba: « Quia

D. Thomas.

ipsa conversio exprimitur in hac forma, ut *in facto esse*, necesse est quod extrema conversionis significentur, ut se habent in *facto esse* conversionis. Tunc autem terminus *ad quem* habet *propriam naturam suae substantiae*, sed terminus *a quo* non manet secundum suam substantiam, sed solum secundum accidentia, quibus sensui subiacet, et ad sensum denominari potest. Unde convenienter terminus conversionis *a quo* exprimitur per pronomen demonstrativum relatum ad accidentia sensibilia, quae manent: terminus autem *ad quem* exprimitur per nomen significans naturam eius in quod fit conversio, quod quidem est totum corpus Christi, et non sola caro eius, ut dictum est »[1].

Obiectio.

9. *Dices:* Etiamsi terminus *ad quem* in illa forma significetur praecise in ratione substantiae, et ut habens naturam suae substantiae, non propterea significatur ut *factus* aut *productus*, sed significari potest, ut *adductus*. Ergo ex significatione formae non infertur actio substantialis productiva. — *Respondeo:* Esto, significari possit, ut *adductus*: negari tamen nequit significari etiam posse, ut *factum* aut *productum*, imo sic connaturaliter significari debere. Cum enim connaturale non sit, ut adducatur substantia corporea, ut substantia et ut habens naturam alicuius speciei; connaturale autem sit rationem substantiae, seu substantiam, ut substantiam non autem ut *quantam* aut *qualem* etc., et ut habentem determinatam naturam esse productam ubi de novo, aliquo pacto, esse incipit; eiusmodi substantia per productionem incipere dicenda est. Ex dictis autem res sic habet in casu. Adde, quod semper alibi, ubi conversiones substantiales in Scripturis inveniuntur, secundum productionem termini *ad quem* eas intelligimus, uti videre est in virga Moysis in colubrum versa, in uxore Loth versa in statuam salis, in aqua versa in vinum in Cana Galilaeae. Quare ergo non eadem ratione heic Scripturae verba intelligemus, cum et res in se possibilis sit, et omnis ratio exigat, et tota Traditio in hunc sensum conspiret?

Solvitur.

Probatur ex traditione.

10. Probatur thesis 2.° ex divina Traditione. Ratum omnino est Ecclesiam, dum conversionem substantiae panis in Christi corpus solemniter definivit, non definivisse in quo huiusmodi conversio, formaliter inspecta, sit reponenda. Quapropter huius articuli fidei catholicus sensus non ex ipsa Ecclesiae definitione, utut nonnihil hinc iuvari possimus, sed ex aliis documentis, quibus divina traditio conservatur ac propagatur, derivandus est. Age vero ex consensu Ecclesiae pluribus iam saeculis agnoscentis in eucharistica conversione actionem aliquam conversivam, in eaque conversionem ipsam presse sitam esse, certi moraliter sumus sensum hunc eucharisticae conversionis ex divina traditione descendere. Missis ceteris, unde posset etiam intelligi, patet consensus ille ex moraliter communi Teologorum calculo, qui in hoc dogmate declarando actionis conversivae ad unum prope meminere. Cum autem de natura talis actionis iidem Theologi,

Quid habeatur ex consensu Ecclesiae, quid non.

[1] D. Thomas, *Summ. Theol. 3. p. q. 78. a. 2. corp.*

sciente ac permittente Ecclesia, mire dissentiant, nondum, morali etiam certitudine, constat: An, et quid de illius actionis natura nos doceat divina traditio. Hinc vero non sequitur divinam traditionem non dari, aut cognosci non posse; sed nondum esse sufficienter propositam, ut ab omnibus agnoscatur atque debeat admitti. In divina vero traditione contineri actionem conversivam panis in corpus Christi esse aliquo modo productivam ipsius substantiae corporis Christi, aut saltem eiusmodi actionem productivam magis cum divina traditione congruere sequenti pacto potest ostendi.

S. Gregorius M.

11. Quod S. Gregorius Magnus ait: « Quis enim fidelium habere dubium possit, in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem coelos aperiri, in illo Iesu Christi mysterio Angelorum choros adesse, summa imis sociari, terrena coelestibus iungi, unumque (al. unum quoque) ex visibilibus atque invisibilibus fieri? »[1]; ad veritatem dominici corporis et sanguinis in sacrificio missae oratorio modo proponendam dictum fuisse, non autem ad significandum motum aliquem, quo Christus in alteri sistatur, patet ex verbis ipsis et ex toto capitis contextu, ac ceterum communiter monent Theologi. Quin aperta Patrum doctrina est, Christum non fieri hic praesentem per motum aliquem localem, sed potius per conversionem panis in ipsum. Innuerat hoc Macarius Magnes saeculi III. aut IV. scriptor, inquiens: « Non corpus de coelo descendit, sed panis ipse et vinum in corpus et sanguinem Dei transmutantur per Spiritum Sanctum; sicut etiam ex sancta Dei Genitrice per Spiritum Sanctum carnem sibi ipsi et in seipso substantiavit »[2]. Parili ratione Damascenus: « Corpus est divinitati vere unitum, quod ex sancta Virgine ortum habuit, non ut illud, quod in coelos receptum est, corpus descendat (οὐχ ὅτι τὸ ἀναληφθὲν σῶμα ἐξ οὐρανοῦ κατέρχεται); sed quia panis ipse et vinum in corpus et sanguinem Dei transmutantur »[3]. Quam Patrum doctrinam sequuti scholae Theologi principes, D. Thomas, S. Bonaventura, Albertus M., Alensis etc., uti superius visum est, diserte asseruere Christum non fieri praesentem in eucharistia per motum localem, sed per conversionem panis in ipsum.

Christus non fit praesens in eucharistia per motum localem.

Macarius Magnes.

Damascenus.

12. Vel ex hac prima animadversione licet coniicere actionem illam conversivam, qua Christum fieri praesentem in eucharistia Patres tradidere, eo ipso quod motum localem excludit, non esse actionem *adductivam*, sed potius *productivam*. Alterutram enim harum, ex dictis, oportet esse. Prima vero excluditur, quod illa vel motus localis est, vel ad motum reducitur. Non desunt autem documenta magis directa, quibus idem significatur. Si enim loquendi modos, quibus actionem illam exhibent, inspiciamus; ii,

Conversio eucharistica est actio productiva.

---

[1] S. Gregorius M., Dialogorum lib. 4. 58.

[2] Macarius Magnes, apud Gallandum, tom. 7. pag. 16. — De Macario Magnete Cfr. *Dissertationem historico-theologicam Magni Crusii* — apud Migne, *Patrologiae Graecae, tom. 10, p. 1343.*

[3] S. Ioannes Damascenus, *De Fide Orthodoxa, lib. 4. c. 13.*

dubio procul, productionem praeseferunt. Aiunt, uti in superioribus expendimus, *potestate divina — operatione Spiritus Sancti — per Spiritum Sanctum — virtute verborum Domini panem mutari — converti — transelementari in Christi corpus — effici — fieri Christi corpus — Christi corpus creari — Christum recreare corpus suum — operari — conficere suum corpus sacerdotum ministerio* etc. Haec et similia, quantumvis extenuentur, actionem aliquam, generice saltem, productivam apud omnes sonant. Id innuunt, loquendi modi in Ecclesia vigentes.

13. Sed enim aliqua ex Patribus in exemplum afferamus. Loquatur Chrysostomus: « Tempus demum est ad horrendam hanc mensam accedendi..... Adest Christus, et nunc is, qui mensam illam apparavit, hic ipse hanc nunc exornat. Non enim homo est, *qui facit ut proposita efficiantur corpus et sanguis Christi*, sed ipse Christus, qui pro nobis crucifixus est (οὐδὲ γὰρ ἄνθρωπός ἐστιν ὁ ποιῶν τὰ προκείμενα γενέσθαι σῶμα καὶ αἷμα Χριστοῦ, ἀλλ'αὐτός ὁ σταυρωθεὶς ὑπὲρ ἡμῶν Χριστός). Figuram implens stat sacerdos verba illa proferens: virtus autem et gratia Dei est. *Hoc est corpus meum*, inquit. Hoc verbum transformat ea, quae proposita sunt (τοῦτο τὸ ῥῆμα μεταῤῥυθμίζει τὰ προκείμενα) »[1]. Chrysostomus.

Succedat Damascenus: « Quamobrem si: *Sermo Dei vivus est et efficax*[2]; et: *Omnia, quaecumque voluit, Dominus fecit*[3]; si dixit: *Fiat lux, et facta est; fiat firmamentum, et factum est*[4]; si: *Verbo Domini coeli firmati sunt, et spiritu oris eius omnis virtus eorum*[5]..... si denique ipse Deus Verbum pro sua voluntate homo factus est, atque ex sanctae semperque Virginis purissimis et intaminatis sanguinibus ipse sibi nullo semine carnem compegit; cur demum *panem corpus, vinum item et aquam sanguinem suum efficiendi potens non sit?* (οὐ δύναται τὸν ἄρτον ἑαυτοῦ σῶμα ποιῆσαι, καὶ τὸν οἶνον καὶ τὸ ὕδωρ, αἷμα;). In principio dixit: *Producat terra herbam virentem*[6]; et ad hanc usque diem, accedente imbre, divino praecepto impulsa et roborata, fetus suos profert. Dixit perinde Deus: *Hoc est corpus meum*, et: *Hic est sanguis meus*, et: *Hoc facite in meam commemorationem;* idque omnipotenti eius praecepto, donec veniat, *efficitur* »[7]. Damascenus.

S. Ephrem Syrus: « *De pane*, inquit, *facere corpus* non potest sacerdos, sed alius qui est Spiritus Sanctus »[8]. S. Ephrem Syrus,

Licet hoc loco addere Ioannem Darensem qui, utut monophysita, de eucharistiae sacramento, uti de pluribus aliis, communem Ecclesiae sensum doctrinamque sequebatur. Is in verbis consecrationis declarandis ait: « Incipit qui sacerdotio fungitur et repetit preces deificas, *nempe efficientes corpus et sanguinem Dei* »[9]. Atque huiusmodi alia plura ex Graecis et Syris Patribus possunt colligi. Ioannes Darensis.

---

[1] S. Ioannes Chrysostomus, *De proditione Iudae, Homil. 1. n. 6.*
[2] *Hebr. 4, 12.*
[3] *Psalm. 113, 3.* (al. 11.).
[4] *Gen. 1, 3. 6. 7.*
[5] *Psalm. 32, 6.*
[6] *Gen. 1, 11.*
[7] S. Ioannes Damascenus, *De Fide Orthodoxa, lib. 4. c. 13.*
[8] S. Ephrem Syrus, *In Ezechielem, c. 10. Op. syr. lat. tom. 2. p. 175.*
[9] Ioannes Darensis, apud P. De Benedictis, *in Antirrhetico 2.° c. 11.*

Tertullianus.

14. Ut aliquid ex Patribus Latinis in medium proferamus, initium esto a Tertulliano contra Marcionem scribente : « Acceptum panem, et distributum discipulis, *corpus illud suum* (al. *suum illum*) *fecit :* HOC EST CORPUS MEUM dicendo »[1]. Succedit S. Gaudentius, Brixiensis : « Ipse igitur naturarum creator et Dominus, qui *producit* de terra panem, de pane rursus, quia et potest et promisit, *efficit proprium corpus :* et qui de aqua vinum fecit, *facit et de vino sanguinem suum.....* Ne terrenum putes, quod coeleste effectum est per eum, qui transit in illud, et *fecit illud suum corpus et sanguinem.....* Neque in olla cordis carnei, humoribus per naturam semper obnoxii, ipsum decoquas sacramentum, commune illud ac terrenum esse existimans ; sed ut per ignem divini Spiritus id *effectum*, quod annuntiatum est, credas »[2]. Et Haymo Halberstadianus : « Substantiam ergo panis, *ait*, et vini, quae super altare ponuntur, *fieri corpus Christi et sanguinem per ministerium* (al. mysterium) *Scaerdotis et gratiarum actionem, Deo hoc operante divina gratia, secreta potestate*, nefandissimae dementiae est fidelibus mentibus dubitare »[3].

S. Gaudentius Brixiensis.

Haymo Alberstadianus.

Ex allatis Patrum testimoniis collectio.

15. In allatis huc usque testimoniis, si quis recte animadvertat, totam sententiam nostram, prout ab initio eam proposuimus, inveniet expressam. Transsubstantiatio enim significatur per *effectionem corporis Christi*, et quidem *de pane* vel *ex pane.* Effectio autem, ut creationi et mutationi contraponitur, proprie est : *Productio ex aliquo.* Hanc vero corporis Christi productionem tribuunt principaliter Deo, et ipsi summo Sacerdoti Christo, tum ministerialiter Sacerdoti Christi verba proferenti. Fit hinc ut eadem illa Christi caro, quae de Virgine nata vel sumpta est, corpus illud, quod in coelo est, hic vere sit praesens, et miros illos in animis nostris producat effectus, quos plerumque iisdem in locis iidem Patres commemorant.

Patres temporum Berengarianorum.

16. Convertimur iam ad Scriptores temporum Berengarianorum, quibus exortae haeresis disiiciendae necessitas pleniorem catholicae veritatis hac super re vestigationem illustrationemque consulebat. Fulbertus Carnotensis, paulo ante vel enatam vel divulgatam Berengarii haeresim, ad Adeodadum scribens, haec habet: « Quidquid inter homines Deus egit aut pertulit, causa servandi humani generis vel reparandi gratia fecit..... Inde est quod reparatam humani generis dignitatem sciens semper diabolum invidere, et nequitiae suae arte quaerere qualiter hominem a sui voluntate conditoris averteret, et antiquae perditioni, si fas esset, obnoxium redderet ; defectum nostrae fragilitatis miseratus, adversus quotidianas nostrae prolapsionis offensas sacrificii placabilis nobis providit expiamenta ; ut (al. et) quia corpus suum, quod semel pro nobis offerebat in pretium, paulo post a nostris visibus

S. Fulbertus Carnotensis.

---

[1] Tertullianus, *Adversus Marcionem, lib. 4. c. 40. — De textu laudato* Cfr. Bellarminum, *De Eucharistia, lib. 2. c. 7.*

[2] S. Gaudentius Brixiensis, *Tract. 2. In Exodum.*

[3] Haymo Halberstadiensis, *De Corpore et Sanguine Domini.*

sublaturus fuerat in coelum, ne sublati corporis fraudaremur praesenti munimine, corporis nihilominus et sanguinis sui pignus salutare nobis reliquit, non inanis mysterii symbolum, sed *compaginante Spiritu Sancto corpus Christi verum*, quod quotidiana veneratione, sub visibili creaturae forma, *invisibiliter virtus secreta in sacris sollemnibus operatur* »[1]. Itaque, ex Fulberto, Spiritus Sanctus non adducit, sed compaginat corpus Christi verum, idemque secreta virtus sub visibili creaturae forma, sub speciebus panis et vini, invisibiliter operatur.

Adelmannus Brixiensis.

17. Sed audiamus Adelmannum ex Leodiensi Scholastico Episcopum Brixiensem, ad Berengarium scribentem : « Dixit itaque, dixit ille, qui : *Dixit, et facta sunt.* Qui enim dixit in principio: *Fiat lux, et facta est lux* de nihilo, non potuit dicendo de pane : *Hoc est corpus meum*, ita *fieri efficere ?* Et qui tacita virtute aquam vertit in vinum, non efficacius poterat (si quid tamen efficacius de Deo dici debet), sonante vocaliter eadem virtute, vinum ipsum in sanguinem suum transferre ? Quod si quis apud se dicat potuisse hoc facere unum illum hominem, qui etiam Deus erat, ceteris vero hoc impossibile esse, nos quoque cum eo sentimus: sic tamen, ut per ministerium humanum Christum ipsum operari fateamur..... *Christus per manum et os sacerdotis corpus et sanguinem suum creat* »[2]. Honorius item Augustodunensis : « Secundo, *inquit*, corpus Domini dicitur quod, ob pignus Ecclesiae traditum, Spiritu Sancto consecrante, ex substantia panis et vini *ministerio sacerdotum quotidie conficitur*, *ac divinitate operante* in praedictum corpus transfertur, et licet ab omni populo comestum, integrum tamen catholica fide permanere fertur »[3].

Honorius Augustodunensis.

Hugo Lingonensis.

18. Mens est plenius ex Hugone Lingonensi quod contendimus audire, Christum scilicet actione aliquo modo productiva, ac creationi quadantenus parili, in eucharistia praesentem fieri. Scribit: « Ipsi (*Ambrosius et Augustinus*) vere liberi ab errore, non quasi velamen habentes malitiae in suis significantibus sonis, hoc coeleste convivium nulli comparant, nulli simile dicunt. Sed sicut alter eorum dicit Deum suis vocibus et non alienis assertionibus aestimandum, per cuius distribuendum verbum *ex edibili sacramento carnis et sanguinis efficientiam de spirituali secreto procedere ;* nec ipsam carnem aliam, nec ipsum alium sanguinem, quam unde incarnatus apparuit, plane et simpliciter crediderim, sic semel accipiens formam servi, sicut pro nobis quotidie hanc in se suscipit creaturam, *faciens suum corpus occulta quadam recreando potentia.* Sicut dicit beatus Augustinus in libro tertio de Trinitate, ubi Paulum Apostolum Christum, significando, praedicasse commemorat : *Corpus*, inquit, *Christi et sanguinem dicimus, sed illud tantum quod ex fructibus terrae acceptum et prece mystica consecratum rite sumimus ad salutem spiritualem, in memoriam pro nobis Dominicae*

[1] S. Fulbertus Carnotensis, *Epistola ad Adeodadum, olim 1. nunc 5.*

[2] Adelmannus Brixiensis, *Epistola ad Berengarium.*

[3] Honorius Augustodunensis, *Eucharistion*, seu *Liber de Corpore et Sanguine Domini, c.* 1. — Lege totum.

passionis, operante invisibiliter Spiritu Dei[1]. Sicut scriptum est in libro Sapientiae: *Creatura*, inquit, *factori deserviens extenditur in tormentum adversus iniustos, et lenior fit ad benefaciendum his, qui in te confidunt. Propter quod et tunc in omnia se transfigurans omnium nutrici gratiae tuae deserviebat ad voluntatem horum, qui te desiderabant*[2]. Quod exemplum licet ab alienis assumptionibus vel conversionibus aptum (al. acceptum) sit (sicut cum formae visibiles ab incorporeis assumuntur, vel cum rerum conversiones fiunt, sicut aquae verae in vinum verum), huic maxime convenit Sacramento, in quo panis et vini creatura Deo sic deservire probatur, ut perseverantiam quam exhibuerat naturae, invisibili celeritate permutet, et se in omnia transfigurans, hoc est, in eum, in quo omnia sunt, aut qui omnium est Homo Christus, *corpus eius, ipso recreante* (al. recreatore vel creatore), *fiat;* quod extendatur in tormentum iudicii adversus iniustos, hoc est, in eos qui indigne suscipiunt, et lene ad ipsos sit, qui in virtute et veritate mysterii sibi vitam invenire confidunt »[3]. Similia habet subinde.

Durandus Troarnensis.

19. Addimus Durandum Abbatem Troarnensem qui, postquam retulit Augustini testimonium, quod in Hugone legimus, prosequitur inquiens: « In qua sententia illud diligenter et praecipue perpendendum proponimus, quod ex terrae fructibus accipi ac prece mystica corpus Christi ac sanguinem consecrari dicitur per quandam manum divinam, a forma visibili, invisibiliter operante Spiritu Sancto, hoc tam magnum fiat sacramentum, ad invisibilem speciem indubitanter perduci pronuntiatur. Revera enim ex visibilibus et terrenis substantiis, id est, pane et vino aqua mixto, incomprehensibili Sancti Spiritus opificio, verbis quoque mysticis *Sanctum Domini corpus ac verus sanguis efficitur, mutata non specie, sed natura* »[4]. Addimus non minori efficacia et claritate lo-

S. Bruno Astensis.

quentem S. Brunonem Astensem: « Panis, *inquit*, et vinum, quae in altari ponuntur, ad Sacerdotis vocem coelesti benedictione san-

---

[1] S. Augustinus, *De Trinitate, lib. 3. c. 4. n. 10.* Integer Augustini locus sic habet: « Si Apostolus Paulus, quamvis adhuc portaret sarcinam corporis,..... potuit tamen, significando, praedicare Dominum Iesum Christum, aliter per linguam suam, aliter per epistolam, aliter per Sacramentum corporis et sanguinis eius. Nec linguam quippe eius, nec membranas, nec atramentum, nec significantes sonos lingua editos, nec signa litterarum conscripta pelliculis, corpus Christi et sanguinem dicimus; sed illud tantum, quod ex fructibus terrae acceptum et prece mystica consecratum rite sumimus ad salutem spiritualem in memoriam pro nobis Dominicae passionis: quod cum per manus hominum ad illam visibilem speciem perducatur, non sanctificatur ut sit tam magnum Sacramentum, nisi invisibiliter operante Spiritu Dei..... ».

[2] *Sap. 16, 24, 25.* Textus, prout legitur in *Bibliis Sacris Vulgatae Editionis Sixti V. Pont. Max. iussu recognitis et Clementis VIII. auctoritate editis, Tornaci Nerviorum. Typis Soc. Sancti Ioannis Evangelistae, Desclée, Lefebvre et Soc. 1885.— Et P. Michaelis Hetzenauer O. C., Oeniponte, 1906.*, sic habet: *Creatura enim, tibi Factori deserviens, exardescit in tormentum adversus iniustos: et lenior fit ad benefaciendum pro his, qui in te confidunt. — Propter hoc et tunc in omnia transfigurata omnium nutrici gratiae tuae deserviebat ad voluntatem eorum, qui a te desiderabant.*

[3] Hugo Lingonensis, *Tractatus De Corpore et Sanguine Christi.*

[4] Durandus Troarnensis, *De corpore et sanguine Christi, part. 2.*

ctificantur, et in Christi carnem et sanguinem essentialiter commutantur; ut una eademque essentia sit et eius carnis, quae de Virgine nata est, *et eius quae de pane facta est* »[1]. Addimus demum ipsum Bernardum, si Bernardi opus est: *Tractatus de corpore Domini*, qui inter eius opera legitur. Bernardus ergo, aut quicumque sit vetus Auctor certe non ineruditus, postquam dixit Christum quotidie descendere de sinu Patris super altare in manus sacerdotis, sicut quando a regalibus sedibus venit in uterum Virginis, descensu consequenter non locali sed dignationis et effectus, rem totam declaraturus tandem subdit: « Crede firmiter, absque omni mentis scrupulo, *sanctum panem et sanctum vinum* super altare, secundum formam sanctae Ecclesiae, *verum suum effici corpus et sanguinem in manu sacerdotis*, et digna cum reverentia sume ipsum cum timore sancto, conscientia bona, caritate pura et fide non ficta »[2]. S. Bernardus.

20. Ad haec, Patres, dum Christi corpus et sanguinem in eucharistia *fieri*, *effici*, *creari*, *recreari* etc. pronuntiant, actionem, qua Christi corpus ex pane efficitur, solent conferre modo cum creatione et Incarnatione activa, saepe etiam cum actionibus aliis conversivis, praesertim substantialibus, in quibus terminus *ad quem* reapse producitur. Omnium, quotquot catholicam Theologiam vel unice salutarunt, oculis ac fere manibus trita sunt loca Cyrilli Hierosolymitani in *Catechesibus Mystagogicis*, Ambrosii in libro *De Mysteriis*, Ambrosiastri in libris *De Sacramentis*, Ioannis Damasceni *De Fide Orthodoxa* etc. Iuverit heic ex Nysseno repetere aliquid ex iis, quae in superioribus, contra D. Batiffol, plenius vindicavimus. Comparat Nyssenus conversionem hanc cum illa qua Christus, dum mortalem vitam agebat, terrenum panem in proprii corporis substantiam convertebat, aiendo: « Unde in illo corpore transmutatus panis transiit in divinam virtutem, per idem fit nunc similiter. Nam et illic Verbi gratia *sanctum fecit corpus*, cui ex pane erat substantia, et quodammodo ipsum corpus erat panis: et hic similiter panis, sicut dicit Apostolus, sanctificatur per Verbum Dei et orationem, non eo quidem, ut esu et potu transeat in corpus Verbi, sed ut statim per Verbum in corpus transmutetur, sicut dictum est: *Hoc est corpus meum* »[3]. Patres cum creatione, incarnatione et conversionibus aliis Transsubstantiationem conferunt. Nyssenus.

21. Sed enim plenissime et ingeniosissime omnium, quod sciam, eiusmodi comparationes instituit ac pluribus illustrat Guitmundus in notissimo opere: *De corporis et sanguinis Domini veritate* contra Berengarium. Concedit plane ab ipso fere vestibulo nos modum ignorare, quo fit Transsubstantiatio; contenditque esse credendum, non curiosius investigandum; quod, ante ipsum, Patres et in praesenti materia et in aliis mysteriis monuerunt non semel. Subinde vero, ad veritatem transsubstantiationis meliori modo in- Guitmundus Aversanus.

[1] S. Bruno Astensis, *In Ioannem, c. 6. v. 52.*

[2] S. Bernardus, *Tractatus De corpore Domini*, Legesis monitum in hoc Opusculum in vol. 1. Oper. S. Bernardi, pag. 1147. ad calcem. — Edit. Migne.

[3] Nyssenus, *Oratio Catechetica Magna, c. 37.*

culcandam, ipsam confert cum mutationibus et generationibus, praesertim substantialibus, quae sine productione termini *ad quem* locum non habent.

Quadrifariam generatio in Scripturis.

22. Monet: « Quadrifariam in Scripturis Sanctis hominum generationem accepimus. Una est singularis viri, neque de viro neque de femina, sed de limo terrae, quae est Adae. Altera, huic quodammodo contraria, de viro et femina, ex qua et viri et feminae; quae omnium fere solemnis est. Alia rursus absque exemplo, qua de virgine viro prodiit virgo femina, de Adam videlicet Eva. Quarta nihilominus singularis atque unica, pro (al. *prae*) reliquis omnibus facta, omnibusque melior et utilior reliquis, contraria et ipsa quodammodo tertiae, qua vir de femina Virgine Virgo, de Maria utique Salvator omnium Christus nostro saeculo illuxit ». — Generationibus hisce inter se comparatis, ac quarta ceteris praelata, subdit. « Quatuor nihilominus *rerum mutationes substantivas sive efficientias* nobis Scriptura divina commendat. Unam, qua de omnino nihil in id quod sunt, facta sunt omnia: alteram huic contrariam, quam tametsi experimento non ita scimus, ratione tamen colligimus, qua videlicet de eo quod sunt, quantum in ipsis est, redire in nihilum possunt. Nam si hoc solo quia Deus vult, omnia sunt; si voluntatem suam, qua praestat ut sint, vel modice subtrahat, illico in nihilum suum omnia remeabunt..... Tertiam autem mutationem solemniter cernimus, qua videlicet substantiae in eas, quae erant, substantias vel naturali usu, vel per miracula transeunt; sicut nucleus in arborem, semen in herbam, esca et potus in carnem et sanguinem; vel sicut virga in serpentem, serpens in virgam, et cetera huiusmodi. Quarta vero mutatio est, qua id, quod est, transit in id, quod nihilominus est, sicut panem et vinum virtute divina in corpus Christi proprium singulari quadam potentia eredimus commutari. Et haec quidem tribus aliis longe melior, longeque utilior a fidelibus credentibus facile iudicatur..... Cum itaque ceteris omnibus haec honorabilior sit atque utilior, tum etiam illi, quae usitatissima est, multo vicinior atque similior; ideo multo credibilior, quam duae reliquae, reperitur. Cui enim non luce clarius pateat ei mutationi, quae usitatissime de aliquo in aliquid fit, eam quae etiam ipsa de aliquo fit in aliquid, licet aliquanto mirabilius, propinquiorem admodum ac similiorem esse, quam illam, quae de nihilo fit in aliquid, aut illam quae de aliquo fit in nihil? Illae enim duo aliqua habent; istae unum tantum, adeoque a capacitate intelligentiae nostrae remotae sunt, ut neque mutationes eas quis forte vocaverit... ».

Mutationes quatuor.

Mutatio eucharistica credibilior et carior.

23. His aliisque praeiactis, Guitmundus tandem concludit: « Quibus omnibus aliisque permultis digne perspectis, valde credibilior haec cariorque, quam illae duae potest et debet iudicari. Si enim Deus id, quod difficilius et ab intellectu nostro remotius est, quia voluit, fecit; quomodo non id, quod videtur aliquo modo facilius et intelligibilius, si voluit, fecit? Atqui difficilius illud Deum fecisse nemo dubitat. Illud igitur facilius Deum facere, si vult, nemo dubitare debet. Aut quare hanc quartam mutationem

non deberet addere Deus ad medelam hominum, qui quartam generationem, ut ostendimus, addidit ob reparationem salutis ipsorum: ut sicut ille summe bonus cuncta bona in creaturis, quae fore in eis decebat, sine invidia esse voluit; ita quoque, mira varietatis pulchritudine, nullus generationis modus decens deesset hominibus: nullus mutandi modus competens deesset rebus? » [1].

Deus summe bonus cuncta decentia voluit esse in creaturis.

23. His, uti consideranti facile patet, ostendere conatur Guitmundus transsubstantiationem panis et vini in Christi corpus et sanguinem non esse impossibilem, quin esse valde credibile Deum ipsam voluisse operari et fuisse operatum. Interim in rem nostram habemus sequentia: — α) Guitmundum hanc conversionem cum illis conferre, in quibus per veram efficientiam aut productionem terminus *ad quem* ponitur, vel per conservationis subtractionem abit in nihilum: — β) Universim has, quas contemplatur, mutationes vocat *mutationes substantivas sive efficientias:* quod in aliis, praeter nostram, ratione productionis aut annihilationis, efficientiae nimirum positivae aut negativae, locum habet: — γ) Speciatim vero conversionem eucharisticam *viciniorem* dicit *similioremque ei mutationi, quae usitatissime de aliquo in aliquid fit:* — δ) Quapropter etsi Guitmundus contra Berengarianos, factum ipsum conversionis negantes, non vult vestigare *quomodo fiat*, atque hoc fidei relinquit; in iis tamen, quae affert, sufficienter innuit ab ipso conversionem eucharisticam sine substantiva productione termini *ad quem* aut corporis et sanguinis Christi revera non concipi.

Collectio ex Guitmundo.

25. Ut in pauca, quae ex Patrum doctrina excerpsimus, conferamus, Patres primum omnium negant Christum in eucharistia per motum localem praesentem fieri; atque porro actionem adductivam respuentes sufficienter insinuant productione quadam in ipsa sisti. Clarius vero ac plenius hoc docent ubicumque illam praesentiam per quandam Christi *effectionem*, *creationem*, *compaginationem*, *operationem* explicant. Fatemur eos propriam heic creationem non agnoscere, sed conversionem explicare per actionem creationi similem, quandoquidem constans apud eos doctrina est, Christum non fieri hic ex nihilo, sed ex pane, aut per conversionem panis in ipsum: similitudo vero inter hanc conversionem et creationem in eo est, ut sicut actione creativa tota perfectaque producitur substantia; sic actione conversiva tota perfectaque corporis Christi substantia sub speciebus panis producitur aut fit. Verum item est eos aliquando ad conversionis veritatem adstruendam illustrandamve conversiones alias mere accidentales in medium afferre; plerumque tamen afferunt substantiales, aut conversiones in quibus substantialis terminus *ad quem* revera producitur, aut productiones simplices in quibus nova substantia esse simpliciter accipit. Hanc enim conversionem conferunt cum creatione, cum Incarnatione Filii Dei, cum productione primi hominis, cum multiplicatione panum per Christum, aut olei iussu Elisaei, cum nu-

Doctrinae Patrum summa.

Praecavetur difficultas.

Quid transsubstantiationi cum creatione convenit.

Et cum actionibus et conversionibus aliis.

[1] Guitmundus Aversanus, *De Corporis et Sanguinis Domini veritate in Eucharistia, lib. 1 sub finem.*

trimento sive Christi in terris, sive aliorum hominum, cum conversionibus aliis substantialibus naturalibus, cum illis denique quas supernaturaliter evenisse Scriptura commemorat, virgae Moysis in colubrum, aquae in vinum etc. Patres vero sequuti Scholae Doctores principes, uti parte secunda critice demonstravimus, ac subinde Doctores alii non pauci eandem prorsus dicendi declarandique rationem retinuere. Ut non immerito quis putet in deposito traditionis contineri: in conversione panis in corpus Christi non solum panis substantiam simpliciter desinere aut destrui; sed etiam corporis Christi substantiam substantiali actione, non simpliciter ac *primo*, sed *hic* ac *secundo* produci. Eo vel magis, quod communis revera apud eos sententia est heic naturam panis in Christi naturam, essentiam in essentiam, substantiam in substantiam converti. Quapropter si productio aliqua termini *ad quem* hic sit; esse autem sufficientissime docent; doceant etiam opus est productionem hanc ad ipsam corporis et sanguinis Christi substantiam pertingere.

Doctores Scholae.

Quid in deposito traditionis contineatur.

Liturgiae.

Romana.

Coptica.

S. Ioannis Chrysostomi.

S. Basilii.

26. Quae huc usque ex doctrinae ac credendi lege protulimus, ipsa supplicandi lege possunt confirmari. Quotidie, dum sacrum facimus, primo Deum precamur, ut servitutis nostrae oblatio: « *Nobis* CORPUS ET SANGUIS FIAT *dilectissimi Filii tui Domini nostri Iesu Christi* »: peracta vero consecratione Deum Patrem omnipotentem in unitate Spiritus Sancti honoramus et glorificamus: « *Per ipsum* (Iesum Christum), *et cum ipso, et in ipso.* — *Per quem*, aientes, *haec omnia, Domine*, SEMPER BONA CREAS, *vivificas, benedicis et praestas nobis* ». — Legimus in Liturgia Coptica S. Gregorii: « *Tu, Domine, voce tua commuta haec, quae sunt proposita. Tu, coram nobis positus*, PERFICE *nobis hoc mysterium plenum mysteriis. Mitte super nos gratiam Spiritus Sancti, qui sanctificet et transferat haec dona proposita in corpus et sanguinem salutis nostrae, et hunc quidem panem* FACIAT CORPUS TUUM SANCTUM *et rursus hunc calicem* SANGUINEM PRETIOSUM TESTAMENTI TUI NOVI ». In Liturgia S. Ioannis Chrysostomi Sacerdos orat: « FAC *quidem panem hunc* PRETIOSUM CORPUS CHRISTI TUI..... *Quod autem est in hoc calice*, PRETIOSUM SANGUINEM CHRISTI TUI..... *Immutans Spiritu Sancto tuo* ». In Liturgia demum S. Basilii, ut alias mittamus, Sacerdos secreto orat: « *Panem quidem hunc* FAC PRETIOSUM CORPUS DOMINI ET DEI ET SALVATORIS NOSTRI IESU CHRISTI..... *Hunc vero calicem* PRETIOSUM SANGUINEM DOMINI ET DEI ET SALVATORIS NOSTRI IESU CHRISTI..... *qui pro mundi vita effusus est..... Immutans Spiritu Sancto tuo*[1] ». — Videlicet hic etiam, ubi sacrum fit ac Deo servitus exhibetur nostra, mutatio panis et vini in Christi corporis et sanguinis substantiam iis verbis, sive orando sive glorificando, significatur, quae praeseferunt EFFECTIONEM, CREATIONEM, productionem proinde aliquam non alicuius in Christi corpore, sed IPSIUS CHRISTI CORPORIS ET SANGUINIS. Quapropter

[1] Renaudot, *Collectio Liturgiarum. — Perpétuité de la foi, t. 2. lib. 6. c. 1. seqq.* — Muratori, *Dissertatio de rebus liturgicis, c. 8. seqq.*

et haec ex doctrina Patrum melius intelliguntur, et ipsa harmonice Patrum consonant doctrinae, et ex utrisque intelligitur in catholica Traditione vel contineri prorsus Transsubstantiationem in actione aliquo modo productiva ipsius Christi corporis formaliter consistere; vel actionem hanc productivam doctrinae traditae esse magis consentaneam.

27. PROBATUR THESIS 3.° RATIONE. — *Prima ratio.* De ratione verae et physicae conversionis, ut sic, est productio termini *ad quem* proportionati; atque adeo, si conversio substantialis sit, productio illius substantiae, quae est terminus *ad quem* talis conversionis. Atqui conversio eucharistica est vera, physica, substantialis conversio, cuius terminus *ad quem* est ipsa corporis et sanguinis Christi substantia. Ergo de ratione conversionis eucharisticae est productio substantiae corporis et sanguinis Christi. Consequentia est manifesta ex terminus. Tum si in eucharistia datur vera, physica et substantialis conversio, eiusmodi conversio, sin minus *univoce*, *analogice* saltem sub genere verae conversionis continetur. Cum autem, si vera et physica conversio sit, illa analogia ab intrinseca forma, non ab extrinseca sit repetenda; fit ut ipsi debeat competere, saltem nobiliori et excellentiori modo id, quod verae et physicae conversioni, ut sic, proprium est, quamvis non id, quod haec aut illa conversio ceu proprium privumque sibi vindicat. Hoc pacto ens infinitum v. g., quod analogice tantum cum finito ente convenit, nobiliori plane et excellentiori modo includit necessario id, quod est de ratione entis, ut sic, licet non quod ad hanc aut illam finiti entis rationem proprie pertinet.

Probatur ratione. Prima ratio. Est de ratione verae conversionis productio termini *ad quem*.

Transsubstantiatio conversio analogica ab intrinseca forma.

27. *Prob. min.* Minor propositio ceu omnino rata debet haberi. *Veram* enim esse conversionem eucharisticam, seu non metaphoricam sed propriam, videntur omnino exigere tot Ecclesiae definitiones hac super re editae, quae proprietatem saltem sibi vindicant conversionis. Recolesis quae, parte prima dogmatica, allata sunt, speciatim vero damnationem Pistoriensium. Esse vero *physicam*, seu non moralem solum aut artificialem eadem fere necessitate tenendum est. Quamvis enim hoc alterum non improbabili aliquo sensu dici posse Suaresius tradat[1], uti in superioribus monuimus; inspecta tamen doctrina Ecclesiae et huius doctrinae communi intelligentia, conversio eucharistica inter physicas aut reales conversiones est necessario computanda. Docet Ecclesia conversionem eucharisticam esse inter terminos physicos connaturaliter convertibiles, et ita quidem ut alter, seu terminus *a quo* simpliciter desinat in ordine physico aut reali ad realem positionem termini *ad quem;* hanc autem conversionem inter omnes, etiam physicas conversiones, esse mirabilem ac singularem: quae de morali aut artificiali conversione vix aut ne vix quidem materialiter possent intelligi. Communis vero Patrum et Theologorum interpretatio, et Catechismus Concilii Tridentini physicam seu realem conversionem agno-

Conversio eucharistica *vera*.

Physica.

---

[1] Suarez, *In 3.am p.em D. Thomae, disp. 50. sect. 8.*

scunt, eamque tum comparant cum naturalibus conversionibus, uti in superioribus visum est, tum ex ipsis ubique declarant.[1] — Quin physica eiusmodi conversio *substantialis* est, cum Ecclesia solemniter doceat: *panem transsubstantiari — substantialiter converti in corpus Christi — substantiam converti in substatiam — conversionem hanc aptissime Transsubstantiationem appellari* etc., uti ex Ecclesiae documentis, parte prima, allatis manifestum est. Haec autem, sive spectata verborum proprietate, sive inspecto communissimo Doctorum usu, conversionem substantialem certe praeseferunt.

Substantialis.

Nulla vera conversio sine productione termini *ad quem*.

29. *Prob. maior*, in qua est tota difficultas. Et *1.° a posteriori.* Ubicumque datur productio termini *ad quem*, si adsint cetera ad conversionem naturalem requisita, ibi agnoscitur vel potest agnosci vera conversio: ubicumque vero non datur eiusmodi productio, utut adsint cetera, ibi negatur vera conversio. Ergo signum est productionem termini *ad quem* esse de ratione verae conversionis, ut sic. *Prob. consequentia.* Si in varietate conversionum naturalium nulla sit sine productione termini *ad quem*, huiusmodi factum nonnisi ex ipsius conversionis connaturali exigentia potest convenienter explicari. Neque enim dici potest id esse ex exigentia ipsius termini *ad quem*, qui non exsistit. Hoc namque revera quaerimus: quare nunquam dicatur aliquid converti in id, quod non *fit* sed exsistit. Itaque si conversio dicitur, ubi aliquid producitur; non dicitur autem, datis reliquis, ubi aliquid ut terminus *ad quem* non producitur; saltem signum quoddam est conversionem, ut sic, in sui conceptu productionem aliquam termini *ad quem* sibi vlndicare. *Prob. ant.* Quod ignis producitur, *ut quod*, ex ligno, et forma ignis educitur ex potentia materiae, seu ab agente producitur in materia et dependenter a materia, seu cum subiectivo ipsius influxu, id est, producitur *ut quo;* lignum dicitur conversum in ignem, et forma ligni, quamvis non dicatur, dici tamen potest, *ut quo*, conversa in formam ignis, quemadmodum saepe in superioribus docuimus. Quod vero substantiae humanae pars aliqua per novam alimenti susceptionem producitur, non autem producitur anima humana, alimentum dicitur conversum in substantiam humanam; forma vero alimenti, quamvis cetera ad conversionem adsint, ex omnium sententia, neque *ut quo* dici potest conversa in animam humanam. Atque idem locum habet in naturalibus omnibus mutationibus positivis, sive substantialibus sive accidentalibus et, sensu opposito, in negativis. Ergo.

De ratione conversionis est influere esse in terminum *ad quem*.

30. *Prob. a priori.* De ratione conversionis aut actionis conversivae, ut sic, est ut influat esse aliquod proportionatum in terminum *ad quem*, et porro esse substantiale in conversione substantiali. Atqui influere esse proportionatum, adeoque substantiale, ubi conversio substantialis est, est termini *ad quem* substantiam, sive totaliter sive partialiter, producere. — *Minor* constat, cum sit ipsa productionis definitio. *Prob. mai.* Nequit unum dici conversum in aliud ex vi actionis conversivae, nisi haec actio sit causa

[1] Catechismus Concilii Tridentini, *Part. 2. De Eucharistia, cc. 39. 40.*

vel causalitas *huius alius ex illo;* debet enim eiusmodi actio mutare unum in aliud, et consequenter esse causa aut causalitas huius alius ex illo. Atqui nequit actio conversiva esse causa aut causalitas huius alius ex illo, quin influat in terminum *ad quem* esse ipsi proportionatum, et consequenter esse substantiale, si substantialis sit. Causa enim nihil est aliud, nisi principium influens esse in aliud, quatenus est aliud; causalitas vero est ipse influxus talis esse. Ergo.

Uti de ratione verae conversionis est desitio simpliciter termini *a quo;* ita productio termini *ad quem.*

31. *Confirmatur.* Uti amplissime in superioribus demonstravimus, de ratione conversionis, ut sic, est desitio simpliciter termini *a quo*, atque porro desitio simpliciter termini *a quo* substantialis in conversione substantiali. Ergo de ratione conversionis, ut sic, est productio simpliciter termini *ad quem*, et plane termini *ad quem* substantialis in conversione substantiali. *Prob. consequentia:* — α) Oportet ut detur proportio inter terminos *a quo* et *ad quem*, cum unus in alium convertatur ex vi unius eiusdemque actionis conversivae. Ergo si terminus *a quo* desinit simpliciter, terminus *ad quem* debet simpliciter incipere esse ex vi conversionis. Atqui incipere simpliciter esse ex vi conversionis est ex vi conversionis revera produci. Ergo. Prima rursus consequentia patet. Nam terminus *a quo* in tantum ex vi conversionis desinit simpliciter in eo quod convertitur, in quantum ipse quidem amplius non est, et desinit in aliud. Fit hinc, ut hoc aliud debeat accipere idem esse, saltem secundum genericam rationem, quod alter amisit; esse proinde aut accidentale aut substantiale, prout accidentale aut substantiale esse simpliciter desiit in termino *a quo;* — β) Ratio fundamentalis quare in conversione qualibet terminus *a quo* simpliciter debet desinere ea demum est, quod secus remaneret *idem sibi ante et post conversionem*, nec dici posset conversus. Atqui nisi terminus *ad quem*, qua talis, simpliciter produceretur, necessario esset *idem sibi ante et post conversionem.* Ergo dici non posset esse id, in quod aliud conversum est, seu esse terminus *ad quem* conversionis. *Consequentia claret.* Si enim qui dicitur terminus *ad quem* est idem sibi ante et post conversionem, actio conversiva, saltem connaturaliter loquendo, ipsum nullo modo attingit. Non poterit ergo talis actionis dici terminus. *Prob. min.* Vel conversionis terminus *ad quem*, in eo quod est conversionis terminus, ante conversionem non exsistebat; et tunc, si conversionem terminat et quatenus terminat, necessario erit productus; nihilum enim physicam conversionem positivam nequit terminare. Quod si ante conversionem iam exsistebat; et tunc, vel actione conversiva nihil in ipso fit, et remanet identicus sibi ante et post conversionem; vel aliquid fit, et hoc, si positivum sit uti in omni positiva conversione esse debet, erit necessario aliquid, quod prius non erat et nunc est, et consequenter aliquid productum. Quapropter terminus *ad quem* vel in eo, quod est terminus conversionis, productum aliquid est; vel, si non sit aliquid productum, erit necessario idem sibi ante et post conversionem, nec proinde conversionis terminus.

Obiectio.

32. *Dices:* Non opus est, ut terminus *ad quem* conversionis sit aliquid productum, neque repugnat ut aliquid, sibi omnino idem ante et post conversionem, sit conversionis terminus *ad quem.* Corpus Christi in Sacramento est verissime conversionis terminus, quamvis non producatur per conversionem, et sit sibi omnino identicum ante et post conversionem.

Disiicitur.

33. *Respondeo: Dist. 1.am p.em asserti.* Non est opus, ut terminus conversionis *ad quem* sit aliquid *primo* productum, *Conc. assert.* Non est opus, ut sit aliquid saltem *secundo* productum, *Neg. assert.* Distinguo item *2.am partem.* Non repugnat, ut aliquid omnino *idem*, sed *secundo* exsistens, sit terminus *ad quem* conversionis, *Conc. 2.am p.em assert.* Non repugnat, ut aliquid omnino idem et semel exsistens, sit terminus *ad quem* conversionis, *Subd. Connaturaliter, Nego. De potentia absoluta, Transeat.* Ad rationem additam. Christus in Sacramento est verus conversionis terminus *ad quem*, quamvis non producatur neque *primo* neque *secundo*, et *semel* tantum exsistat idem sibi, *Nego.* Est talis terminus, quia etsi non producitur *primo*, producitur tamen *secundo*, et est idem sibi, sed tamen *bis*, *semel* nimirum ex vi primae productionis et conservationis; ac *iterum* ex vi conversionis, *Concedo.* Ad veram conversionem requiritur prorsus, ut terminus *ad quem* sit productus aliquo modo, nimirum prout conversionem terminat. Nihilum enim conversionem positivam nequit terminare, uti per se evidens est, ac praeterea exinde patet, quod conversio positiva est inter terminos positivos; nihilum autem est aliquid negativum. Rursum positivum, quod iam est et non fit ex vi conversionis, conversionis terminus *ad quem* esse nequit. Quod enim exsistit, hoc solo quod exsistit, abs dubio dici nequit terminus, *ad quem* tendit actio conversiva, et *in quem* convertitur id omne, quod simpliciter desinit esse. Quis enim ferat dicentem: quidquid desinit, convertitur in id omne, quod exsistit dum illud desinit? Ad veram conversionem plus requiritur, quam sola simultaneitas desitionis unius et exsistentiae alterius, aut sola successio unius ad aliud in tempore aut spatio, uti saepe probatum est.

Nihilum conversionem positivam nequit terminare.

Neque quod est et non fit.

Sola extrinseca ordinatio desitionis unius ad perseverantiam alterius in esse ad conversionem non sufficit.

34. Supponamus desitionem unius ordinari ab agente extrinseco ad exsistentiam aut ad perseverantiam exsistentiae alterius. Quidquid Theologi aliqui dixerint, neque hoc ad veram conversionem satis est. Iuxta hanc doctrinam, si Deus v. g. vellet decreto mere extrinseco ut, quidquid desinit, convertatur in id quod exsistit; iam omnes res desinentes converterentur in omnes res exsistentes: quod quam absonum sit, nemo non videt. In hac hypothesi essentia conversionis penderet a libera Dei voluntate. Hoc Cartesianum quidem est, sed a veritate alienum; essentiae enim rerum sunt absolutae et immutabiles, et liberum omne Dei decretum praetergrediuntur, uti vel Ontologiae Tirones non ignorant. Praeterea ubi tantum extrinsece, quod desinit, ordinatur ad esse aut conservari eius, quod exsistit, neque proprie datur ulla actio conversiva, neque unius desitio et alterius perseverantia in esse ullo modo, si daretur, ab illa actione attingerentur. Quomodo igi-

tur dari poterit conversio inter haec, aut alterum eorum dici vere et physice in aliud conversum? Meminerimus ab actione conversiva conversionem omnem pendere. Heic solum daretur extrinseca voluntas aut intentio agentis quae, quidquid sit utrum sufficere posset ad extrinsecam quandam denominationem rei desinenti et alteri perseveranti in esse conferendam, certe ad veram et physicam conversionis rationem minime sufficeret.

35. Neque iterum dici potest actio conversiva attingere vere et physice terminum, non *ad quem* producendo, sed tantum *a quo* ipsum intime immutando ita, ut adducatur ad hoc, ut sit terminus *ad quem* praeexsistens et immutatus. Haec enim opinio, uti in secunda thesi ubertim ostendimus, nisi reducatur ad communem sententiam, gravissimis incommodis non solum philosophicis, sed etiam theologicis est obnoxia, et fidei catholicae videtur esse inimica. — Si demum supponamus actionem conversivam attingere quidem terminum *ad quem*, ipsum adducendo de loco in locum; hoc quamvis posset sufficere ad aliquam conversionem, adeoque ad conversionem, ut sic, quia reapse datur aliqua productio aut novi loci, si modus physicus intrinsecus locus sit, aut saltem novae unionis productio; tamen, uti mox videbimus, ad substantialem conversionem nequit sufficere. Actio enim adductiva eiusque productio, si datur, sibi identicam relinquunt substantiam praeexsistentem, nec ullo modo attactam ab actione conversiva. Non potest igitur huius terminus dici. — Superest ut actio conversiva, qua talis, sit sui termini productiva, et actio substantialiter conversiva sit actio productiva termini substantialis.

Neque sufficit actio, quae attingeret positive terminum *a quo*, et nullo modo terminum *ad quem*.

Neque actio adductiva termini *ad quem*.

Requiritur actio productiva termini *ad quem*.

36. Age iam actio substantialiter productiva cogitari potest versari circa terminum praeexsistentem duplici pacto: videlicet ut illum attingat productive vel *in illo eodem loco*, *in quo praeexsistit;* vel *in alio loco in quo*, *exsistens alibi*, *non praeexsistit.* In priori casu, si circa unam et eandem rem, praeter actionem conservativam, daretur alia actio productiva, haberemus unum eundemque effectum a duplici et distincta sive causa et causalitate adaequata produci, sive saltem, si una et eadem sit causa dupliciter agens, ab duplici distincta causalitate adaequata. In altero, haberemus duplicem distinctam aut causam et causalitatem adaequatam, aut solum duplicem distinctam causalitatem adaequatam ponentem *bis* eundem effectum, semel conservative in uno loco, et iterum vel *secundo* productive in alio. Quamvis vero utrumque hoc connaturaliter repugnet, non repugnare tamen absolute ac per miraculum fieri posse mox demonstrabitur.

Rei iam existentis duplex nova productio possibilis, non connaturaliter sed supernaturaliter.

37. Quaerimus: Sufficiat necne utrumque ad veram conversionem. Si idem ponatur *bis*, aut alibi exisistens, ponatur *hic* ex vi actionis conversivae alterius in ipsum, positioni in hoc loco ad veram conversionem nihil deerit. Huiusmodi enim positio et exsistentia in hoc loco, eo ipso quod non habetur nisi ex vi actionis conversivae, et in se continet quidquid ad veram conversionem fuit unquam iure requisitum, non poterit saltem ab analogico conversionis genere excludi. Si vero duplex actio adaequata et

Utraque sufficiens ad veram conversionem, utique supernaturalem, in quibusdam saltem circumstantiis.

distincta attingat et ponat semel seu in uno tantum loco eundem effectum, disputari sane poterit: num vera conversio hic locum habeat necne. Si in aliquibus conditionibus, in quibus attactus rei praeexsistentis et immutatae posset esse connaturalis ratio desitionis termini *a quo*, dici posset dari conversio; tunc vero non diceretur utcumque dari, nisi ex vi actionis productivae. Illa enim non esset vera conversio, quatenus res exsistens influxu mere conservativo attingebatur, sed quatenus de novo attingeretur influxu productivo ex alio, determinante desitionem simpliciter termini *a quo*. Ceterum cum facta hypothesis connaturaliter repugnet, connaturaliter etiam repugnat istaec conversio; aliunde indicium nullum est, si de facto loquamur, fuisse unquam patratum tale miraculum.

Ad veram productionem, ut sic, non requiritur *prima* productio termini *ad quem*, et *secunda* sufficit.

38. His constitutis, concedimus quidem adversariis ad veram conversionem, ut sic, non requiri *primam* productionem termini *ad quem*, cum satis esse possit productio *secunda*, seu ut ponatur *bis* aut *secundo* idem in alio loco: qua de causa in superioribus saepe diximus productionem termini *ad quem* esse *aliquo modo* requisitam. Verum negamus non requiri saltem productionem secundam, aut reproductionem eiusdem, sive simpliciter in alio loco, sive secundum modum procedendi ex alio. Atque, eodem pacto, concedimus quidem aliquid omnino idem, si secundo productum sit, veram conversionem posse terminare; quia cum detur nova dependentia, aut causalitas, aut actio, vi cuius illud idem prius exsistens fit aut ponitur ex alio, ut ex termino *a quo* saltem extrinseco; fit aut ponitur ex vi actionis conversivae, et est terminus *ad quem* conversionis, non quatenus idem est, sed quatenus ex vi novae dependentiae aut actionis ex alio fit, et est illud, in quod aliud conversum est. Quod cum locum non habeat, ubi praeexsistens non producitur *secundo*, ac tantum *idem sibi est*, fit ut omnino negandum sit id, quod ante et post conversionem unice idem sibi est, posse esse aut conversum in aliud, aut esse id, in quod aliud conversum est. Christus demum in eucharistia et praeexsistens conversioni est, et substantialiter identicus sibi est. Sed cum ex vi consecrationis producatur *secundo* ex pane, tanquam ex termino extrinseco, sub speciebus consecratis, verissime et perfectissime et divinissime est id, in quod panis convertitur; verum non quia idem sibi aut praeexsistens est, sed quia *secundo* productus est, ac *bis* ex pane est positus.

Qua ratione Christus praeexsistens est in eucharistia terminus conversionis.

Secunda ratio.

39. *Secundo ratio.* — Si conversio eucharistica non praeseferret actionem aliquo modo productivam ipsius substantiae corporis Christi, illa conversio deberet sufficienter posse explicari per solam actionem adductivam; probavimus enim, praeter actionem aut productivam, aut adductivam, non dari aliam, quae posset in re praesenti probabiliter invocari. Atqui actio adductiva revera non sufficit ad conversionem eucharisticam rite explicandam. Enimvero: — α) actio adductiva universim inspecta, si circa substantias exerceatur, nihil aliud confert aut potest conferre, nisi Translationem quandam substantiarum, quarum unam saltem de loco in

Actio adductiva non sufficit ad conversionem eucharisticam rite explicandam universim inspecta.

locum quodammodo adducit. Translocatio autem substantiarum, sive audiamus Ecclesiam definientem aut declarantem: *substantiam heic converti in substantiam — panem transsubstantiari in corpus Christi — conversionem hanc convenienter et proprie appellari Transsubstantiationem;* sive consulamus totam traditionem usque adeo, prae omnibus aliis, conversionem hanc extollentem; non videtur revera sufficere ad huius conversionis rationem reddendam. Si enim transsubstantiatio aut conversio eucharistica nihil esset aliud quam translocatio, formaliter non materialiter inspecta, inter omnes conversiones esset minima; uti translocatio minima est inter omnes mutationes, quae sunt: *ad substantiam — ad quantitatem — ad qualitatem — ad locum —.* Quomodo autem hoc eum laudibus et praerogativis conversionis eucharisticae recte componatur, non satis apparet. Adde quod, si translocatio recte dicitur conversio locorum, non recte videtur diei conversio neque substantialis, ut clarum est, neque substantiarum. Si dici deberet substantiarum conversio quod, volente Deo, Christus huc fertur, ut sit loco panis desinentis; quaecumque alia substantia occuparet locum alterius substantiae destructae in eum etiam finem, ut illa huius locum occupet, esset id, in quod illa substantia destructa esset conversa. Hoc autem videtur esse praeter omnium opinionem.

Translocatio conversionum minima.

40. — β) Si actio adductiva accipiatur speciatim prout a praecipuis suis patronis declaratur, neque sic ad intentum videtur sufficere. Huiusmodi actio, prout intelligitur a Bellarmino et Vasquesio, Scotum sequutis, in tantum converteret totam substantiam panis in substantiam corporis Christi, in quantum praecise ex vi talis actionis, Deo sic volente, ipsum esse corporis Christi succederet τῷ esse substantiae panis desinentis sub speciebus, per accidentalem quandam ordinationem aut unionem cum ipsis; iuxta Valentiam vero et Lugonem, in quantum ex vi illius actionis esse corporis Christi succederet substantiae panis desinentis in munere sustentandi accidentia loco illius substantiae. Atqui neutra explicatio revera sufficit. In priori sententia non habetur, nisi sola successio esse unius post non esse alterius in eodem loco ex solo extrinseco Dei decreto. Huiusmodi autem successio exhibet quidem transitum unius et eiusdem substantiae de loco in locum, seu de suo loco in locum alterius, non autem unius substantiae in aliam substantiam conversionem. Nec quidquam prodest, quod prior substantia desinit simpliciter. Hoc enim in hac sententia est mere per accidens. Ex natura rei ut una substantia alteri in loco succedat, satis est, ut haec loco pellatur; eius interitus necessarius non est. Tum utraque substantia, per miraculum, esse posset penetrative in eodem loco. Exclusio igitur prioris a suo loco proprie non requiritur, nisi ut habeatur successio unius post aliam. Ad hoc autem abunde sufficit, ut prior locum mutet, et non requiritur ut simpliciter desinat. Desitio simpliciter prioris est igitur prorsus accidentalis, nec ad conversionis quidditatem potest aliquid conferre. Quod clarius longe ex eo patet, quod ipsi ponunt ex solo extrinseco Dei decreto substantiam panis simpli-

Non sufficit speciatim.

Prout a Scoto, Bellarmino, Vasquesio intelligitur.

citer desinere. Quidditates autem rerum rationem suam a liberis Dei decretis non mutuantur. In hac igitur sententia, uti in aliis superius reiectis, conversio eucharistica videtur obiective negari, non explicari.

Prout intelligitur a Valentia et de Lugo.

41. In sententia Valentiae et Lugonis, praeter localem quem diximus transitum, agnoscitur quodammodo transitus accidentium ex substantia panis in substantiam corporis Christi *active* seu *efficienter* ac *sine inhaerentia* accidentia illa conservantis. Neque hoc ad substantialem conversionem seu ad eucharisticam conversionem sufficit. Heic enim, praeter translocationem, occurrit quaedam transaccidentatio, non autem substantialis conversio. Si vera loqui volumus, in tali munere substantiale nihil est, praeter ipsam Christi substantiam, quod substantialem conversionem posset denominare; influxus enim ille, cum non attingat nisi sola accidentia, et quidem mere instrumentaliter, necessario est accidentalis. Adde quod si forte Christus non sustentat de facto accidentia, quod non est improbabile; vel si Deus solus quasi *creative* accidentia sustentat, quod aliqui contendunt, panis de facto non esset conversus in corpus Christi, sed quodammodo in Deum. Itaque sententiae istae, quamvis probabiliter conentur satisfacere iis, quae de conversione eucharistica in revelatione continentur; revera minus conformes sunt doctrinae fidei prae sententia explicante conversionem eucharisticam per productionem quodammodo ipsius substantiae corporis Christi sub speciebus, ac porro haec prae illis est simpliciter eligenda.

Speciatim notanda in modo loquendi P.Vasquez et P.Valentiae.

42. In his de actione adductiva refellendis sententiis nihil diximus de speciali illo loquendi modo P. Vasquesii, constituentis formaliter eucharisticam conversionem in relatione rationis consequente desitionem panis ad positionem substantiae corporis Christi sub speciebus ex vi individuae significationis verborum formae. Non meminimus item radicalem illam unionem corporis Christi cum accidentibus, quam sine fundamento fingit P. Valentia, ac traducit pro substantiali modo corporis Christi, vi cuius substantialiter ordinatur ad accidentia panis sustendanda. Non erat nobis mens sententias istas pressius insectari, cum pluries et acriter etiam fuerint impugnatae: sed, cum pateat eas minus esse aptas explicandae transsubstantiationi, invat suae relinquere probabilitati, quam ex nomine auctorum magis, quam ex re ipsa derivant. Notamus in sententia P. Vasquesii conversionem eucharisticam ad lusum rationis reduci, quando tota Ecclesia agnoscit *conversionem realem*. P. autem Valentia, quod in naturalibus conversionibus terminus formalis *ad quem* semper succedit termino formali *a quo* in aliquo munere circa tertium, non recte colligit in huiusmodi *sola* successione totam conversionis, ut sic, rationem consistere. Si id in naturalibus conversionibus invenitur, non est tamen *totum id*, quod in iis invenitur. Praeter successionem in munere circa tertium, invenitur in iis etiam productio, *ut quod*, termini totalis, et productio plerumque *ut quo*, termini formalis, ad quam productionem munus illud quodammodo consequitur.

43. *Tertia ratio.* — Si transsubstantiatio non deberet explicari per actionem productivam ipsius substantiae corporis Christi sub speciebus, quae usque adeo doctrinae revelatae est consentanea; deberet dari in hac sententia, prout a nobis in fine partis tertiae huius disquisitionis fuit declarata, grave aliquod inconveniens. Age huiusmodi inconveniens nullum est. Si quod esset inconveniens, illud esset vel quod ponimus Christum, uno loco praeexsistentem, alio in loco rursum produci; vel quod ponimus rursum produci aut reproduci non sine influxu instrumentali ipsiusmet Christi, ut in alio loco exsistentis; vel demum quod ponimus Christum in alio loco reproduci sine ulla intrinseca sui mutatione, neque substantiali neque accidentali, sed cum mutatione sola quadam extrinseca. Haec enim habentur in nostra sententia, ceu praesentem controversiam spectantia: reliqua in superioribus fuerunt satis discussa. Iam vero haec grave nullum inconveniens revera constituunt.

Tertia ratio.

Nullum inconveniens in explicatione nostra.

44. *Prob. 1.ª min. pars.* Si non repugnat unum eundemque individuum effectum totalem produci duplici totali causa aut causalitate, non repugnat ac nullum est, ex hoc capite, inconveniens, ut Christus, uno loco exsistens, rursus producatur idem in individuo in alio loco. Verum antecedens. Ergo et consequens. Nexus maioris propositionis facile percipitur. Si enim demus unum eundemque totalem effectum in individuo posse produci duplici causa aut causalitate totali seu adaequata, praesertim si haec diversa sit et non solum distincta; unicum quod posset obstare reproductioni eiusdem individui effectus in diversis locis esset vel ipsa multiplex localis exsistentia unius eiusdemque rei; vel defectus aliquis in causa quae, praeter actionem ad effectum producendum heic elicitam, deberet etiam aliam elicere ubi effectus reproducendus est. Iam vero adversarii, cum quibus disputamus, vel simpliciter primum tuentur, vel saltem dant non repugnare ut una eademque res in diversis exsistat locis, si de corporibus loquamur, in uno loco *circumscriptive*, in alio *definitive*, id est, in uno cum ordine ad locum, in altero sine tali ad locum ordine: hoc autem in re praesenti satis est. Aliunde vero causa, quae in alio loco deberet actionem repetere, divina virtus est. Haec autem, cum non adaequetur ac minus multo exhauriatur ab effectu in uno loco producto et sit ab omnibus locis independens, potest certe elicere aut repetere actionem in alio loco, vi cuius possit haberi ille idem individuus effectus, qui alibi exsistit. Hoc enim evidenter non superat divinam potentiam, si res in seipsa non pugnat. Non pugnat autem, si idem individuus effectus haberi potest duplici actione aut dependentia totali, praesertim si haec diversa sit. Hoc nos haberi posse asserimus: hoc ergo probandum.

Non repugnat unum eundemque individuum effectum duplici actione produci.

Dant adversarii posse unam et eandem rem duplici loco exsistere.

Rem poni in duplici loco non superat divinam virtutem.

45. *Prob. min.* Posse eundem effectum duplici diversa dependentia universim haberi est evidens. Possum attollere idem pondus usque ad determinatam altitudinem vel solo brachio et manu, vel medio aliquo instrumento: eadem impulsio secundum directionem, intensitatem etc. potest fieri ab uno vel ab alio homine in

Universim idem effectus potest haberi duplici actione diversa.

eodem corpore, vel etiam a bruto aut ab alia causa mere mechanica. Universim actio dicit habitudinem essentialem ad principium et ad terminum, et haec actio ad hoc principium et ad hunc terminum, cum haec actio non sit nisi ab hoc principio, et sit hic terminus in fieri. Verum terminus universim inspectus, si non sit sermo de actibus vitalibus, non dicit habitudinem essentialem ad principium et consequenter ad actionem ; sed potest dicere ad utrumque habitudinem vel solum connaturalem, vel stricte contingentem. Sic idem individuus homo potest produci vel generatione naturali a parentibus, vel per immediatam creationem a Deo.

Et duplici actione *totali.*

46. Posse vero eundem individuum effectum haberi duplici diversa actione aut causalitate totali probatur sequenti pacto. Potest idem totalis effectus produci totaliter *totalitate effectus:* — α) a duplici causa partiali eiusdem ordinis ; v. g. visio aut intellectio a specie proportionata et a potentia visiva aut intellectiva : — β) a duplici causa partiali diversi ordinis; v. g. actus supernaturalis a gratia et ab intellectu aut a voluntate : — γ) a duplici causa diversi ordinis, quarum utraque tum totalis sit totalitate effectus, tum dici possit *totalis totalitate causae in suo ordine*, quemadmodum in *Disputationibus Metaphysicis* late docuimus [1] ; v. g. a causa prima et a causa secunda. Ergo potest etiam idem effectus totalis produci a duplici causa totali totalitate causae aut causalitatis, et quidem a duplici causa eiusdem ordinis, vel ab una et eadem causa sed duplici actione totali aut adaequata, si haec actio eius virtutem non exhauriat.

Causa totalis totalitate effectus.

Et totalitate causae.

47. *Prob. consequentia.* Si in hoc casu difficile quid est, id plane est, quod videtur dari actio, qua nihil producitur, eo ipso quod id, quod producitur, unica actione poterat produci. Atqui hoc etiam locum habet sive in causa partiali partialitate causae eiusdem aut diversi ordinis, sive in causa totali totalitate causae in suo ordine, quamvis non in omni ordine, si id, quod producitur, totum totalitate effectus ab iis producitur. Actio enim illa vel ille influxus, *quo producitur id ipsum, quod producitur partialiter aut totaliter in suo ordine ab alia concausa*, vel dici debet actio aut influxus, quo nihil producitur ; vel si, hoc non obstante, quod effectus reapse fit ab utraque causa, non datur actio partialis eiusdem aut diversi ordinis, vel totalis in suo ordine, qua nihil producitur ; et neque dabitur actio totalis, qua nihil producitur, in hypothesi duplicis actionis totalis aut adaequatae, qua unus idemque individuus producitur effectus. Plane uti in hoc casu producitur una actione totali illud idem, quod totali altera actione producitur ; ita, in prioribus casibus, partialiter partialitate causae aut ordinis producitur ab una causa illud idem totum, quod partialiter etiam partialitate causae aut ordinis producitur ab alia. Ergo stat omnino paritas, atque adeo consequentia.

Non datur actio, qua nihil producitur, in hypothesi duplicis actionis totalis ad eundem effectum terminatae.

---

[1] Piccirelli, *Disputationes Metaphysicae*, De Deo, *Disp. 3. q. 3. Sect. 3. § 2. nn. 224-225.*

48. Praeterea ratio, quare dari potest influxus duarum causarum partialium partialitate causae aut ordinis in eundem totalem effectum, est quod istae causae attingunt quidem aut producunt eundem omnino totalem effectum, sed sub diversa formalitate. Sic potentia v. g. attingit visionem aut intellectionem, quatenus vitalis aut vita est in actu secundo; species vero eandem rursum visionem aut intellectionem attingit, quatenus repraesentativa aut assimilatio est obiecti visibilis aut intelligibilis: potentia naturalis attingit totum eundem actum supernaturalem, quatenus vitalis aut liber est; gratia item totum, sed quatenus supernaturalis est: creatura attingit totum effectum, quatenus est *tale ens*; Deus aut causa prima, quatenus formaliter est ens. Atqui idem individuus effectus attingi potest sub diversa formalitate vel a duplici causa totali aut adaequata eiusdem ordinis, vel ab una quidem causa sed duplici causalitate totali aut adaequata. Hoc pacto Deus potest supplere influxum causae secundae, effectum attingendo non solum sub formalitate causae primae, sed etiam sub formalitate causae secundae, atque subinde esse *causa unica*: simili ratione potest duplici actione totali attingere unum eundemque effectum in uno loco, vel illum eundem effectum actione una in uno loco, et in alio loco actione altera.

Idem effectus, potest produci a duplici causa sub diversa formalitate.

49. *Prob.* 2.ª *min. pars.* — Si grave aliquod inconveniens esset in eo, quod Christus, exsistens in coelo, concurrit instrumentaliter ad seipsum individuum reproducendum in Sacramento; illud plane haberetur quod, in hac hypothesi, idem in individuo esset simul causa et effectus suimetipsius, et consequenter esset et simul non esset, esset a seipso distinctus et non distinctus, seipso prior et posterior, influeret in se esse et non influeret. Atqui haec nullum sunt inconveniens, ubi agitur de reproductione unius et eiusdem entis; quia non verificantur sub eodem respectu, nec proinde sunt contradictoria. Christus enim, ut exsistens in coelo, est aliquo modo causa sui in Sacramento, adeoque secundum quid, seu ut *primo* exsistens, ut praeexsistens, ut causans, ut in coelo, est aliquo modo prior et distinctus a se, ut causato, in sacramento, *secundo* exsistente: quibus rationibus est quodammodo, seu secundum quid, sui effectus, id est, ut *bis* aut *secundo* exsistens, ut in Sacramento, ut causato aut secundum novam dependentiam, quam hic dicit; substantia enim secundum omnem sui rationem intrinsecam, specificam et individualem, una eademque est hic et in coelo.

Quo sensu Christus esse potest sui causa et effectus, prior et posterior etc.

50. Hanc totam doctrinam, non solum videlicet reproductionis corporis Christi in eucharistia, quod parte secunda huius disquisitionis exponendo doctrinam D. Thomae satis probavimus; sed etiam reproductionis corporis Christi cum concursu instrumentali ipsius humanitatis Christi, ut *primo* aut in coelo exsistentis: hanc, inquam, totam doctrinam Angelicus Doctor tradit, tum ubi universim docet influxum humanitatis Christi, ceu Verbi instrumenti coniuncti, ad omnia opera mira, et ad omnes gratiae effectus[1]; D. Thomas.

[1] D. Thomas, *Summ. Theol. 3. p. q. 13. a. 2.—q. 43. a. 6.—q. 56. a. 1. ad 3.um* etc.

tum speciatim ubi ait : « Dicendum quod opera miraculosa nulla creatura potest facere quasi agens principale ; potest tamen ea facere instrumentaliter, sicut ipse tactus manus Christi sanavit leprosum. Et per hunc modum verba Christi convertunt panem in corpus Christi. Quod quidem fieri non potuit in conceptione corporis Christi, qua corpus Christi formabatur, ut aliquid a corpore Christi procedens haberet instrumentalem virtutem ad ipsius corporis formationem »[1]. Nota verba S. Doctoris : *Per hunc modum* (instrumentaliter) *verba Christi convertunt panem in corpus Christi, sicut ipse tactus manus Christi sanavit leprosum.* Ex S. Doctore tactus manus Christi sanavit leprosum instrumentaliter quidem, sed efficienter. Praeterea apertissime insinuat posse Christum per verba formae nunc agere ad conversionem panis in corpus suum, quia iam exsistit ; non potuisse autem concurrere ad primam conceptionem corporis sui, *quia tunc formabatur*, et consequenter non erat.

Obiectio ex de Lugo.

51. *Dices :* Si Christus *primo* exsistens potest concurrere instrumentaliter ad se reproducendum ; pari ratione posset quis dicere Deum exsistentem a se posse a seipso reproduci ; vel Filium aut Spiritum Sanctum, exsistentes per generationem et spirationem activam, posse se reproducere per novam quandam actionem. Haec autem absurdissima sunt. Sic Cardinalis De Lugo ![2]

Solvitur.

52. *Respondeo :* Pace tanti viri, doctissimi sane ac peracuti, mirum omnibus videbitur haec ab ipso fuisse conscripta. Nulla enim paritas est aut consequutio inter assertionem et principia nostra et exempla ab ipso allata. Haec respiciunt ens a se sub ratione aseitatis, et personas divinas quae, quamvis procedant, sunt tamen ipsum ens a se. Enti autem a se absolute et ex sese, non autem ex vi causalitatis, repugnat productio aut reproductio : personis item divinis Filii et Spiritus Sancti, utpote procedentibus ad intra ex naturali necessitate ipsius essentiae, repugnat etiam absolute *secundo*, aut aliter, ac multo magis per proprie dictam causalitatem produci. Ast assertio et principia nostra respiciunt Humanitatem Christi ; cui, *utpote creatae*, reproductio ex vi sui conceptus non repugnat ; *utpote exsistenti actu in uno loco*, non repugnat concurrere ad sui exsistentiam, quam debet accipere in alio loco, uti ex allatis probationibus satis intelligitur.

Christus reproductione neque acquirit, neque amittit perfectionem substantialem.

53. *Prob. 3.ª min. pars.* — Si Christus, ex vi reproductionis sub speciebus panis et vini, nullam intrinsecam perfectionem neque substantialem neque accidentalem amittit, nullam etiam acquirit ; nullum inconveniens est esserere ipsum reproduci absque ulla mutatione sive substantiali sive accidentali ; omnis enim mutatio intrinseca acquisitione aut amissione alicuius esse aut perfectionis intrinsecae unice obtinet. Atqui ita est. Quod neque acquirit neque amittit ullam intrinsecam perfectionem substantialem, tum in fide catholica est, tum omnes fatentur. Ceterum cum actio reproductiva tendat ad ponendum sub speciebus illud idem substan-

[1] *Idem, Ibidem, q. 78. a. 4. ad 2um.*

[2] De Lugo, *De Sacramento Eucharistiae, Disp. 7. Sect. 2. n. 24.*

tiale individuum, quod est in coelo, non est unde perfectio aliqua substantialis aut acquiratur, aut amittatur. — Eodem pacto certum est atque apud omnes ratum Christum sub speciebus non amittere ullam perfectionem accidentalem intrinsecam. Nam, uti communis cum D. Thoma[1] doctrina est, Christus cum omnibus intrinsecis accidentibus heic ponitur. Si vero ponitur ad modum spirituum seu sine ordine ad locum extrinsecum; huiusmodi accidens, uti probavimus, extrinsecum quid est, nec intrinsecae Christi perfectioni quidquam aufert. Ostenditur tandem ipsum accidentalem nullam intrinsecam perfectionem acquirere. Non enim acquirit, nisi: — α) *Novam dependentiam* ex vi novae causalitatis. Dependentia autem extrinseca est termino dependenti, utpote ab ipso saltem realiter-modaliter distincta ac separabilis: — β) *Novum esse sacramentale*, seu habitudinem ad species, in unione aut mere effectiva aut, iuxta aliquos, formali, sed certe non recepta in Christi corpore, praecipue fundatam. Haec autem ad species habitudo extrinseca est: — γ) *Novam tandem praesentiam localem.* Ostendimus vero praesentiam localem, seu *ubi* in actu secundo, esse modum extrinsecum.

Nullam amittit perfectionem accidentalem intrinsecam.

Nullam item acquirit.

54. *Dices:* Si actio, in qua consistit conversio eucharistica, est productiva; quaero an per illam de novo producatur substantia, vel non. Si non; ergo erit productiva et non productiva substantiae, quod est contradictorium. Si secus; explica, quaeso, mihi quomodo substantia de novo hic producta est numero eadem cum illa, quae fuit producta in Incarnatione. Nam sicut actio consecrativa est penitus independens ab actione generativa in utero Virginis, videtur de necessitate sequi quod esse substantiale, ad quod terminatur actio consecrativa, est penitus independens ab esse substantiali, quod fuit terminus Virginalis conceptionis. Et quale tandem erit illud ens numero unum plura habens esse substantialia, a se invicem perfecte independentia; ens numero unum, quod posset annihilari in uno loco, quin annihiletur in altero, vivere hic et simul mori illic; uno verbo, simul in se suscipere quaelibet praedicata contradictoria secundum varias exsistentias, quas in variis locis habere supponitur? Consequentias sui principii patroni actionis productivae vident et non reformidant..... Haec profecto dura sunt, et conceptu valde difficilia. Dicet fortasse aliquis esse in huiusmodi nimias inquisitionum subtilitates. Equidem posset admitti, nisi ageretur de consequentiis, quae immediate fluunt ex positis principiis. Non est autem nimia inquisitionis subtilitas si quis, priusquam admittat principia, inquirat de consequentiis eorum[2]. — Haec prope tot verbis adversarii.

Obiectio.

55. RESPONDEO: 1.° *generatim.* Adversarii, praeiecta commentatione, difficilia plura abs dubio colligunt; sed in iis colligendis dupliciter peccant. Et primo quidem peccant asserendo, *omnia illa* esse consequentias necessarias, ex actione productiva derivandas.

Solvitur generatim.

Adversarii peccant dupliciter.

---

[1] D. Thomas, *Summ. Theol. 3. p. q. 76. a. 4. corp.*

[2] Vide supra, *Part. 3. sect. 1. n. 1. seqq.*

Peccant secundo supponendo, congestas illas difficiles quaestiones a solis patronis actionis productivae esse solvendas. Et ad primum quod attinet, difficile sane explicatu est, quomodo adversarii potuerint exhibere tanquam consequentias actionis productivae Christi sub speciebus difficiles quaestiones illas, quae oriuntur non *ex modo, quo Christus fit praesens, sed ex ipso reali esse in duobus aut pluribus locis.* Inquisitio enim: Utrum Christus prout est in coelo et simul est in eucharistia, sit unus an multiplex; eadem necessario agat vel patiatur in utroque loco, an secus etc., non oritur ex modo, quo Christus, exsistens in coelo, fit realiter praesens in eucharistia; sed ex ipsa reali praesentia in coelo et in eucharistia. Si enim Christus est realiter in coelo et simul est realiter in eucharistia, quidquid sit de modo quo realiter fit in eucharistia praesens, quaestiones illae necessario oriuntur.

Difficiles quaestiones plures non oriuntur ex modo, quo Christus fit praesens, sed ex ipsa reali praesentia in eucharistia.

Admittunt solutiones varias.

56. Neque vero, quaestionibus exortis, quod quis tenet Christum in eucharistia praesentem fieri actione productiva, sequitur necessario subiiciendas ipsi esse quaestionibus illis responsiones, quae ex Suaresio, aut Lessio, aut Coninck, aut ex Doctore alio quolibet possent exscribi, praesertim si non ex mente horum Doctorum in medium afferantur. Atque facto ipso patet plures ex iis, qui actionem productivam conferta acie propugnant, ad hanc aut illam illarum quaestionum aliter et aliter respondere. Quaestiones illae sicut in alio, quam in modo quo Christus fit in eucharistia praesens, proprie fundantur; sic etiam earum solutio ex pluribus aliis pendet principiis.

Snnt solvendae ab omnibus, qui praesentiam realem Christi in eucharistia tuentur.

57. Atque hinc ulterius fit *secundo*, difficultates illas non esse solorum patronorum actionis productivae; sed esse omnium omnino, quotquot credunt et docent Christum, peracta consecratione, esse vere, realiter ac substantialiter praesentem in eucharistia. Sive enim dicatur praesens fieri actione productiva, sive actione adductiva, sive, si non repugnaret, actione positive immutativa substantiae panis in ipsum, sive aliter; quandoquidem, illa praesentia data, Christus simul esset realiter in coelo et in hostia consecrata, non autem in spatio interiecto, explicandum superest: Num, prout est sub speciebus, sit independens necne, alius necne a seipso, prout est in coelo; possit aut debeat necne in utroque loco eadem agere aut pati, et quomodo. Quae omnia longis disquisitionibus viam sternunt.

Solvitur speciatim.

58. *Respondeo*: 2.° *speciatim.* Quaerunt adversarii: An per conversionem, productiva actione explicatam, *de novo* producatur substantia, vel non. Eligimus primum membrum cum distinctione. *De novo*, id est, *nova productione* producitur eadem substantia; non vero illa productione producitur *nova substantia.* In nostra sententia actio, aut dependentia, aut productio, est *nova;* substantia autem non est nova, sed est *illa eadem Christi substantia, quae nata est de Maria Virgine, et nunc est in coelo:* aut si cui placet, dicat: est *nova* substantia *hic* aut *in hoc loco*, ubi prius non erat; non est *nova in se*, quia iam alibi eadem erat in individuo, uti legimus in S. Bonaventura.

Christus producitur *nova* productione; sed non producitur *novus* Christus.

59. Instant adversarii: Quomodo substantia de novo, id est, nova productione aut actione producta, est numero eadem cum illa, quae fuit producta in Incarnatione? — Hoc a nobis iam declaratum est. Est eadem, quia idem individuus effectus haberi potest duplici actione aut productione diversa. Idem individuus homo potest generari a parentibus, et idem ille creari a Deo: uti nunc, de facto, idem individuum esse primo producitur actione productiva a causa secunda et a causa prima, ac subinde actione conservativa a solo Deo conservatur. Hinc patet male adversarios arguere: Actio consecrativa est independens ab actione generativa in utero Virginis. Ergo etiam substantia per consecrationem producta. Actio conservativa Dei est independens ab actione productiva causae secundae, et tamen terminus ab hac non est independens, et Petrus, conservatus a solo Deo, est ille idem Petrus, qui fuit generatus a parentibus. Universim vero argumentum invertitur in quacumque sententia. Actio conversiva, sive dicatur adductiva sive positive immutativa substantiae panis in Christi corpus, est independens a generatione in utero Virginis. Ergo ipsum etiam Christi corpus est independens. Illegitima consequutio. Itaque dependentia termini, hac aut illa actione *primo* producti, non excluditur ab ipso termino, si *secundo* idem omnino producatur nova dependentia aut actione, sed excluditur solummodo ab hac actione. Ad rem vero quod spectat iam diximus in superioribus, nostra de sententia, Suaresii et aliorum, Christum, prout est in eucharistia, dependere a seipso, prout est in coelo et fuit in utero Virginis, non absolute aut essentialiter, sed hypothetice et connaturaliter. Primum, quia actio, qua nunc in eucharistia ponitur, esset sufficiens ad ipsum *primo* ponendum, etiamsi alibi non esset, imo nunquam fuisset. Secundum, quia actio istaec, quod vim et efficaciam habet ex institutione Christi, et ipsum ponit, prout est in coelo et fuit in utero Virginis, Christum ipsum supponit et connaturaliter exigit.

Christus est idem, qui natus de Virgine est.

60. Ulterius falsum est quod aiunt adversarii, in sententia nostra, Christum unum eundemque numero habiturum plura esse substantialia. Christus unus idemque est ubique numero, seu secundum individualem differentiam, quamvis individualiter idem sit localiter bis, ter, quater, centies. Meminerimus numerum universim esse: *Multitudinem mensuratam per unum.* Si numerus sit Mathematicus, non requirit multitudinem et unitatem nisi in sola quantitate discreta. Si numerus sit Transscendentalis, multitudinem et unitatem requirit in naturis, quae conveniant genere aut specie, et differant in individuo: sic dicimus tres res, tres arbores, tres homines. Ubi ergo natura est individualiter una, etiamsi multiplicetur, non dabit numerum Transscendentalem, sed solummodo mathematicum. Quare si centies multiplicetur, non erunt centum naturae, sed una natura centies replicata. Hoc est quod locum habet in Eucharistia. Atque hinc, si ea praescindimus, quae sunt stricte localia quaeque, in omnium sententia, simul cum locis multiplicantur; reliqua, quae subiectum respiciunt indepen-

Christus unus idemque secundum individuam substantiam; quamvis, secundum hanc, sit bis, ter, centies.

Quid connaturaliter, quid absolute dicendum de actionibus et passionibus.

denter a loco, connaturaliter loquendo, identica sunt, ubicumque datur idem subiectum. Loquendo autem de potentia absoluta, si res aliunde non repugnet intrinsece, ex solo capite identitatis subiecti nihil officit, quominus aliquid, subiectum respiciens, in uno loco inveniatur et non in alio. Absolute loquendo, Deus potest conservare idem subiectum in uno loco vivum, in alio mortuum, uti conservat connaturaliter prius vivum, et postea mortuum. Absolute enim non repugnat, ut Deus in uno loco ponat totam illam actionem, quae ad hominem vivum conservandum requiritur, et in alio loco illam actionem, quae ad conservandum eundem hominem mortuum est necessaria, et sic de aliis. Verum haec et similia pleniorem proprioremque exigerent disceptationem, quam apud laudatos saepe auctores in omnem variumque sensum reperies.

Ultima obiectio.

61. *Dices tandem:* Si conversio eucharistica explicanda esset per actionem productivam, quatenus ad productionem corporis Christi sub speciebus destruitur tota substantia panis; praesertim si permanentia specierum non sit requisitum essentiale ad habendam conversionem, esset admittenda duplex conversio totius substantiae in substantiam: una panis in corpus Christi, altera ipsius corporis Christi in id, quod ei desinenti succedit, quod est contra Tridentinum dicens: *mirabilem illam ac singularem conversionem.* Loquendo enim in principiis actionis productivae quando contingit corrumpi species in stomacho, habetur destructio totius substantiae corporis Christi quantum ad esse replicatum, quod in consecratione accepit; habetur praeterea productio novae substantiae; habetur demum nexus et ordo inter productionem unius et desitionem alterius. Ergo nihil deest ad Transsubstantiationem, prout illa explicatur.

Responsio. Hypothetica conversio Christi in aliud non sufficienter excluditur verbis Tridentini.

62. Respondeo: Esto, supponamus dari conversionem illam, quam quidam concedunt. Notandum est, eam non sufficienter posse excludi hoc solo, quod Tridentinum *singularem* conversionem agnoscit. Ut singulare dicit *unicum* et excludit *multiplex*, etiamsi daretur illa conversio, quam Tridentinum neque asserit, neque negat; in eucharistia *unica* daretur conversio totius substantiae panis et vini in Christi corpus et sanguinem, non plures conversiones. Eo vel magis, quod conversio, quam Tridentinum dicit singularem seu *unicam*, est ad habendam eucharistiam; illa alia esset ad eucharistiam finiendam. Si vero *singulare* apud Tridentinum, uti Doctores communiter intelligunt, idem sonet ac: *Non habens ad plenum simile;* conversio eucharistica, etiam data illa conversione, remanet singularis. Numquidne, ut cetera mittam, alia conversio hoc haberet, ut esset in praeexsistens, et alibi simul exsistens? Si tandem *singularis* dicatur a Tridentino conversio eucharistica, quod est *totius substantiae in totam substantiam;* et hoc etiam sensu, data illa conversione, conversio eucharistica remaneret *singularis.* In illa enim conversione terminus *ad quem*, aut generatio subsequens haberetur miraculose vel ex quantitate gerente vices subiecti, uti docet D. Thomas[1], vel ex

[1] D. Thomas, *Summ. Theol. 3. p. q. 77. a. 5.*

materia a Deo creata et accidentibus subiecta, ex qua agens naturale species corrumpens formam educeret: quod D. Thomas, loco laudato, probabiliter dici posse concedit. In utraque hypothesi, si conversio haberetur, non esset certe *totius in totum*, uti est in eucharistia.

63. Sed enim notandum est adhuc, negandam esse prorsus conversionem omnem, ubi Christus in eucharistia esse desinit. Si accidentia non solum sunt conditio, sed sunt requisitum essentiale ad conversionem substantiae in substantiam, iis non remanentibus, imo corruptis, nulla erit conversio, uti adversarii ipsi obiiciendo insinuant. Quando autem Christus cessat esse iu eucharistia, species corrumpuntur. Ab hoc praescindendo, cum de ratione conversionis sit, ut terminus *a quo* simpliciter et absolute desinat esse, ac desinat esse ex vi positionis termini *ad quem*, atque adeo formaliter ex vi actionis conversivae: Christus autem, dum desinit esse sub speciebus, nec desinit simpliciter, nec desinit ex vi positionis termini *ad quem*, atque porro ex vi actionis conversivae: Christus, in nostra sententia, nulla ratione dici potest in aliud conversus. Enimvero dum Christus desinit esse *hic*, cum eius substantia sit illa eadem in individuo, quae est in coelo, dici nequit simpliciter desinere. Tum si desinit hic, non desinit quia aliquid aliud ponitur vel ut aliquid aliud ponatur; sed, contra, quia ipse desinit ad corruptionem specierum, aliquid aliud miraculose fit, ut dictum est, aut ex quantitate panis, aut ex creata materia panis, quae perierat, et disposita ad corruptarum specierum exigentiam. Quapropter ipse non desinit ex vi actionis conversivae ipsius in aliud; sed desinit ex vi actionis disparatae et, in praesenti ordine providentiae, prorsus singularis, quae nullo vero sensu dici potest conversio.

Nulla conversio Christi in aliud, quando desinit esse in eucharistia.

64. Ex dictis obiter colligimus, nostra de sententia, Christum, uti sine intrinseca ulla mutatione incipit esse in eucharistia; sic etiam sine intrinseca ulla mutatione desinere. Corruptis speciebus, cessat actio aut dependentia, qua *hic* conservabatur; cessat habitudo ad species aut esse sacramentale; cessat demum haec localis praesentia: quae omnia, uti demonstravimus, extrinseca sunt. Ipse vero, utpote identicus omnino sibi, prout est in coelo, dum hic desinit esse, retinet in coelo praesentiam suam, maiestatem, gloriam, eamque Cordis sui admirabilibus effusionibus cum Sanctis omnibus communicat. Ad quam gloriam in terris dilatandam, in coelis perpetuo degustandam opus hoc nostrum, qualecumque est, eius adspirante gratia, unice inserviat.

Christus incipit et desinit esse in eucharistia sine mutatione.

Ad Christi gloriam in terris dilatandam, in coelis degustandum opus conscriptum.

FINIS.

LAUS

DEO UNI TRINOQUE

SS. CORDIBUS IESU ET MARIAE

S. IOSEPH.

DISQUISITIONIS

INDEX ANALYTICUS

Monitum.
Lectori benevolo 5

PARS PRIMA — DOGMATICA

SECTIO I.

Notiones praeviae

Dogmatis intellectus — S. Anselmus — Catholicus dogmatis intellectus — Transsubstantiationis nomen quando, et a quo primitus usurpatum — Petrus Comestor — Stephanus Augustodunensis — Orlandus Bandinelli — S. Hildegardis — Petrus S. R. E. Cardinalis — Alanus — Lateranense IV. — Auctoris coniectura — Transsubstantiatio conversionem meminit — Unde, et quid iuxta nomen conversio? — Eiusdem derivatio — Valentia — Conversionis nominalis definitio — Requisita ad conversionem, *ut sic* — Bini termini positivi — Desitio termini *a quo*, et positio termini *ad quem* — Successio et ordo prioris et posterioris — D. Thomas — Sufficiens connexio inter terminos conversionis — Ratio obvia — Connexio oppositionis et repugnantiae — Undenam derivanda — Actio sufficiens — Conversiva — Proportionatum agens — D. Thomas — An ad conversionem, ut sic, aliud requiratur? Durandus — Doctores alii — Auctoris monitum — Illationes ex dictis — Conversio principiative et terminative — Materialiter aut passive, et formaliter aut active — Adaequate et inadaequate — Conversionis partitio — Conversio naturalis et supernaturalis — Quoad modum — Quod substantiam — Stricte supernaturalis et late supernaturalis — Conversio totalis et formalis — An admittenda materialis conversio — Conversio substantialis et accidentalis — Transformatio, transfiguratio, translocatio etc. — Transsubstantiatio — In formali conversione forma non denominat formam, sed compositum — Explicatur D. Thomas — Dictorum summa — Qua de re agendum — Indicantur puncta controversa 9-17

SECTIO II.

Regula fidei proponitur et illustratur

Fidei regula subiectiva — Quid certo proponat — Quid certo propulset — Quid ex ipsa detur intelligi. . . . . .

§ I. *Ecclesiae scita in causa Berengariana*

Ecclesiae scita non quaerenda ante haeresim Berengarianam — Synopsis haereseos Berengarianae — Iusiurandum Berengarii in II. Synodo Romana — Alte-

rum Berengarii iusiurandum in III Synodo Romana — Novus Berengarii error — Eiusdem retractatio in Synodo Romana an. 1079. — Bina docentur in iureiurando Berengariano — Substantialis conversio panis et vini — Realis Christi praesentia post consecrationem — De desitione panis nihil dicitur explicite — Quare — Praeter binos articulos formaliter explicite definitos, desitio substantiae panis traditur formaliter implicite — Quid dicendum de termino *ad quem* et de termino *a quo*? — Quid de conversione? — Quid de verbis consecrationis? 17-20

§ II. *Ecclesiae scita in causa Almarici et Michaëlis Palaeologi*

Definitio Lateranensis IV. contra Almaricum — Professio fidei a Clemente IV. Michaëli Palaeologo proposita — In Lateranensi definitione articuli bini explicite; alter solum in professione Palaeologi — Quid implicite, aut ratione priorum — Collectio doctrinalis 20-22

§ III. *Ecclesiae scita in causa Wikleffi*

Wikleffi articuli damnati tres — Quaenam in hac damnatione contradictorie ab Ecclesia doceantur — Articulus XVI. ex iis, de quibus suspecti Wikleffitae erant interrogandi — In doctrina Constantiensi nihil explicite de Transsubstantiatione, sed non item implicite — Brevis censura articulorum Wicleffi a Theologis Constantiensibus lata — Censura primi articuli—Censura articuli secundi—Censura articuli tertii — Collectio 22-25

§ IV. *Ecclesiae scita ex Concilio Florentino*

Confessio Graecorum in Concilio Florentino — Confessionis tenor — Ad confessionis intelligentiam animadversio praevia — Illustratur confessio — Instructio Eugenii IV. pro Armenis — Pontificis verba declarantur . . 25-27

§ V. *Ecclesiae scita in Concilio Tridentino*

Tridentini canones — Primus — Secundus — Quartus — Octavus — Canonum in capitibus praeformatio — De praesentia Christi in Eucharistia — Non solum in usu, sed etiam ante usum — De Transsubstantiatione panis et vini in corpus et sanguinem Christi — Quot et quaenam in canonibus certo credenda proponuntur — An permanentia specierum sit formaliter a Tridentino definita — Doctrina formaliter explicite in capitibus declarata — Quaestio — Responsio — Articuli a Tridentino definiti, ex vi praesentis institutionis, inter se connexi — Quid si praecisis conceptibus loquamur? — Em. Card. Franzelin declaratur — Collectio ex definitionibus Tridentinis 27-32

§ VI. *Ecclesiae scita ex damnatione Pistoriensium*

Textus censurae — Expositio textus ex parte rei damnatae — Ex parte censurae latae — Censura illustratur — Quot et quae ex damnatione Pistoriensium in rem nostram deriventur. 32-34

§ VII. *Ecclesiae scita ex Congr. Gen. S. R. et Univer. Inquisitionis*

Documentum duplex S. R. U. Inquisitionis — Proponitur S. R. U. Inquisitioni quaestio — Eiusdem responsio — Propositiones Rosminianae — Decretum S. R. U. Inquisitionis — Utriusque sententiae fundamenta innuuntur — Quid pro praesenti re nostra ex iudiciis S. R. U. Inquisitionis licet colligere . 35-38

SECTIO III.

SUMMA DOCTRINAE CATHOLICAE DE TRANSSUBSTANTIATIONE

Definitio Transsubstantiationis ex Tridentino — Praedicatum differentiale declaratur quoad panem et vinum — Illatio — Declaratur idem praedicatum quoad corpus et sanguinem Christi — Illatio — Declaratur praedicatum genericum — Conversionis notio non revelata quoad nos — Propria conversionis notio nequit ex definitis inferri — Declaratur in termino *a quo* formali — Declaratur in termino *ad quem* — Declaratur in actione conversiva — Theologi catholici munus in re praesenti 38-42

SECUNDA PARS — CRITICA

SECTIO I.

PROPONITUR CONTROVERSIA

Criticae inquisitionis ratio — Quaestio gravissima — Recentiorum sensus generatim — Speciatim de natura actionis — De nexu — De permanentia specierum — Veterum sapientia ex iisdem — De non annihilatione panis — De negatione actionis circa corpus Christi primo terminatae — Recentioris et veteris doctrinae collatio — In veteri doctrina an in recentiori maius mysterium? — Conclusio — Summa doctrinae traditae — Quid agendum . . . 43-47

SECTIO II.

INQUIRITUR IN EXPOSITIONEM DOCTRINAE RECENTIORIS

§ I. *Crisi subiicitur assertio: Recentiores conversionem negant*

An recentior theologia exercite neget conversionem? — Cooversionis recentiorum Theologorum communis conceptus — Conceptus adversariorum . 48

§ II. *Crisi subiicitur assertio: In Recentiorum opinionibus Transsubstantiatio non necessario cum reali praesentia connectitur.*

Monitum ex Caietano — Et ex Valentia — Varia Theologorum loquendi ratio pro diverso conceptu potentiae ordinatae et absolutae — Recentiores Theologi, ad Christi praesentiam in eucharistia, conversionem necessariam docent saltem de potentia ordinata — Caietanus et Valentia — Sylvius — Billuart — Recentiores Theologi universim — Quid doceant de potentia absoluta — Suarez — Gonet — Conclusio 48-53

§ III. *Crisi subiiciuntur assertiones reliquae*

Communia Recentiorum placita in re praesenti recte intelligenda — Animadversio prior — Altera — Assertio annihilationis proprie dictae non meretur censuram — Annihilationis propriae patroni — Locus Suaresii — Doctores alii — Lessius declaratur — Alibi pacatius loquitur — In Scoti mentem inquiritur — De Transsubstantiatione Scoti doctrina universim — Sit necne ex Scoto desitio panis in conversione eucharistica proprie dicta annihilatio? Sit necne annihilatio absolute inspecta? — Ultima Scoti resolutio — Ex dictis colligitur Scoti sententia — Summa doctrinae recentioris de panis desitione in eucharistia — Quid sentiendum de *nexu* inter transsubstantiationis terminos — Nihil addendum de permanentia realium accidentium — Commemorandi praecipui Doctores recentiores — Dominicus Soto — Dictorum summa. 53-60

SECTIO III.

Inquiritur in expositionem doctrinae veterum theologorum

De quo agendum — Sitne veterum doctrina, quam ipsis tribuunt adversarii? 60-61

§ I. *Doctrina Magistri de Transsubstantiatione*

Magister adstruit conversionem in eucharistia — Non formalem — Sed substantialem — Quid sit: *Ut haec essentialiter fiat altera* — Illustratur expositio — Inquirit: Quo pacto fiat conversio, quin quaestionem dirimat — Definit loquendi modum — Difficiles Magistri loquutiones declarantur — Proprius Magistri sensus — D. Thomas — Magister profert duplicem aliorum sententiam de modo conversionis — Doctrinae Magistri summa — Doctrina Magistri nec omnino liquida, nec plena. 61-66

§ II. *Doctrina Alexandri de Hales de Transsubstantiatione*

Asserit conversionem panis in Christi corpus, et panis non permanentiam — Hugo — Rursum Hugo — Inquiritur conversionis intellectus secundum Halensem — An ex Halensi substantia panis annihiletur — Discrimen inter annihilationem universi, et eiusdem conversionem in Christi corpus — Panis non conservatur in esse virtute divina — Quare annihilationem proprie dictam neget Halensis, etsi admittit impropriam — Quare et quomodo ex Halensi corruptio substantiae panis cum vera conversione componatur — Quid doceat Halensis de termino *ad quem* et de conversione ipsa — Transsubstantiatio est productio alicuius novi in esse — Ex parte termini *a quo* — Ex parte termini *ad quem* — Transsubstantiatio neque corruptio, neque generatio — Qui Transsubstantiatio a naturalibus omnibus conversionibus et productionibus differat — Differt a creatione — A generatione — Ab augmento et nutrimento — A corruptione et diminutione — An loci mutatio Transsubstantiationi adnexa — Transsubstantiatio differt a mutatione loci — Summa doctrinae Halensis . . 66-71

§ III. *Doctrina Alberti M. de Transsubstantiatione*

Albertus asserit conversionem transsubstantiativam — In quo universim eam reponit — Plenius notionem Transsubstantiationis universim evolvit — Confert cum creatione — Albertus transsubstantiationem passive exhibet — Vocat tamen *conversionem simplicem* — Supponit et declarat conversionem activam — Illustratur Albertus — Quid doceat de termino *a quo* — Substantia panis proprie non annihilatur, sed nullo modo manet — Sententia negans propriam annihilationem ex Alberto est solum probabilior — Substantia panis, ex Alberto, improprie annihilatur — Hoc tamen non obstante, revera convertitur — Eandem doctrinam tradit Albertus in solutione difficultatum — Obiectio — Responsio — Alberti doctrina de termino *ad quem*, et de Transsubstantiatione ipsa — Corpus Christi ex Alberto fit aut producitur — Declaratur Albertus et infertur activae Transsubstantiationis conceptus — Doctrina exposita est constans Alberti doctrina — Obiectio — Responsio declaratur — Probatur — Plenus ex Alberto activae Transsubstantiationis conceptus — Non ultra Albertum sequimur — Quare — Transsubstantiatio mirabilis — Difficilis Alberti locus ex libro: *De Eucharistia* — Ambrosius ab Alberto declaratus — Monentur tria — Est locus obscurus per clariora declarandus — Non insinuatur adversariorum sententia — Insinuatur sententia recentioris Theologiae 72-84

§ IV. *Doctrina D. Thomae de Transsubstantiatione*

D. Thomas in libros Sententiarum — Eiusdem methodus — Quid tradat Angelicus de substantia panis — de panis forma — de panis materia — D. Thomas docet substantiam panis in eucharistia corrrumpi — Prima ratio — Secunda ratio — Tertia ratio — Instantia — Disiicitur — An ex Angelico substantia panis proprie annihiletur — Negandum — Varia Angelici loca — Ex iisdem collectio — Caietanus — Quodnam sit nobilius esse, quod panis consequitur — Negative respondetur — Respondetur positive — Concluditur quodnam sit nobilius esse, quod panis acquirit — Quid sit apud D. Thomam *panem fieri ipsummet Christi corpus* — Locus D. Thomae — Declaratur — Collectio ex dictis — D. Thomae doctrina de termino *ad quem* — Exhibetur specialis D. Thomae locus — In relatum D. Thomae locum animadversiones — Prima — Secunda — Tertia — Quarta — Quinta — Addenda bina — Primum — Secundum — Quid conversio simplex, quid cum additione — D. Thomas in reliquis operibus — Asserit Angelicus virtualiter necessitatem conversionis — Infert substantiam panis non manere, nec proprie annihilari aut in praeiacentem materiam resolvi — Tradit dogmatis intellectum — Locus D. Thomae — Declaratur — Praecipitur consonantia Summae Theologicae cum reliquis Angelici operibus — Synopsis q. LXXV. 3.ae p. — Praecipua doctrinae capita de conversione eucharistica, ac speciatim de termino *a quo* — Textus D. Thomae — Quaestio prior: An et quomodo, ex Angelico, necessaria conversio, ut Christus in sacramento incipiat esse — Doctorum opiniones — Pro disquisitione nostra quaestio adiaphora — Iudicium auctoris — De duplici *Summa* — Firmatur primo — secundo — tertio — quarto — In IV. Distinctionum — Textus D. Thomae — Declaratur — D. Thomas in IV. Dist. procedit ex remotiori principio, sed docet idem quod in Summis — Quaestio altera: Quo sensu dicatur substantia panis, conversione facta, non manere — Responsio auctoris — Probatur primo — Secundo — Tertio — Quarto — An ex praecedenti doctrina sequatur propria panis annihilatio? — D. Thomae responsio — Declaratur — Confirmatur — Angelici doctrina de termino *ad quem*, et de conversione ipsa — Quaenam certo non sit — Quaenam positive sit — Asseritur — Probatur primo — Secundo — Textus D. Thomae — Declaratur — Quomodo sit, ex D. Thoma, eucharistica conversio — Quare sit ex eodem Angelico — Textus D. Thomae — Declaratur primo — Secundo — Collectio ex dictis — Confirmatur superius argumentum — Probatur tertio — Textus D. Thomae — Synthesis doctrinae Angelici ex ipso Angelico 84-110

§ V. *Doctrina S. Bonaventurae de Transsubstantiatione*

Asserit conversionem totius substantiae panis in corpus Christi — De termino *a quo*, consecratione peracta, docet non remanere physice — Imo negative mutari ac perire — Negat tamen proprie annihilari — Quia perit ex vi actionis conversivae — Quia ultimus terminus non est nihil, sed aliquid positivum, corpus Christi — Illatio — Quare forma substantialis dicatur corrumpi, et substantia panis non dicatur annihilari — Innuit quaestionem esse de nomine — Quid praecipiat de altero conversionis termino — Christi corpus *non fit de novo, sed fit hic* — Ostenditur primo — Secundo — Tertio — S. Bonaventura conversionem panis in Christi corpus declarat per huius effectionem — Estne effectio productiva, an adductiva — S. Bonaventura non adversariis, sed recentiori theologiae favet 110-115

§ VI. *Doctrina Aegidii Romani de Transsubstantiatione*

Aegidii assertum fundamentale — Obiectio — Responsio — Collectio Aegidii — Aegidius explicat conversionem exsistentis in exsistens per productionem termini *ad quem* — Non recipimus omnia Aegidii principia — Negat Aegidius substantiam panis in eucharistia proprie annihilari — Docet cum D. Thoma substantiam panis interire aut *corrumpi* — Probatur — Confirmatur — Collectio — Discrimen inter transsubstantiationem et conversiones naturales ex Aegidio — Finalis conclusio 115-119

§ VII. *Doctrina Capreoli, Paludani, Aureoli de Transsubstantiatione*

Ingressio — Capreolus — Qui, ex Capreolo, panis desitio ab annihilatione differat — Qui ab annihilatione differat corruptio — An in Sacramento maneat panis in potentia obedientiali? — In quo, ex Capreolo, subiective sit transsubstantiatio — Colligitur Capreoli doctrina — Paludanus — Collectio ex Paludano — Aureolus — Transsubstantiatio duplex mutatio et unica actio — Panis mutatur in non panem — Quare ex Aureolo substantia panis non annihiletur — Quomodo explicet positionem termini *ad quem*. 119-123

§ VIII. *Doctrina veterum quorundam discordium de Transsubstantiatione*

Dominicus Sotus — Innocentius III. tradit adversariorum opinionem una cum sententia de panis annihilatione — Henricus Gandavensis — Videtur docere adversariorum sententiam — Thomas Waldensis — Obscurus — Favet adversariis — Caietanus — De eius mente licet dubitare — Caietani loquutiones difficiles — Quinam Caietani sensus — Aperitur et probatur primo — Secundo — Caietani loquutiones difficiles declarantur 123-128

SECTIO IV.

De evolutione theologici intellectus circa dogma Transsubstantiationis, et de opinionibus theologorum.

Dogmatis Transsubstantiationis intellectus theologicus non quaerendus ante haeresim Berengarianam — Prima quasi lineamenta sensus theologici ab Innocentio III. posteris transmissa — Nova quaedam sententia a Magistro sententiarum relata — Post Magistri tempus quadruplex Theologorum sensus — S. Bonaventurae testimonium — Obsoletae statim ac natae opiniones aliquae — Vices sententiae ab Innocentio III. secundo relatae — Opiniones Rosminii et Baymae — Catholicorum sententiae ad binas classes revocantur — Prima classis bipartita — Classis altera tripartita — Quare Rosminii et Baymae sententiae commemoratae — Generalis collectio critica 128-131

PARS TERTIA — SCHOLASTICA

SECTIO I.

De reali praesentia Christi in eucharistia

Ingressio — Quid sit realis Christi praesentia in eucharistia — Includit ipsam Christi substantiam — Et eius habitudinem ad species — In ratione signi et signati — Continentis et contenti — D. Thomas — Velamenti et velati — In ratione unitorum — Admittenda est aliqua unio inter Christi corpus et species — Suarez — Cuiusmodi sit haec unio — An praeter substantiam corporis Christi et

esse sacramentale, realis Christi praesentia in eucharistia aliud includat — Doctorum opiniones ternae — Opiniones aliae binae et praecipuae — Sententia prior Altera — D. Thomae doctrina — Quaestionis de reali praesentia plenior propositio — Auctoris iudicium — Praemittenda — Quid et quotuplex localis praesentia — Prima radix praesentiae localis — S. Augustinus — Ratio remota — Proxima — Locus ex Philosopho — Intrinsecus — Extrinsecus — Quaesita bina — Difficultas — D. Thomas — Collectio ex dictis — Localis praesentia corporum Spirituum — Christi in eucharistia — Dei — Assertio prior — Probatur primo — Secundo diversimode — Obiectio — Solutio — Assertio altera — Probatur 1.ª pars 1.º ex Conciliis — Praeoccupatur difficultas ex D. Thoma — Probatur 2.º — Secunda pars declaratur — Probatur — Obiectio — Responsio — D. Thomas — Tertia pars probatur ex Suaresio — Obiectio — Responsio — Declaratur — Quarta et quinta pars declarantur et probantur — Praesentia eucharistica supernaturalis — Generalis conclusio de reali Christi praesentia eucharistica. . . 132-148

SECTIO II.

De non permanentia substantiae panis et vini in eucharistia

Inquirendum de altero conversionis termino, seu de termino *a quo* — Non manere substantiam panis tripliciter intellectum a Theologis — Per negationem puram — per privationem — per mutationem positivam — Quomodo non maneat aut desinat substantia panis in via annihilationis — In via intimae variationis positivae — In via privationis — Opiniones variae — Prima opinio derivans desitionem panis ex decreto Dei — Sufficiens absolute et ut ultima ratio — Incertum num sit ratio proxima — Explicatio physica triplex — Prima Thomistarum — Videtur insufficiens — Praeoccupatur difficultas et res declaratur — Explicatio Card. de Lugo — Probabilis est, sed non plene satisfacit — Probabilis Suaresii explicatio difficultati obnoxia — Instantia quaedam Suaresiana non cogens — Ostenditur — Data separatione accidentium a substantia panis, facile declaratur quomodo desinat — In hoc etiam explicandi modo videtur substantia panis expelli, postquam Transsubstantiatio facta est — Innuitur nodi solutio — Assertio prior — Superiores modi tres non se mutuo excludunt, sed se mutuo complent probatur 1.ª pars — Quid ex Christi institutione includat actio conversiva — Probatur 2.ª pars — De modo Thomistico — De modo Lugoniano — De modo Suaresiano aut simili — Assertio altera — Probatur — Collectio ex dictis et totius doctrinae declaratio — Signa rationis in conversione eucharistica in ordine ad desitionem substantiae panis 148-157

SECTIO III.

De Conversione eucharistica aut transsubstantiatione Theologorum principum Systemata varia

Proponenda de Transsubstantiatione Theologorum principum systemata. . . 157

§ I. *Systema P. Vasquez*

Ex P. Vasquez Transsubstantiatio est formaliter relatio ordinis inter substantias — Contendit P. Vasquez doctrinam suam esse praecipuorum Doctorum veterum — Incassum tamen — D. Thomas — Scotus — Conversio tota pendet a Christi verbis — Datur duplex mutatio, sed neutra est conversio — In verbis formae unum Christi corpus significari vere, ac porro ut exigens desitionem panis — Ad conversionem requiri nexum oppositionis inter terminos ex modo

efficiendi — Praeoccupatur difficultas — Quod panem expellit, est veritas verborum formae — Quid demum conversio eucharistica? — Est denominatio quaedam ordinis — Quodnam eius fundamentum — Summa doctrinae . . 157-160

§ II. *Systema P. de Valentia*

Conversionem reponit in eo, quod Christi corpus substantiae panis desinenti succedit in aliquo munere erga accidentia — Probat ex conceptu nominis conversionis — Ex conversionis declarata notione consectaria quaedam — Notandum Substantiae panis munera duo erga accidentia — Unum, terminare subiective inhaerentiam — Alterum, quaedam coniunctio prima cum accidentibus — Conatur ostendere secundam habitudinem esse veram, et non fictam — Innuuntur rationes — Summa doctrinae P. de Valentia. 160-162

§ III. *Systema Cardinalis Bellarmini*

Ad veram conversionem conditiones quatuor — Conversio eucharistica perfectissima — Triplex conversio — Productiva — Adductiva — Conservativa — Conversio eucharistica adductiva — Quare — Quomodo — Terminus *ad quem* est substantia corporis Christi, et conversio est substantialis — Subiectum eius partim panis, partim corpus Christi — Christi corpus mutatur positive acquirendo esse sacramentale — Transsubstantiatio una actio, seu una Dei volitio — Bellarminianae doctrinae summa 163-165

§ IV. *Systema Cardinalis de Lugo*

Quid universim sit unum in aliud converti — Conversio terminative inspecta ex Lugone — Conversio eucharistica — Active non est actio adductiva, sed constitutiva corporis Christi sub speciebus — Quid terminative et adaequate conversio eucharistica? — Quomodo corpus Christi cum speciebus uniatur — Continentia Christi sub speciebus exigit eius alligationem ad species — Alligatio est vis quaedam aut qualitas supernaturalis speciebus indita, ut secum trahant corpus Christi — Summa doctrinae et mens Card. de Lugo — Doctrina Lugonis in re a praecedentibus non discors, communis Doctoribus aliis . 165-167

§ V. *Systema Suaresii*

Ex Suaresio terminus *a quo* desinere, terminus *ad quem* fieri aliquo modo debet — Conversio includit positivum transitum et effectionem — Nequit dici unum in aliud conversum, nisi in hoc aliquid fiat — In conversione omni saltem una realis actio et duplex partialis mutatio — In conversione substantiali actio mutatioque substantialis — In conversione eucharistica necessaria actio, qua corpus Christi sub speciebus constituatur — Et quidem transiens — Transsubstantiatio activa et passiva — Qualis actio transsubstantiativa, et quinam eius formalis effectus — Potest Christus fieri substantialiter praesens in eucharistia per actionem substantialem — Deus potest efficere eundem effectum per duas actiones totales — Ex Suaresio, ad Transsubstantiationem concurrit instrumentum creatum — Quod et quotuplex — Doctrinae Suaresianae summa. 168-172

§ VI. *Proposita systemata inter se conferuntur*

Suaresius et Doctores, qui cum ipso consentiunt, Transsubstantiationem explicant per actionem influentem esse substantiale corporis Christi — Quid hisce Transsubstantiatio passiva — Bellarminus, Valentia, Lugo, aliique Transsubstantiationem explicant per actionem ordinantem et unientem corpus Christi

cum speciebus — Quid ipsis transsubstantiatio passiva — Ab his *re* Vasquez non differt, sed solum *in modo loquendi* — Actio conversiva necessario aut substantialis aut accidentalis — Sententiae omnes, quae panis substantiam per aliqualem corruptionem desinere docent, ad superiorum alterutram necessario revocandae — Collectio ex dictis 172-173

SECTIO IV.

DEFINIUNTUR SENSUS THEOLOGICI DOGMATIS TRANSSUBSTANTIATIONIS, ET PROPONITUR CONTROVERSIA

Quae ab Ecclesia definita aut proposita sunt — Quid Ecclesia non declaravit — Sensus erroneus Rosminii — Et Baymae — 1.us sensus catholicus transsubstantiationem explicans per mutationem positivam panis in corpus Cristi — Transsubstantiatio una simplex actio — Vi conversionis acquiritur dimensionibus realis habitudo ad corpus Christi — Quid obscurum in superiori sensu — Videntur species adduci ad Christi corpus, quod in coelo est — 2.us sensus transsubstantionem explicans per annihilationem panis ad positionem corporis Christi — Animadversio ex Suaresio — Non repugnat eandem substantiam annihilari et converti sub diverso respectu — Res naturalis corrumpitur et convertitur in aliam — 3.us sensus Transsubstantionem explicans per mutationem quasi privativam panis, et adductionem corporis Christi — 4.us sensus per eandem quasi privationem, et productionem corporis Christi — In 3.° et 4.° sensu superflua — Propositi sensus crisi subiiciendi — Auctoris sensus proponitur — Declaratur — Quomodo actio conversiva nominibus variis possit denominari — Praesentia sacramentalis a connaturali Christi praesentia dependens — Praecipuum punctum controversiae cum sententiis singulis 173-178

PARS QUARTA — POLEMICA

THESIS I.

Rosminii coniectura de Transsubstantiatione substantiae panis et vini in Christi corpus et sanguinem, obiective loquendo, haeretica est, et a doctrina catholica prorsus aliena. Qua nota eiusdem Transsubstantiationis Baymae explicatio non eximitur.

PRIMA THESIS PARS

Declaratur — Rosminii coniectura — Monitum Card. Mazzella — Commata bina — *Prob. 1.um comma* — Iuxta Rosminii coniecturam in eucharistia remanet tota substantia panis — Obiectio — Responsio prior — Altera — Iuxta Rosminium transsubstantiati panis substantia corpori Christi additur — Rosminii coniectura, obiective loquendo, haeretica — *Prob. 2.um comma* — Coniectura Rosminii non continetur in divina revelatione, sed ab hac excluditur — Excluditur Scripturis Sanctis — Patrum doctrina — Chrysostomus — Obiectio — Responsio — Nyssenus — Damascenus — Theophylactus — Rosminii coniectura excluditur rationibus aliis 179-185

SECUNDA THESIS PARS

Baymae explicatio, obiective loquendo, haeretica — Obiectio — Responsio — Ratio substantiae est praedicatum quidditativum — Explicatio Baymae est negatio Transsubstantiationis — Innovat 2.um Wikleffi articulum damnatum. 185-187

SCHOLION

D. Petrus Batiffol in declaranda Nysseni doctrina de Transsubstantiatione Modernistis accensendus — Tribuit Nysseno notionem realitatis corporis *eucharistici*, ut ait, et conversionis ex interventione Verbi — Gregorii Nysseni doctrina — Anima unitur Deo per fidem, et vitae habet societatem — Corpus per Christi corpus, quod fuit vitae initium — Quod nequit intra nos esse, nisi per esum et potum — Qui unum corpus possit pluribus distribui et totum in se permanere — Panis in Dei-Verbi corpus Dei Verbo convertitur — Et sic per carnem inserit se et unitur omnibus credentibus — Gregorii communicationem nostram cum Christi corpore Batiffol intelligit per physicam absorptionem assimilationemque — Nunquam dicit Nyssenus corpus nostrum debere physice absorberi — Suarez — Physica absorptio iniuria tribuitur Nysseno — Ostenditur ex contextu — Et ex Nysseni verbis — Batiffolii instantia — Disiicitur — Ius ad gloriosam resurrectionem unus ex effectibus S. Eucharistiae — Batiffol irreverenter loquitur et falso — Mala intelligentia non est Nysseni, sed Batiffolii — Falsum est adultis non necessariam esse eucharistiam saltem ex praecepto divino — Quid dicendum de infidelibus — Quid de Catechumenis — Nysseni recta Evangelii Ioannis intelligentia — De secunda parte doctrinae Nysseni quid recte, saltem in specie, asserat Batiffol — Carpit Gregorium, quasi hic dicat Verbum dare sibi corpus novum in eucharistia — Putat Gregorium non dicere panem in eucharistia cessare, et Christo tribuere *corpus virtuale* — Falsum est Gregorium Christo in eucharistia tribuere corpus *novum*, et non corpus *historicum* — Dissipatur Batiffolii ratio — Discrimen inter Incarnationem et conversionem eucharisticam — Verbum dicitur panem convertere non *proprie*, sed *appropriate* — An Gregorius dicat cessare panem in eucharistia — Falsa et intolerabilis est Batiffoliana inductio de corpore *virtuali* — Gregorii verba refellunt Batiffolium — Batiffol loquitur contradictorie, aut certe aequivoce — Sincera et plana de conversione eucharistica Gregorii doctrina — Rectius, quam Batiffol, Schwane et Harnack Gregorium intellexerant 187-196

THESIS II.

Sententia per panis vinique positivam mutationem Transsubstantiationem explicans catholico dogmati explicando non congruit; in se autem inspecta non videtur probabilis.

PRIMA PARS THESIS

Prob. argumento generali — Proposita sententia non explicat *quomodo* dogmatis — Innocentius III. — Magister Sententiarum — D. Thomas — Proposita sententia impetit dogmata ab Ecclesia definita — Tria in re praesenti ab Ecclesia definita 196-197

§ I. *Sententia Transsubstantiationem explicans per mutationem positivam impetit dogma Transsubstantiationis*

Transsubstantiatiationis praedicatum differentiale extra controversiam positum — Genericum controversum — Conversionis propria notio ex verbo Dei scripto et tradito et ex ratione derivanda — Restringitur praesens inquisitio ad desitionem termini *a quo* — Desitio negativa termini *a quo* de ratione conversionis etiam eucharisticae — Probatur *a posteriori* — Quod in conversione negative desinit, convertitur: quod non desinit negative, non convertitur — Declaratur exemplis — Prob. antec. *a priori* — Si res conversa negative non desineret, non posset dici transire vel terminari in aliam — Obiectio — Responsio

Mutatio negativa alicuius esse amissione habetur; positiva alicuius esse acquisitione — Esse et idem sibi esse unum sunt — Probatur antec. speciatim de conversione substantiali — Monitum — Negativa desitio simpliciter et secundum quid — Ad conversionem substantialem non sufficit desitio a loco — Non sufficit desitio a munere sustentandi accidentia — Neque a munere informandi materiam — Non sufficit desitio ab aliquo substantiali gradu — Ad veram conversionem non sufficit positiva desitio termini *a quo* — Quo sensu in revelatione dicatur panis ab eucharistia abesse; et quaenam huius desitionis ad conversionem habitudo sit — Panis non desinit, quia a loco discedit — Non desinit per absorptionem a Christi corpore — Absentia panis ab eucharistia verbis formae efficaciter probatur — Sensus Ecclesiae de absentia panis ab eucharistia ante tempora Berengariana — Cyrillus Hierosolymitanus — Iacobus Sarugensis — Vetus auctor — Stephanus Augustodunensis — Chrysostomus — Nyssenus, Damascenus Theophylactus — Ambrosius — Ambrosiaster — Isidorus Hispalensis — Iustinus — Ambrosiaster — Nyssenus — Collectio ex doctrina Patrum — Sensus Ecclesiae post tempora Berengariana — Durandus Troarnensis — Gulielmus Abbas — Lanfrancus — Algerus — Colligitur ex Algero physica panis destructio — Algerianae formulae paullatim in catholicae Theologiae censum devenere — Quaenam destructae substantiae panis ad conversionem habitudo sit — Est habitudo formalis causae effectusque — Ex verbis formae consecrationis — Ex variis Patrum formulis — Nexus causalitatis conversionem inter desitionemque panis in doctrina Patrum continetur — Tertullianus — Ambrosiaster — S. Gaudentius Brixiensis — S. Cyrillus Hierosolymitanus — Chrysostomus — Ambrosius — Isidorus Hispalensis — Ex allatis auctoritatibus assertus causalitatis nexus colligitur et declaratur — De ratione conversionis esse destructionem termini *a quo* probatur ex generali doctrina Patrum de conversione — Tertullianus — S. Leo Magnus — Vigilii Tapsensis insignis locus — Collectio ex Vigilio — D. Thomas — Guitmundus Aversanus — S. Augustinus — Probatur idem ex consensu Theologorum — Confirmatur demonstratio ex modo agendi Theologorum, Patrum, Ecclesiae — In causa Berengariana — In causa Almarici et Wikleffi. 197-216

§ II. *Sententia Transsubstantiationem explicans per mutationem positivam impetit dogmata non permanentiae substantiae panis, et realis Christi praesentiae*

Impossibile est per mutationem positivam totam panis substantiam cessare — Adversariorum actione transsubstantiativa nequit cessare tota panis substantia — Actione illa non cessaret saltem realis panis entitas — Henricus Gandavensis — Nihil remanere de tota panis substantia et aliquid remanere contradictoria sunt — Si in Christi corpore aliquid remanet de panis substantia, non est illud corpus substantialiter immutatum, quod in coelo est — Declaratur ex Suaresio — Obiectio — Responsio 217-219

SECUNDA THESIS PARS

Sententia per substantiae panis vinique positivam mutationem Transsubstantiationem explicans, in se inspecta, non videtur probabilis.

Declaratur — Quid asseritur a sententia, quae impugnatur — Quomodo intelligitur — Desitio substantiae est ipsa successio corporis Christi — Subiectum actionem patiens est sola substantia panis — Identitas inter: *Id, quod erat panis, et corpus Christi* — Ens in confuso nequit dari in se, sed solum in conceptu aut propositione — Adversariorum mens — Definitur assertionis sensus.

Probatur argumento generali Thesis — *1ª min. pars* — Mutatio positiva in conversione caret auctoritatis suffragio — *2ª min. pars* — Adversariorum fundamenta — In sententia opposita non negatur conversio — Repugnantia mutationis negativae termini *a quo* cum vera conversione non demonstratur — Ex ignotis adornari nequit demonstratio — Obiectio — Responsio — Conversio an *transitus*, an *mutatio*, an *relatio* — Quid transitus — Non excludit, imo includit destructionem transeuntis, qua transeuntis — Idem dicendum de aliis — Obiectio altera ex terminis conversionis — Responsio — Declaratur — In vera conversione non requiritur, ut quilibet status intermedius terminorum sit positivus — Conversio denominat terminos ultimos — Instantia — Disiicitur — Halensis — Albertus M. — Quotuplici modo potest aliquid in nihilum abire — Annihilatio propria, impropria — Annihilatio stricta annihilatio simpliciter; annihilatio lata destructio aut corruptio — Quid adversariis permittatur aut concedatur — Desitio substantiae panis in eucharistia annihilatio lata, non stricta — Sitne panis, an panis substantia terminus totalis *a quo* conversionis eucharisticae — Quaestio in praesenti adiaphora — An in nostra doctrina negetur nexus inter conversionis terminos — Universalis conclusio — Secundum adversariorum fundamentum — Conversio mirabilis et singularis — Qui conversio eucharistica a mutationibus aliis differat — Conversio eucharistica mirabilis ex D. Thoma — Ex Alberto M. — Nihil, cognoscendo, in transsubstantiationem possumus — Nihil operando — Solus Deus omnipotens potest — Aegidius — D. Thomas — Halensis et S. Bonaventura — Catechismus Concilii Tridentini — Obiectio — Responsio — Mirabilis conversio, mirabile Sacramentum Eucharistiae — Nexus extrinsecus a paucis defenditur — In sententia nexus extrinseci conversio eucharistica non comparanda cum substitutionibus Magorum — Mysteria eucharistica — Instantia — Disiicitur — Declaratur responsio — Conversio ex mutatione positiva caligo et tenebrae — Conversio principiative mirabilis — Passive mirabilis — Active et formaliter mirabilis — Tertium adversariorum fundamentum — Suarez de nomine Transsubstantiationis — Quid ex Tridentino meminerit Transsubstantiatio — Ex catechismo Concilii Tridentini — Ex Bellarmino — Illatio notanda — Potestas particulae *Trans* in compositis — Obiectio — Responsio — Communis loquendi et intelligendi modus difficulter impetitur — Quartum fundamentum adversariorum — Disiicitur — Quot modis Christus fieri potest praesens in eucharistia — Connaturaliter et hypothetice necessaria Transsubstantiatio — Quare et quo sensu damnati Pistorienses — Doctrina nostra toto coelo differt a doctrina Pistoriensium, quatenus fidei expositio est — Hypothesis prior — Hypothesis altera — Differt etiam inspecto expositionis obiecto. *3.ª min pars* — Habet contra se validissimas rationes — Prima ratio — Doctrina mutationis positivae *re* identica damnatae Baymae doctrinae — Secunda ratio — Substantia panis manet simul et non manet — Substantia panis convertitur simul et non convertitur — Christus in eucharistia simul idem et non idem — Tertia ratio — Actio negativa per sese tendit in non ens — Actio mere positiva tendit per sese in ens — Actionis mixtae terminus — Obiectio — Disiicitur — A disparato ad disparatum non datur transitus, nisi per contradictorium — Quare — Quarta ratio — Panis non destructus aliquid et alicubi est — S. Augustinus — Obiectio — Responsio — Quinta ratio — Christus idem numero in coelo et in hostia — An bis, ter.... idem? — An semel idem? — Ultima illatio — Scholion 219-248

THESIS III.

Sententia per proprie dictam substantiae panis annihilationem Transsubstantiationem explicans quamvis non possit notari censura theologica, est tamen simpliciter falsa.

Declaratur et probatur — Cum quibus adversariis agendum — Quid doceant — Adversarii omnia ab Ecclesia definita profitentur — Adversariorum doctrina censura theogica nequit inuri — D. Thomas — Quod abit in nihilum ex vi conversionis, simpliciter non annihilatur — Panis abit in nihilum, quatenus Christi corpus sub speciebus ponitur ut in se et per se sustentans accidentia efficienter — Substantia panis dici nequit simpliciter annihilata neque in conversione, neque in se — Annihilatio simpliciter substantiae panis, *in re*, conversionis negatio — Ex adversariis, in eucharistia per eorum annihilationem unice haberetur conversio, quia Deus voluit, quod est falsum — Obiectio, Sacramenta entibus artificialibus accensenda — Responsio prior — Responsio altera — Ordo supernaturalis, per regulam generalem, neque contra, neque praeter, sed est naturis rerum coaptatus — Scholastica ab hoc principio pendens—Conversio eucharistica transitus unius in aliud altiori ratione—Instantia—Disiicitur. 248-253

THESIS IV.

Sententia Transsubstantiationem explicans per actionem accidentalem, quocumque demum appelletur nomine, ad ipsum Christi corpus terminatam, quamvis probabilitate non careat, est tamen minus probabilis.

Declaratur thesis — Cum quibus agendum — Conveniunt, quod Transsubstantiationem activam in actione accidentali Christi corpus modificante omnes reponunt — Opinio probabilis rei veritatem et modum, quo veritas cognoscitur, simul adstruit — Quandonam habeatur opinionis probabilitas — Probabilitas opinionis locum habet in naturalibus et supernaturalibus — Quo sensu asserta sententia probabilis — Quo sensu minus probabilis 253-255

Probatur 1.ª pars — Habet pro se doctores graves — Probatur ex Vasquez — Vasquesii argumentatio declaratur — Probatur ex Suaresio — Formalis terminus actionis conversivae — Probatur ex de Lugo — Quae contra hanc sententiam ab aliquibus obiiciuntur — Quae obiiciuntur, partim non sunt ad rem — Partim sunt minus erudita aut gravia—Partim probabiliter solvi possunt— Guitmundus Aversanus — Conceptus voce prolatus unus idemque in pluribus — Anima humana una totaque in variis corporis partibus 255-256

Probatur 2.ª pars — Sententia Transsubstantiationem explicans actione productiva potior auctoritate et ratione — Actio accidentalis non satis explicat realem Christi praesentiam in eucharistia — Corpori Christi connaturaliter non debetur immensitas aut ubiquitas — Non debetur supernaturaliter — Qualitates supernaturales Lahousse non necessariae — Exempla Guitmundi parum cogentia — Verbum loquentis quomodo in pluribus intellectibus — Quomodo anima humana in pluribus membris — Actione substantiali dogma Transsubstantiationis melius intelligitur et explicatur, quatenus conversio substantialis est — Difficultati occurritur — Melius intelligitur et explicatur, quatenus conversio est — In omni vera conversione terminus totalis *ad quem*, et quadantenus terminus formalis producuntur — Ex accidentibus et Christi corpore non fit unum neque *per se*, neque *per accidens* — Si ex solo decreto extrinseco desinit panis substantia, et Christi corpus sub speciebus ponitur, multo minus intelligitur conversio vera. 256-263

THESIS V.

Sententia Transsubstantiationem explicans per actionem substantialem productivam, ad ipsam substantiam corporis Christi terminatam, revelationi et veritati conformior est.

Declaratur — *Probatur 1.° ex Scripturis* — Supponendum verba institutionis conversionem et actionem conversivam significare — Actionem illam aut adductivam esse, aut productivam — Actio conversiva non significatur *in fieri*, sed *in facto esse* — D. Thomas — Talis est actio, qualis est terminus per verba significatus — Actio, ut actio, *re* non distinguitur a termino — Verba institutionis non significant localiter — Obiectio — Dissolvitur — Quid significet in verbis consecrationis pronomen: *Hoc* — Verba formae significant substantialiter — Actio conversiva substantialis et productiva — Substantia panis et substantia corporis Christi sunt termini formales conversionis — In forma consecrationis terminus *ad quem* significatur ut habens naturam suae substantiae, non autem terminus *a quo* — D. Thomas — Obiectio — Solvitur 263-267

Probatur 2.° ex Traditione — Quid habeatur ex consensu Ecclesiae, quid non — S. Gregorius M. — Christus non fit praesens in eucharistia per motum localem — Macarius Magnes — Damascenus — Conversio eucharistica est actio productiva — Id innuunt loquendi modi in Ecclesia vigentes — Chrysostomus — Damascenus — S. Ephrem Syrus — Ioannes Darensis — Tertullianus — S. Gaudentius Brixiensis — Haymo Alberstadiensis — Ex allatis Patrum testimoniis collectio — Patres temporum Berengarianorum — S. Fulbertus Carnotensis — Adelmannus Brixiensis — Honorius Augustodunensis — Hugo Lingonensis — Durandus Troarnensis — S. Bruno Astensis — S. Bernardus — Patres cum creatione, Incarnatione, et conversionibus aliis Transsubstantiationem conferunt — Nyssenus — Guitmundus Aversanus — Quadrifariam generatio in Scripturis — Mutationes quatuor — Mutatio eucharistica credibilior et carior — Deus summe bonus cuncta decentia voluit esse in creaturis — Collectio ex Guitmundo — Doctrinae Patrum summa — Praecavetur difficultas — Quid Transsubstantiationi cum creatione conveniat — Et cum actionibus et conversionibus aliis — Doctores Scholae — Quid in deposito Traditionis contineatur — Liturgiae — Romana — Coptica — S. Ioannis Chrysostomi — S. Basilii 267-277

Probatur 3.° ratione — Prima ratio — Est de ratione verae conversionis productio termini *ad quem* — Transsubstantiatio conversio analogica ab intrinseca forma — Conversio eucharistica *vera — Physica — Substantialis* — Nulla vera conversio sine productione termini *ad quem* — De ratione conversionis est influere esse in terminum *ad quem* — Uti de ratione verae conversionis est desitio simpliciter termini *a quo;* ita productio termini *ad quem* — Obiectio — Disiicitur Nihilum conversionem positivam nequit terminare — Neque quod est, et non fit — Sola extrinseca ordinatio desitionis unius ad positionem alterius in esse non sufficit ad conversionem — Neque sufficit actio, quae attingeret positive terminum *a quo*, et nullo modo terminum *ad quem* — Neque actio adductiva termini *ad quem* — Requiritur actio productiva termini *ad quem* — Rei iam exsistentis duplex nova productio possibilis, non connaturaliter sed supernaturaliter — Utraque sufficiens ad veram conversionem, utique supernaturalem, in quibusdam saltem circumstantiis — Ad veram productionem, ut sic, non requiritur *prima* productio termini *ad quem*, sed *secunda* sufficit — Qua ratione Christus praeexsistens est in eucharistia terminus conversionis . . 277-282

Secunda ratio — Actio adductiva non sufficit ad conversionem eucharisticam explicandam universim inspecta — Translocatio conversionum minima — Non

sufficit speciatim — Prout a Scoto, Bellarmino, Vasquesio intelligitur — Prout intelligitur a Valentia et de Lugo — Speciatim notanda in modo loquendi P. Vasquez et P. Valentiae 282-284

Tertia ratio — Nullum inconveniens in explicatione nostra — Non repugnat unum eundemque individuum effectum duplici actione produci — Dant adversarii posse unam et eandem rem duplici loco exsistere — Rem poni in duplici loco non superat divinam virtutem — Universim idem effectus potest haberi duplici actione *diversa* — Et duplici actione *totali* — Causa totalis totalitate effectus — Et totalitate causae — Non datur actio, qua nihil producitur, in hypothesi duplicis actionis totalis ad eundem effectum terminatae — Idem effectus potest produci a duplici causa sub diversa formalitate — Quo sensu Christus potest esse sui causa et effectus, prior et posterior etc. — D. Thomas — Obiectio ex de Lugo — Solvitur — Christus reproductus neque acquirit, neque amittit perfectionem substantialem — Nullam amittit perfectionem accidentalem intrinsecam — Nullam item acquirit — Obiectio — Solvitur generatim — Adversarii peccant dupliciter — Difficiles quaestiones plures non oriuntur ex modo, quo Christus fit praesens, sed ex ipsa reali praesentia in eucharistia — Admittunt solutiones varias — Sunt solvendae ab omnibus, qui realem praesentiam Christi in eucharistia tuentur — Solvitur speciatim — Christus producitur *nova* productione; sed non producitur *novus* Christus — Christus est idem, qui natus est de Virgine — Christus unus idemque secundum individuam substantiam; quamvis secundum hanc sit bis, ter,... centies — Quid connaturaliter, quid absolute dicendum de actionibus et passionibus — Ultima obiectio — Responsio — Hypothetica conversio Christi in aliud non sufficienter excluditur verbis Tridentini — Nulla conversio Christi in aliud, quando desinit esse in Eucharistia — Christus incipit et desinit esse in Eucharistia sine mutatione intrinseca — Ad Christi gloriam in terris dilatandam, in coelis degustandam opus conscriptum. 285-293

FINIS INDICIS ANALYTICI.

INDEX ALPHABETICUS

(INDICANTUR NUMERI PAGINARUM)

A

Accidentium realium permanentia 59.
Actio, ut actio, re non distinguitur a termino 265.
— conversiva, quid ex Christi institutione 154 sq.
— conversiva, substantialis et productiva 266.
— actione substantiali dogma transsubstantiationis melius intelligitur et explicatur, quatenus conversio substantialis est 262 sq.
— conversiva non significatur *in fieri*, sed *in facto esse* 264.
— quid connaturaliter, quid absolute dicendum de actionibus 292.
Adelmannus Brixiensis, de conversione eucharistica ut actione productiva 271.
Aegidius Romanus, eius doctrina de transsubstantiatione 115 sq.
Alanus, de transsubstantiationis nomine 10.
Albertus Magnus, doctrina de transsubstantiatione 72 sqq.
— difficilis locus ex *Libro de Eucharistia* 82 sqq.
— de annihilatione panis 226.
Alexander de Hales, eius doctrina de transsubstantiatione 66 sqq.; *vide:* HALENSIS.
Algerus, de absentia panis in eucharistia 209 sq.
Almaricus, Ecclesiae scita in eius causa 20 sqq.
Ambrosiaster, de absentia panis in eucharistia 206.
— de nexu causalitatis 211.
Ambrosius (S.), de transsubstantiatione declaratur ab Alberto Magno 82.
— de absentia panis in eucharistia 205 sq.
— de conversione panis 212.
Anima humana quomodo in pluribus membris 261.
Annihilatio, quotuplici modo potest haberi 227.
Annihilatio quaenam habeatur in eucharistia 227 sqq.
— annihilationis proprie dictae assertio non meretur censuram 54.
— annihilationis propriae patroni 54.
— annihilatio substantiae panis in transsubstantiatione nequit admitti 249 sq.
Anselmus (S.), de dogmatis intellectu 9.
Augustinus (S.), de praesentia locali 138.
de conversione eucharistica 215.
Aureolus, eius doctrina de transsubstantiatione 122 sq.

B

Bandinelli Orlandus, de transsubstantiationis nomine 10.
Batiffol D. Petrus, in declaranda S. Gregorii Nysseni doctrina de transsubstantiatione, modernistis accensendus 187 sqq.
Bayma, eius opiniones 130, 131 — sensus erroneus in dogmate de transsubstantiatione 174.
— eius explicatio, obiective loquendo, haeretica est: declaratur et probatur 185 sqq. *vide:* ROSMINI.
— eius sententiae damnatae re identica est doctrina mutationis positivae 240 sqq.
Bellarminus (Card.), eius systema de transsubstantiatione 163 sqq.
— locus contra Kemnitium de transsubstantiatione 235 sq.
— refutatur eius sententia de conversione eucharistica 283.
Berengariana haeresis 17 sqq.
Bernardus (S.), de conversione eucharistica ut actione productiva 273.
Billot (Em. Card.), de conversione eucharistica 173.
Billuart, de conversione eucharistica 50.
Bonaventura (S.), eius doctrina de transsubstantiatione 110 sqq.
— testimonium circa dogma transsubstantiationis 129 sq.
Bruno Astensis (S.), de conversione eu-

charistica ut actione productiva 272 sq.

C

Caietanus, eius monitum in quaestione de conversione eucharistica 49.
— de annihilatione 89.
— de transsubstantiatione eius mens et loquutiones difficiles 125 sqq.
Capreolus, eius doctrina de transsubstantiatione 119 sqq.
Catholicus dogmatis intellectus 9.
Causalitatis nexus inter conversionem et desitionem panis in doctrina Patrum continetur 211 sqq.
Christus, quot modis fieri potest praesens in eucharistia 237 sq.
— quo sensu esse potest sui causa et effectus, prior et posterior etc. 287.
— reproductione neque acquirit neque amittit perfectionem substantialem 288 sq., neque accidentalem intrinsecam 289.
— quaestiones plures difficiles non oriuntur ex modo, quo fit praesens, sed ex ipsa reali praesentia in eucharistia 290.
— producitur *nova* productione, sed non producitur *novus* Christus 290.
— est idem, qui natus est de Virgine 291.
— unus idemque secundum individuam substantiam : quamvis, secundum hanc, sit bis, ter, centies 291 sq.
— hypothetica conversio Christi in aliud non sufficienter excluditur verbis Tridentini 292 sq.
— nulla conversio Christi in aliud quando desinit esse in eucharistia 293.
— incipit et desinit esse in eucharistia sine mutatione 293.
— ad Christi gloriam in terris dilatandam, in coelis degustandam opus conscriptum 293.
Chrysostomus, de transsubstantiatione 183.
— de absentia panis ab eucharistia 204.
— de conversione panis 212.
— de conversione eucharistica ut actione productiva 269.
Clemens IV., professionem fidei proponit Michaëli Palaeologo 21.
Comestor Petrus, de transsubstantiationis nomine 10.
Consecrationis verba significant et efficiunt conversionem panis in Christi corpus 264.
Conversio, unde et quid iuxta nomen 10 — eiusdem derivatio 11 — nominalis definitio 11 — eiusdem, ut sic, requisita 11, 13 — in convers. formali forma non denominat formam, sed compositum 16.
Conversio, indicantur puncta controversa 17.
— convers. principiative et terminative ; materialiter aut passive et formaliter aut active ; adaequate et inadaequate 14.
— naturalis et supernaturalis 14 sq. — totalis et formalis 15.
— materialis an admittenda 15 — substantialis et accidentalis 15.
— eius notio non revelata *quoad nos* 39 sq.
— saltem de potentia ordinata necessariam esse docent recentiores theologi ad Christi praesentiam in eucharistia 50.
— eius propria notio ex verbo Dei scripto et tradito, et ex ratione derivanda 197 sq.
— quid sit de eius ratione 198 sqq. — quid de convers. substantiali 200 sqq.
— convers. an transitus, an mutatio, an successio, an relatio 223.
— non requirit, ut quilibet status intermedius terminorum positivus sit 225.
— de ratione verae conversionis est productio termini *ad quem* 277, 278, 279 — influere esse in terminum *ad quem* 278.
— convers. analogica ab intrinseca forma 277.
— nihilum conversionem positivam nequit terminare 280.
— ad convers. non sufficit sola extrinseca ordinatio desitionis unius ad perseverantiam alterius in esse 280 sq.
— neque sufficit actio, quae attingeret positive terminum *a quo*, et nullo modo terminum *ad quem* 281.
— quid sufficit ad veram conversionem utique supernaturalem, in quibusdam saltem circumstantiis 281 sq.
— ad veram conversionem, ut sic, non requiritur *prima* productio termini *ad quem*, sed *secunda* sufficit 282.
Conversio eucharistica mirabilis 230 sqq.
— est actio productiva 268.
— *vera*, physica, substantialis 277 sq.
— ad eam rite explicandam non sufficit actio adductiva universim inspecta.
— *vide :* TRANSSUBSTANTIATIO.
Cyrillus Hierosolymitanus (S.) de absentia panis ab eucharistia 203.
— de nexu causalitatis 211 sq.

D

Damascenus, de transsubstantiatione 184.
— de transmutatione panis et vini in corpus et sanguinem Dei 268.
— de conversione eucharistica ut actione productiva 269.
Doctores catholici, eorum sententiae circa dogma transsubstantiationis 130sq.
— quid aliud requirunt ad conversionem, ut sic 13.
Dogmatis intellectus 9.
Durandus, de requisitis ad conversionem, ut sic 13.
Durandus Troarnensis, de absentia panis ab eucharistia 207 sq.
— de conversione eucharistica ut actione productiva 272.

E

Ecclesia, quid definivit aut proposuit in dogmate de transsubstantiatione 173 sq.
— eiusdem sensus de absentia panis ab eucharistia ante tempora Berengariana 203, et post tempora Berengariana 207 sqq.
Effectus unus idemque individuus non repugnat ut duplici actione producatur 285.
— universim potest haberi duplici actione diversa 285 sq., et duplici actione totali 286.
— potest produci a duplici causa sub diversa formalitate 287.
Ephrem Syrus (S.), de conversione eucharistica ut actione productiva 269.
Eugenius IV., eius instructio pro Armenis 26 sq.

F

Ferrariensis, de annihilatione 97 sq.
Fidei regula subiectiva 17.
Florentinum Concilium — *vide*: GRAECORUM CONFESSIO.
Franzelin (Em. Card.), eius in Conc. trident. explicatio 31.
Fulbertus Carnotensis (S.), de conversione eucharistica ut actione productiva 270.

G

Gandavensis Henricus, de transsubstantiatione 124 sq.
Gaudentius Brixiensis (S.), de nexu causalitatis 211.
— de conversione eucharistica ut actione productiva 270.
Gonet, de conversione eucharistica 52.
Graecorum confessio in Conc. Florentino 25 sq.
Gregorius M. (S.), de mysterio eucharistico 268.
Guitmundus Aversanus, de conversione eucharistica 215.
— de transsubstantiationis explicandae modo contra Berengarianos 258 sq.
— exempla allata parum cogentia 261.
— locus insignis de conversione eucharistica ut actione productiva 273 sqq.
Guilielmus Abbas, de absentia panis ab eucharistia 208.

H

Habitudo destructae substantiae panis ad conversionem quaenam sit 210 sqq.
Halensis, de annihilatione panis 226.
Haymo Alberstadianus, de conversione eucharistica ut actione productiva 270.
Hildegardis (S.), de transsubstantiationis nomine 10.
Hoc pronomen in verbis consecrationis quid significet 265 sq.
Honorius Augustodunensis, de conversione eucharistica ut actione productiva 271.
Hugo, de transsubstantiatione 66.
Hugo Lingonensis, de conversione eucharistica ut actione productiva 271sq.

I

Iacobus Sarugensis, de absentia panis ab eucharistia 203.
Innocentius III., de transsubstantiatione 123 sq.
— prima quasi lineamenta sensus theologici de transsubstantiatione posteris transmittit 128.
— huius sensus vices 130.
Inquisitionis (Congr. S. R. et U.) documentum duplex quoad explicationem transsubstantiationis in Sacramento eucharistiae 35 sqq.
Ioannes Darensis, de conversione eucharistica ut actione productiva 269.
Isidorus Hispalensis (S.), de absentia panis ab eucharistia 206.
— de conversione panis 212.
Iustinus (S.), de absentia panis ab eucharistia 206.

L

Lahousse (P.), eius qualitates supernaturales non necessariae 261.
Lanfrancus, de absentia panis ab eucharistia 208 sq.
Lateranense IV., de transsubstantiationis nomine 10.
— contra Almaricum 21.
Leo Magnus (S.), de conversione eucharistica 213.
Lessius (P.), de annihilatione 55 sq.

Liturgiae diversae, quae doctrinam de conversione eucharistica ut actione productiva confirmant 276 sq.
Lugo (Card. de), eius explicatio de non permanentia substantiae panis et vini in eucharistia 151 sq., 155 sq.
— eius systema de transsubstantiatione 165 sqq.
— de transsubstantiatione per actionem accidentalem.
— refutatur eius sententia de conversione eucharistica 284.
— solvitur aliqua eius obiectio 288.

M

Macarius Magnes, de transmutatione panis et vini in corpus et sanguinem Dei 268.
Magister Sententiarum, eius doctrina de transsubstantiatione 61 sqq.
— declarantur difficiles loquutiones 63
— summa eius doctrinae 65.
— novam quandam sententiam refert 129.
Mazzella (Em. Card.), eius monitum de sententia Rosminii 179.
Mysteria eucharistica 232 sqq.

N

Nyssenus, de transsubstantiatione 184.
— eius sincera et plana de conversione eucharistica doctrina 195.
— de absentia panis ab eucharistia 207.
— de conversione eucharistica ut actione productiva 273.
— *vide:* BATIFFOL.

P

Palaeologus Michaël, Ecclesiae scita in eius causa 20 sqq. — *vide:* CLEMENS IV.
Paludanus, eius doctrina de transsubstantiatione 121 sq.
Passio, quid connaturaliter, quid absolute dicendum de passionibus 292.
Patres, eorum doctrina excluditur coniectura Rosminii 182 sqq.
— eorum doctrinae summa de conversione eucharistica ut actione productiva 275 sq.
Permanentia (de non) substantiae panis et vini in eucharistia 148 sqq.
— opiniones variae 150 sqq.
Petrus S. R. E. Cardinalis, de transsubstantiationis nomine 10.
Philosophus, de loco 138 sq.
Pistorienses, eorum damnatio 32 sqq.
— quare et quo sensu damnati 238 sqq.
Praedicatum *differentiale* transsubstantiationis extra controversiam positum, *genericum* controversum 197.
Praesentia localis, quid et quotuplex 137 sqq.
— corporum, spirituum, Christi in Eucharistia, Dei, 141, sqq.
Praesentia realis Christi in eucharistia 132 sqq. — generalis conclusio 148.
— an aliud includat praeter substantiam corporis Christi et esse sacramentale 135 sqq.
— huius quaestionis plenior propositio 137 sqq.
Probabilis opinio, quomodo rei veritatem adstruat et quandonam habeatur 254.
— locum habet in naturalibus et supernaturalibus 254 sq.

Q

Qualitates supernaturales P. Lahousse non necessariae 261.

R

Rosmini, eius opiniones *passim commemoratae*, 35 sqq., 130, 131.
— eius sensus erroneus in dogmate de transsubstantiatione 174.
— eius coniectura, de transsubstantiatione substantiae panis et vini in Christi corpus et sanguinem, obiective loquendo, haeretica est et a doctrina catholica prorsus aliena — Qua nota eiusdem transsubstantiationis Baymae explicatio non eximitur (THESIS I.).
— coniectura declaratur — 179. 196.
— excluditur Scripturis Sanctis 182; doctrina Patrum 132 sqq.; rationibus 185.

S

Sacramenta, quo sensu entibus artificialibus accensenda 251 sqq.
Scotus, eius mens de dogmate transsubstantiationis et de annihilatione 56 sqq.
— refutatur eius sententia de conversione eucharistica 283.
Soto Dominicus, de permanentia accidentium realium 59 sq.
— de transsubstantiatione 123.
Stephanus Augustodunensis, de transsubstantiationis nomine 10.
— de absentia panis ab eucharistia 203.
Suarez, de praesentia Christi in eucharistia 51 sq.
— de annihilatione 54 sq.
— de unione admittenda inter Christi corpus et species 134.
— eius probatio de praesentia locali Christi in eucharistia 146.

Suarez, eius probabilis explicatio et instantia de non permanentia substantiae panis et vini in eucharistia 152 sqq., 156.
— eius systema de transsubstantiatione 168 sqq.
— de sententia quae docet remanere in eucharistia realem entitatem aut aliquitatem ex panis substantia 218 sq.
— de nomine transsubstantiationis 234 sq.
Substantia, eius ratio est praedicatum quidditativum 186 sq.
— metaphysice, et physice aut realiter considerata 246.
— quid ipsi connaturaliter conveniat 246 sq.
— substantia panis quo sensu dicitur converti in subst. corporis Christi, ut substantia est, et non ut est in coelo 247 sq.
— substantia panis et substantia corporis Christi sunt termini formales conversionis 266.
Sylvius, de praesentia Christi in eucharistia per conversionem 50.

T

Terminus *a quo* et terminus *ad quem* in conversione, eorumque successio et ordo 11 — sufficiens connexio inter ipsos 12.
— connexio oppositionis et repugnantiae inter eos 12.
— actio sufficiens conversiva 12 sq. proportionatum agens 13.
— declaratur in actione conversiva terminus *a quo* formalis 40, et terminus *ad quem* 41.
— termini *a quo* destructio probatur ex generali doctrina Patrum de conversione 213 sqq.; probatur ex consensu theologorum, et confirmatur ex modo agendi theologorum, Patrum, Ecclesiae in causa Berengariana et in causa Almarici et Wikleffi 216.
— terminus *ad quem* in forma consecrationis significatur ut habens naturam suae substantiae, non autem terminus *a quo* 266 sq.
Tertullianus, de nexu causalitatis 211.
— de conversione eucharistica 213.
— de conversione eucharistica ut actione productiva 270.
Theologi, eorum varia loquendi ratio pro diverso conceptu potentiae ordinatae et absolutae in quaestione de transsubstantiatione 49 sq.
— eorum quadruplex sensus circa dogma transsubstantiationis post Magistri tempora 129.
Teologi, *theologorum principum* systemata varia de conversione eucharistica aut transsubstantiatione 157 sqq.
— systemata proposita inter se conferuntur 172 sq.
— *theologorum recentiorum* communis conceptus conversionis 48; quid ipsi doceant, saltem de potentia ordinata, ad Christi praesentiam in eucharistia 50; quid de potentia absoluta 51.
Theophylactus, de conversione eucharistica 185.
Thomas (S.), de successione et ordine terminorum in conversione 12.
— de proportionato agente in conversione 13.
— de conversione formali 16.
— de transsubstantiatione 64.
— doctrina de transsubstantiatione fusius evolvitur 84 sqq.
— de reali praesentia Christi in eucharistia 133, 136 sq.
— de praesentia locali 138, 145 — de loco 140.
— difficultas de praesentia locali Christi in eucharistia 144.
— de conversione eucharistica 215.
— de annihilatione 249.
— de forma consecrationis 264.
— de termino *ad quem* in forma consecrationis 266 sq.
— de Christo ut sui causa et effectu etc. 287 sq.
Thomistae, eorum explicatio de non permanentia substantiae panis et vini in eucharistia 150 sq., 155.
Trans particula quamnam potestatem habeat in compositis 236.
Transfiguratio 15.
Transformatio 15.
Translocatio 15.
Transsubstantiatio, nomen quando et a quo primitus usurpatum 9 sq., quid sentiat Suarez 234, auctoris coniectura 10.
— conversionem meminit 10, 15; quid ex Tridentino 235.
— definitio ex Tridentino 38 sqq.
— recentiorum sensus generatim 44; speciatim de natura actionis, de nexu, de permanentia specierum 44 sq.
— veterum sapientia de non annihilatione panis, et de negatione actionis circa corpus Christi primo terminatae 45 sq.
— nexus inter transsubstantiationis terminos 58.

— de evolutione theologici intellectus circa dogma transsubstantiationis, et de opinionibus variis theologorum 128 sqq.
— definiuntur sensus theologici dogmatis et proponitur controversia 173 sqq.
— *1us sensus* catholicus transsubstantiationem explicans per mutationem positivam panis in Christi corpus 174 sq.
— *2us sensus* transsubst. explicans per annihilationem panis et positionem corporis Christi 175 sq.
— *3us sensus* transsubst. explicans per mutationem quasi privativam panis et adductionem corporis Christi 176.
— *4us sensus* transsubst. explicans per eandem quasi privationem et productionem corporis Christi 176.
— propositi sensus crisi subiiciendi 176 sq.
— auctoris sensus proponitur 177 sq.
— sententia per panis vinique positivam mutationem transsubstantiationem explicans catholico dogmati explicando non congruit; in se autem inspecta non videtur probabilis (THESIS II. pro thesi I *vide*: ROSMINI) — declaratur et probatur — 196-248.
— sententia per proprie dictam substantiae panis annihilationem transsubst. explicans, quamvis non possit notari censura theologica, est tamen simpliciter falsa (THESIS III.) — declaratur et probatur 248-253.
— sententia transsubst. explicans per actionem accidentalem, quocumque demum appelletur nomine, ad ipsum Christi corpus terminatam, quamvis probabilitate non careat, est tamen minus probabilis. (THESIS IV.) — declaratur et probatur — 253 263.
— sententia transsubst. explicans per actionem substantialem productivam, ad ipsam substantiam corporis Christi terminatam, revelationi et veritati conformior est (THESIS V.) — declaratur et probatur — 263-293.

Tridentinum Concilium, de praesentia Christi in eucharistia 27.
— de transsubstantiatione 28.
— quot et quaenam in canonibus certo credenda proponuntur 28.
— an permanentia specierum sit formaliter a Tridentino definita 29.
— doctrina formaliter explicite in capitibus declarata 29.
— Tridentini concilii Catechismus, de mirabili conversione eucharistica 231, 235.
— Tridentini verbis non sufficienter excluditur hypothetica conversio Christi in aliud 292.

U

Unio, quaenam admittenda inter Christi corpus et species 133 sqq.

V

Valentia (P. de) de conversione 11 — de conversione eucharistica 49, 50.
— eius systema de transsubstantiatione 160 sqq.
— refutatur eius sententia de conversione eucharistica 284.

Vasquez (P.) de conversione 16.
— eius systema de transsubstantiatione 157 sqq.
— de transsubstantiatione per actionem accidentalem 255 sq.
— refutatur eius sententia de conversione eucharistica 283, 284.

Verba institutionis non significant localiter 265.
— verba formae significant substantialiter 266.

Vetus Auctor, de absentia panis ab eucharistia 203.

Vigilius Tapsensis, eius locus insignis de conversione 214 sq.

W

Waldensis Thomas, de transsubstantiatione 125.

Wikleffus, eius errores 22 sqq.

INDEX SYNOPTICUS

Monitum.
Lectori benevolo . . . . . pag. 5

PARS PRIMA — DOGMATICA

Sectio I.

Notiones praeviae 9

Sectio II.

Regula fidei proponitur et illustratur 11
§ 1. Ecclesiae scita in causa Berengariana 17
§ 2. Ecclesiae scita in causa Almarici et Michaëlis Palaeologi . . 20
§ 3. Ecclesiae scita in causa Wikleffi 22
§ 4. Ecclesiae scita in Concilio Florentino 25
§ 5. Ecclesiae scita in Concilio Tridentino 27
§ 6. Ecclesiae scita ex damnatione Pistoriensium. 32
§ 7. Ecclesiae scita ex Congr. Gener. S. R. et Univ. Inquisitionis . 35

Sectio III.

Summa doctrinae catholicae de Transsubstantiatione 38

SECUNDA PARS — CRITICA

Sectio I.

Proponitur controversia. 43

Sectio II.

Inquiritur in expositionem doctrinae recentioris 48
§ 1. Crisi subiicitur assertio: *Recentiores conversionem negant* . . 48
§ 2. Crisi subiicitur assertio: *In Recentiorum opinionibus Transsubstantiatio non necessario cum reali praesentia connectitur* 48
§ 3. Crisi subiiciuntur assertiones reliquae 53

Sectio III.

Inquiritur in expositionem doctrinae veterum Theologorum. . . 60
§ 1. Doctrina Magistri de Transsubstantiatione 61
§ 2. Doctrina Alexandri de Hales de Transsubstantiatione . . . 66
§ 3. Doctrina Alberti M. de Transsubstantiatione 72
§ 4. Doctrina D. Thomae de Transsubstantiatione 84
§ 5. Doctrina S. Bonaventurae de Transsubstantiatione . . . 110
§ 6. Doctrina Aegidii Romani de Transsubstantiatione . . . 115
§ 7. Doctrina Capreoli, Paludani, Aureoli de Transsubstantiatione . 119
§ 8. Doctrina veterum quorundam discordium de Transsubstantiatione 123

Sectio IV.

De evolutione Theologici intellectus circa dogma Transsubstantiationis, et de opinionibus Theologorum 128

PARS TERTIA — SCOLASTICA

Sectio I.

De reali praesentia Christi in Eucharistia . . . . . pag. 132

Sectio II.

De non permanentia substantiae panis et vini in Eucharistia . . 148

Sectio III.

De conversione eucharistica aut Transsubstantiatione Theologorum principum systemata varia 157
§ 1. Systema P. Vasquez 157
§ 2. Systema P. de Valentia 160
§ 3. Systema Cardinalis Bellarmini 163
§ 4. Systema Cardinalis de Lugo 165
§ 5. Systema Suaresii 168
§ 6. Proposita systemata inter se conferuntur 172

Sectio IV.

Definiuntur sensus theologici dogmatis Transsubstantiationis, et proponitur controversia 173

PARS QUARTA — POLEMICA

Thesis I.

Rosminii coniectura de Transsubstantiatione substantiae panis et vini in Christi corpus et sanguinem, obiective loquendo, haeretica est, et a doctrina catholica prorsus aliena. — Qua nota eiusdem Transsubstantiationis Baymae explicatio non eximitur 179
Prima thesis pars 179
Secunda thesis pars 185
Scholion 187

Thesis II.

Sententia per panis vinique positivam mutationem Transsubstantiationem explicans catholico dogmati explicando non congruit: — in se autem inspecta non videtur probabilis 196
Prima pars thesis 196
§ 1. Sententia Transsubstantiationem explicans per mutationem positivam impetit dogma Transsubstantiationis 197
§ 2. Sententia Transsubstantiationem explicans per mutationem positivam impetit dogmata non permanentiae substantiae panis, et realis Christi praesentiae. 217
Secunda thesis pars 219
Sententia per substantiae panis vinique positivam mutationem Transsubstantiationem explicans, in se inspecta, non videtur probabilis .
Scholion 248

Thesis III.

Sententia per proprie dictam substantiae panis annihilationem Transsubstantiationem explicans, quamvis non possit notari censura theologica, est tamen simpliciter falsa 248
Declaratur et probatur 248

Thesis IV.

Sententia Transsubstantiationem explicans per actionem accidentalem, quocumque demum appelletur nomine, ad ipsum Christi corpus terminatam, quamvis probabilitate non careat, est tamen minus probabilis . . 253

Declaratur thesis . . . . . pag. 253
Probatur 1ª pars 255
Probatur 2ª pars 256

THESIS V.

Sententia Transsubstantiationem explicans per actionem substantialem productivam, ad ipsam substantiam corporis Christi terminatam, revelationi et veritati conformior est . . . . . .
Declaratur et probatur 1.° ex Scripturis 263
Probatur 2° ex Traditione 257
Probatur 3° ratione. Prima ratio. Secunda ratio. Tertia ratio . . 259

DISQUISITIONIS

Index Analyticus 295
Index Alphabeticus 311
Index Synopticus 319

4545

236.33
P582

PICCIRELLI, J.M.

AUTHOR

Disquisitio Transubstantionis

TITLE

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
SEP 25	Allfrett 126	
	Christoph	NOV 2
	Burrus	SEP 14
Jun 3	[illegible]	SEP 13

4545